This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

BIBLIOTECA RICCARDI
IN MODENA
S. VI F. 7 N. 3.



BX
1757
.F74

7

Fortunato da Brescia

PROBABILISMUS METHODO MATHEMATICA DEMONSTRATUS

AUCTORE PATRE

PITHANOPHILO.

LUGDUNI.

1747.

BX
1757
.F74

Lib. Com maglione 2-10-28
16615

AD LECTOREM.

CAuſæ ſunt omnino duæ, quæ de Probabiliſmo me ad ſcribendum impulere. Altera Probabilioriſtarum perſuaſio eſt, qui de eo hoc tempore jam eſſe actum arbitrantur. Ex quo enim eorum Sententia, novis in dies fautoribus aucta, pugna ex adverſo aliquantum per hæc tempora remittente, magis invaleſcere viſa eſt, exiſtimant Probabilioriſmum jam obtinuiſſe, ac triumphaſſe, Probabiliſmum omnino vero, devictis, atque

profligatis ejus Aſſertoribus, corruiſſe. Quibus ſane occurrendum eſt, ne falſa hac exiſtimatione decepti; tanquam de parta victoria glorientur, neve ſaltem Probabiliſtæ de cauſa ipſa deſperantes ab ea amplius retinenda, aut defendenda deterreantur. Qui novit quid reſpondeat, (*præclare S. Auguſtinus*) debet reſpondere vel propter alios, quibus deſperatio ſuboritur, ſi propoſitam quæſtionem ſolvi non poſſe crediderint.

De Serm. Domini in Monte Lib.2.cap. 20.

Altera porro cauſa, eaque profecto princeps maxima hujuſce Controverſiæ definiendæ utilitas eſt. Cum enim Quæſtio hæc ingentem Theologiæ Moralis partem complectatur, ab eaque tanquam a capite ſolutio pendeat multarum peculiarium quæſtionum, quæ de moribus agitantur; ſitque præterea origo, & fons, unde Doctorum diſſidentia, ipſiuſque Scientiæ Moralis in-

inconſtantia, dubietas, incertitudo, periculum, atque ideo contemptus emanat; ſi ea certo expediri, ac prorſus terminari poſſit, ſperandum eſt fore, ut ii in concordiam redacti unum dicant omnes, nec ſint amplius inter illos de moribus ſchiſmata: ipſa vero Theologia Moralis, eliminata ſententiarum diverſitate, certa denique, conſtans, ſecura, honorabilis in lucem prodeat: quo nihil profecto Scientiæ ipſi præclarius, Eccleſiæ autem, cunctiſque Fidelibus conducibilius eſſe poteſt.

His duabus præſertim rationibus compulſus ſum, ut Controverſiam tam amplam, tam neceſſariam, tam difficilem, tam famoſam, tamque a ſeſqui ſæculo, & amplius ſumma animi contentione ab innumeris doctiſſimis Viris agitatam rurſus ex profeſſo pertractarem. Cumque diu in illam diligentiſſime oculos intendiſſem,

peni-

penitiuſque introſpexiſſem, denique comperi, ſi ex immenſa eorum farragine, quæ tum a Probabilioriſtis, tum a Probabiliſtis in hanc rem hactenus dicta ſunt, & vero dici poſſunt, clara duntaxat, ac certa, atque ab utriſque concorditer admiſſa, rejectis dubiis, obſcuris, confuſis, ambiguis, incertis ſumerentur, multaque alia ſupplerentur, quodque magnopere refert, methodo omnium maxime ſcientifica, hoc eſt mathematica (hæc enim ſolis licet rebus per ſe mathematicis propria, nihil attamen prohibet, quo minus etiam in aliis, præſertim difficilioribus, celebrioribus, atque implicatioribus cum laude adhiberi poſſit) tractarentur, eam tandem aliquando pro Probabiliſtis, nullo amplius relicto cuilibet ambigendi loco, finiri, atque terminari, verbo demonſtrari poſſe. Hac opinione magis identidem confirmatus calamum

ſum-

ſumpſi, ac manum tabulæ admovi, itaque multigenam quidem tantum certitudinem mutuatus a rebus ipſis, ordinem vero, ac methodum a Mathematicis, niſi me fallit animus, demonſtravi. An vere ſcopum tetigerim, quidve de meo præ aliis contulerim, & quam denique etiam arduum opus aſſumpſerim, periti, & æqui Lectores judicabunt.

Opus

Opus tribus Partibus continetur. Prima Ratione. Secunda veluti Traditione, ſeu potius Scholæ Auctoritate, ac Praxi. Tertia evidenti omnium Argumentorum ſolutione Probabiliſmum licitum demonſtrabit.

PRO-

PROBABILISMUS

METHODO MATHEMATICA

DEMONSTRATUS.

PARS PRIMA.

NOta eſt Mathematicorum Methodus. Ea enim his veluti inſtrumentis perficitur, nempe Definitionibus, Axiomatis, Poſtulatis, Propoſitionibus, Corollariis, & Scholiis.

Definitio eſt alicujus explicatio. Cum explicatur quid ſignificat nomen aliquod, definitio nominis, cum vero quid ſit res ipſa, definitio rei dicitur. Nominum definitiones ſunt arbitrariæ, non minus tamen indubitatæ, quia non poteſt alicui prohiberi, quin affingat voci objectum, atque notionem, quam maluerit. Niſi tamen neceſſitas poſtulet, ſtandum eſt, ſive in communi uſu, ſive in Scientia aliqua vocibus, aut ab omnibus, aut a Scientiæ illius Profeſſoribus uſurpatis, neque peculiares iis ſigni-

ficationes affingendæ. Mathematicorum Definitiones vel omnino, vel quam maxime nominis ſunt.

Axioma eſt ſententia per ſe manifeſta, ſeu propoſitio ita evidens per ſe, ut vel mediocriter attendenti, ex ipſa vocum perceptione, ejus ſtatim veritas innoteſcat. Quoniam vero multiplex veritas eſt, ut infra apparebit, idcirco multiplex quoque Axioma eſſe poteſt. Nos in hoc Opere omnia Axiomata ad duplex veluti genus reducemus, & utrumque uſurpabimus. Alterum illorum, quorum veritas vel leviter, uti diximus, expenſis vocibus lucet illico per ſeſe, cujuſmodi illa: *Totum eſt majus ſua parte: impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe:* cæteraque Metaphyſica, & Mathematica Axiomata. Alterum eorum, quorum veritas tametſi ex verbis ipſis non innoteſcat, a Doctis tamen, & Sapientibus ſtatim ſine dubitatione admittitur, cujuſmodi ſunt: *Spiritualia non ſunt in loco circumſcriptive: Virtus in medio conſiſtit: In dubio practico de peccato tutior pars eſt eligenda*: aliæque permultæ in facultate qualibet certæ, exploratæque ſententiæ. Priora Axiomata primi, poſteriora ſecundi, doctrinæ cauſa, a nobis generis vocabuntur.

Poſtulatum eſt id, quod facile fieri poſſe eſt per ſe manifeſtum, ſeu quod aſſumitur tanquam factum, quia conſtat effici poſſe. Poſtulatis in hoc Opere locus proprie eſſe non poteſt, ut liquet. Quare illis Suppoſitiones, quæ Poſtulatis non multum abſimiles ſunt, quæque in omni re locum habere poſſunt, ſubſtituemus.

Porro hæc tria, nempe Definitiones, Axiomata, Poſtulata apud Mathematicos principio-

rum

rum rationem, ac vicem habent, quibus omnis eorum demonſtratio innititur. Nam his indemonſtratis, cætera omnia eorum ope demonſtrantur. Id quod etiam apud nos obſervabitur.

Propoſitio eſt alicujus enunciatio. Eſtque triplex, Theorema, Problema, Lemma.

Theorema eſt propoſitio demonſtrabilis, quæ in ſola ſiſtit contemplatione, nihilque faciendum proponit.

Problema eſt propoſitio aliquid faciendum proponens, quæ eſt demonſtrabilis, cum reſolutum eſt quod proponitur. Neque iſtud in præſenti Opere locum, ut patet, habere poteſt.

Lemma eſt propoſitio demonſtrabilis, quæ obiter præmittitur ad aliquod præcipuum, ac principale Theorema demonſtrandum, quæque ſupponitur; & ibi non poneretur, niſi ea opus eſſet ad cæteras propoſitiones demonſtrandas.

Corollarium eſt propoſitio, quæ ſequitur ex aliis, ſeu propoſitio exponens aliam veritatem ex alia veritate primo detecta ſponte, & neceſſario profluentem.

Scholium proprie eſt fuſior quædam animadverſio, qua aliquid ad rem pertinens uberius exponitur, & explicatur.

His igitur inſtrumentis res univerſa apud Mathematicos demonſtratur.

Demonſtratio vero eſt ratiocinatio, in qua ex principiis certis, & evidentibus aliquid certo concluditur. Duplex ſtatui poteſt, *negativa*, & *poſitiva*, & hæc itidem duplex, *rigoroſa*, & *minus rigoroſa*. *Poſitiva rigoroſa*, in qua principia ſunt cauſa, & origo rei, quæ detegitur. *Poſitiva minus rigoroſa*, ubi principia ſunt tantum ſigna, quibus veritas concluſa innoteſcit.

ſcit. Prima in Scholis vocari ſolet: *Demonſtratio per cauſam: propter quid: a priori*. Secunda *ab effectu: quia: a poſteriori*. *Negativa*, quæ etiam *ex abſurdo*, *& ad impoſſibile* dici ſolet, eſt ratiocinatio, qua concluditur res aliqua ita ſe habere, propterea quod ſi aliter eſſet, aliqua alia certa veritas neceſſario corrueret.

Utraque demonſtratio æque certa eſt, ſed negativa imbecillior, & imperfectior poſitiva, quia in ea res non concluditur clare, & directe., ſed veluti oblique, & ſubobſcure. Hujuſmodi demonſtratione Geometria vetus abundat, quam tamen recentiores Mathematici repurgarunt, dum Elementis aptiori ordine concinnatis, per poſitivas demonſtrationes brevius, preſſius, & evidentius Geometrica demonſtrarunt. Cur autem etiam negativa certa ſit, ex Canone decimo Dialectico mox afferendo apparebit.

Solent autem Mathematici eamdem propoſitionem multimodis demonſtrare, non quidem ad neceſſitatem, cum una tantum demonſtratio ad intellectum convincendum, ideoque ad veritatem aſſequendam plane ſufficiat, ſed ad doctrinæ varietatem, & abundantiam. Quod in hoc Opere potiori ratione fiet, cum res hujuſmodi Mathematicæ minime ſint.

Atque his breviter de Methodo Mathematica ad imperitorum commoditatem delibatis, Controverſiam ipſam ingrediemur, ubi nonnullos Canones ad legitimam diſputandi rationem pertinentes, & quaſdam Præmonitiones pro majori eorum, quæ dicenda ſunt, intelligentia præmiſerimus.

CA-

CANONES DIALECTICI
RECTÆ DISPUTATIONIS.

I.

OMNIS quæſtio certum aliquid ſupponit, & aliquid dubium quærit.

Hoc idem eſt, quod vulgo dici a Logicis ſolet. Unum ſupponere, & aliud quærere. Porro certum dicitur, quod vel hujuſmodi eſt ex natura rei, vel ſaltem ex Diſputantium ſuppoſitione. Qui enim via, ac ratione diſceptationem aliquam vult inſtituere, aliquid tanquam certum ſibi aſſumere neceſſe eſt; alioquin procederetur in infinitum, nihilque fixi, ac firmi conſtitui poſſet. Hinc in unaquaque Schola propria initio principia ſtatuuntur, iiſque ceu fundamentis præpoſitis, ac præſtitutis, cæteræ deinceps quæſtiones inædificantur.

II.

Omnis quæſtio propriis debet principiis determinari.

Scilicet unaquæque pro rei, qua de agitur, natura. Quo circa quæſtio directa directis, reflexa reflexis principiis definienda eſt. Eſt autem quæſtio Directa, cujus objectum eſt res ipſa, de qua primo quæritur: Reflexa, cujus objectum eſt quæſtio ipſa directa. Ex. ca. Quæſtio. *An Eleemoſyna corporalis ſit meritoria*: Directa eſt. Iſta vero. *An ſpiritualis ſit magis meritoria corporali*: Reflexa eſt. Nam hæc reflectit ſupra primam. Ex quo liquet, in reflexa

quæſtione ſupponi directam, ideoque ſupponi quidquid ad eam pertinet, atque in illa determinatum eſt. Omnis namque quæſtio unum ſupponit, & aliud quærit. (*a*)

(a) *per Can. præced.*

III.

In quæſtionibus de licito, & illicito ei potiſſimum incumbit probatio, qui ſtat pro illicito, ſeu qui negat operis permiſſionem, & aſſerit prohibitionem.

Non quod etiam qui aſſerit permiſſionem, licitam ſuam operationem probare non ſoleat, ſed quod proprie id negantis munus ſit. Rigoroſe enim nemo tenetur probare antecedentem permiſſionem actionis ſuæ, ſed ſolum eam ab impedientibus defendere. Nam qui obligationem negat, veluti Rei, qui vero aſtruit, veluti Actoris, ſeu Accuſatoris vicem gerit, in quem probandi onus jura omnia transfundere notum eſt.

IV.

Qui aliquid in alio aggreditur, & oppugnat, eum oportet id, juxta illius ſenſum, & mentem oppugnare.

Profecto etenim nemo in alio oppugnare vere poteſt, niſi quod ille defendit. Quapropter Aggreſſori omnibus ſuppoſitionibus, præſcriptionibus, determinationibus, quibus Defenſor ſuam ſententiam tuetur, ſtandum eſt, cum in una qualibet quæſtione, quibuſdam præſuppoſitis, aliud quæratur, ac defendatur. (*b*) Quod ſi Oppugnator his ſtare nolit, vel omnino a diſputatione deſiſtendum, vel aliter a capite quæſtio ipſa inſtituenda eſt. Qui enim ſecus facit, rem nuſquam exiſtentem impugnat, & hoſtem haud ve-

(b) *per Can.* I.

verum, ſed phantaſticum perſequendo, Andabatarum more aerem verberat. Atque huc refertur illud fallaciæ genus, quod a Dialecticis *Ignoratio Elenchi* dicitur, nempe ignoratio ejus, quod in Adverſario reprehendendum eſt. In quæſtionibus de illicito qui affirmant, Aggreſſores, qui inficiantur, Defenſores ſunt. (*a*) (a) *per Can.* 3.

V.

Diſputanti cavendum ſupponere quod in quæſtione eſt.

Hoc eſt alterum Sophiſmatis genus, quod *Petitio principii* in Scholis dicitur. Quod rectæ rationi adverſari clariſſimum eſt, cum in omni ratiocinatione id, quo quis probat, eo, quod probare contendit, notius, atque certius eſſe debeat. Principium autem petere dicimur, non tantum cum ſupponimus, quod manifeſto quæſtione continetur, (quis enim niſi prorſus ineptus argutator ita ſe gerere poteſt?) ſed etiam cum ſupponimus, quod in quæſtione ipſa quomodolibet involvitur. Quo omnia continentur, in quæ quæſtio ipſa reſolvi poteſt. Nam omnis quæſtio de facie ſimplex, & una, plerumque multiplex eſt, atque ideo plures alias quæſtiones in ſinu complicatas habet, quæ niſi analytico artificio evolvantur, filum ipſum ſæpe ſubtiliſſimum diſputationis oculos fugit, proindeque omnino recidi non poteſt. Hoc vitio magna quæſtionum pars maxime laborat, quæ ſi eo pacto tractarentur, ſtatim conſtaret, eas vel de ſolo nomine eſſe, ac propterea in fumum abire, vel neminem habere diſſentientem.

VI.

Contrariorum eadem eſt lex, ac diſciplina.

VII.

Negatio, aut privatio *formaliter* in indiviſibili conſiſtit.

Additum eſt *formaliter*, quia *materialiter*, ut ajunt Scholæ, non conſiſtit in indiviſibili, ſed major, aut minor eſſe poteſt. Hoc modo, ut Scholaſticis exemplis utar ad explicationem, Lapis dici poteſt magis negatus ſcientia, quam Simia, quia ille tanquam res inanimis ab inſtructionis capacitate adhuc magis recedit, quam hæc, quæ eſt animata, & ſolers. Similiter magis privatus viſu dici poteſt qui naſcitur ſine oculis, aut oculis coopertis, quam qui oculos apertos, & apte diſpoſitos, ſed tamen cœcos habet, quia magis iſte, quam ille ad viſus habitudinem, cujus capax eſt, accedit, ut liquet. Cæterum negatio, vel privatio *formaliter*, ſeu ut purum, putumque rei defectum, ſive carentiam ſignificat, indiviſibilis eſt.

VIII.

Definitum, & Definitio convertuntur, idemque eſſentia ſunt.

IX.

Ex vero falſum legitima ratiocinatione ſequi non poteſt.

X.

Argumentatio *ab Abſurdo* certa, atque demonſtrativa eſt.

In-

Intelligitur Canon modo abſurdum neceſſaria, & evidenti conſecutione colligatur. Cujus ratio eſt, quia cum abſurdum ſit certo falſum, & falſum ex vero ſequi non poſſit, (*a*) conficitur, id quoque neceſſario falſum eſſe, ex quo abſurdum evidenti illatione deducitur. Quod tamen non abſolute, ſed comparate intelligendum eſt, ſcilicet pro natura certitudinis, qua abſurdum conſiſtit. Multiplex eſt enim veritas, ac certitudo, ut infra planum fiet. Unde argumentatio *ab Abſurdo* certa erit in genere ſuo.

(a) *per Can. præced.*

X I.

Argumentatio *ad Hominem*, ut Schola loquitur, certa pariter, atque apodictica eſt.

Nempe ſaltem ex ſuppoſitione. Eſtque inter omnes validiſſima. Fit autem, cum ab hoſtibus propria arma e manibus extorquentur ipſiſque jugulantur, hoc eſt, cum propriis principiis convincuntur. Quo vincendi genere nullum validius, atque glorioſius eſſe poteſt.

X I I.

Sive a poſitivo, ſive a comparativo ad poſitivum in diverſis, oppoſitiſque ſubjectis *ſimpliciter*, *& per ſe* non valet conſecutio.

1. Hoc eſt non valet ex. cauſa hæc illatio. *Opinio A eſt probabilis, tuta; probabilior, tutior. Igitur Opinio B contradictoria eſt probabilis, tuta.* Cujus ratio eſt, quia quamvis ex vi verborum id ſignificari, atque inferri videatur, tamen neque in rigore philoſophico, neque in grammaticali rigore ipſo verum omnino eſt. Non eſt verum in rigore philoſophico, quia fieri poteſt, ut una pars ſit probabilis, aut probabilior, quin

con-

contradictoria ſit probabilis, quia fieri poteſt, quod pro una parte ſint rationes graves, nulla vero ratio pro altera, vel ſi quidem adſit, ab alterius partis tamen rationibus enervetur, & elidatur ita, ut nihil ei roboris remaneat ad conſtituendam probabilitatem. Sic probabile, vel probabilius eſſe poteſt, hanc v. g. hoſtiam eſſe conſecratam, non tamen hinc probabile oppoſitum, nempe non eſſe conſecratam. Neque verum eſt in rigore ipſo grammaticali, quia ne dum nomina poſitiva, ſed etiam comparativa uſurpari in ſermone poſſunt, ac ſolent (ſive id fiat proprie, ſive figurate nihil attinet) relate ad diverſa ſuppoſita cum excluſione poſitivi: cujus rei exempla etiam apud Latinos aureæ ætatis Scriptores inveniuntur. Vere enim dici poteſt. *Abel eſt ſanctior Cain: Jacob lenior Eſau:* etſi Cain non fuerit ſanctus, ſed malus, & Eſau lenis, ſed piloſus.

2. Dictum eſt *in diverſis ſubjectis*, quia in eodem collectio legitima eſt. Recte etenim ratiocinamur hoc pacto. *Opinio A eſt probabilior, minus probabilis; tutior, minus tuta. Igitur Opinio A eſt probabilis, tuta. Homo eſt ſanctior. Ergo eſt ſanctus*: cum conſtet, augmentum, vel decrementum formæ, quod fit in ſubjecto, quodque comparativo nomine exprimitur, ſupponere formam ipſam jam in eodem ſubjecto prius poſitive exiſtentem.

3. Porro additum eſt etiam *ſimpliciter, & per ſe* ad ſignificandum, id verum eſſe præciſis, ſeu minime conſideratis aliis circumſtantiis. Nam ſi aut aliquod aliud verbum in antecedente adjiciatur, aut aliqua circumſtantia accedat, unde ex poſitivo, vel comparativo poſitivum in altero

ro extremo deduci poſſe videatur, illatio legitima eſſe poterit. Sic ſi dicatur. *Opinio A eſt probabilis: vel eſt tantum probabilior: vel eſt probabilior: eſt tamen motivum grave, ac ſolidum etiam pro opinione oppoſita B*: recte inferri poterit. Igitur *Opinio B contradictoria eſt probabilis*. Hoc enim modo æquipollenter dicitur. *Opinio A eſt probabilis, aut probabilior: & opinio B oppoſita eſt probabilis*. Idem multo magis, vel ſaltem dicito, ſi, cum opiniones oppoſitæ ſcholaſtice a Doctoribus diſcutiuntur, ſimulque comparantur, vel expreſſe ab iiſdem affirmatur, vel ex modo cenſendi, ac judicandi de ipſis, vel ex verbis relativis, quibus utuntur, vel ex natura materiæ, vel ex alio capite colligi poteſt, eas opiniones probabiles eſſe. Tunc enim a poſitivo, aut comparativo ad poſitivum etiam in ſeparatis, oppoſitiſque ſubjectis procul dubio tenet conſecutio. Plura hujus doctrinæ exempla Parte ſecunda a nobis afferentur.

PRÆMONITIONES.

I.

NONNULLÆ definitiones ad ipſius quæſtionis ſubſtantiam propius pertinentes potiſſimum ad Probabiliſtarum ſenſum formatæ ſunt. Ad illos etenim, quippe Defenſores, ſpectat veræ quæſtionis intelligentiam determinare, ideoque omnia ad eam pertinentia ſupponere, atque præſcribere, inter quæ præcipue ſunt Definitiones; ad Probabilioriſtas vero, quippe Aggreſſores, his acquieſcere, & ſtare, atque Adverſarios juxta propriam illorum ſententiam impugnare. (*a*)

(a) *per Can. 4.*

In

II.

In Definitionibus rerum non ſemper utimur ſtricto, ac rigoroſo definiendi more, cum id neceſſe minime ſit, neque definitiones ſubtilius uſurpamus, ſed dumtaxat, ut ad rem præſentem opus eſt, id unum præcipue attendentes, ut veræ, ac certæ ſint.

III.

In Axiomatis ſecundi generis minus communibus, ac notis, in quibus lux major aliqua, aut firmitudo deſiderari poteſt, ea licet non neceſſaria, ad doctrinæ tamen cumulum, ac Lectorum eruditionem, completamque perſuaſionem, ex Principum Scholaſticorum auctoritate, quantum fieri poterit, adjicietur. Quod etiam in aliquibus peculiaribus Corollariis, & in Suppoſitionibus fiet, tametſi & illa ex evidente deductione, & iſtæ ex hypotheſi certæ ſint.

Jam vero Scholarum Principes ſunt præſertim D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Ægidius Romanus, Henricus Gandavenſis, Joannes Bacchonus, Okamus, Suarius, Vaſquius. Sed hi duo omiſſi ſunt, quia conſtat Probabiliſtas eſſe. His Doctoribus adjecimus Albertum Magnum, Alexandrum Alenſem, S. Raymundum. Verum de his hic ſatis. Nam in ſecunda Parte brevis iſtorum hiſtoria ad Lectorum utilitatem, Operiſque illuſtrationem pertexetur, ſimulque declarabitur, quamobrem horum tantum veterum auctoritate potiſſimum uſi ſumus.

Ni-

I V.

Nihil non certum, & exploratum adhibebitur. Conſtat enim aliter demonſtrationem eſſe non poſſe. Porro cum certum dicimus, non de uno tantum certitudinis genere intellectum volumus, ſed de multiplici, ut patitur natura diverſarum rerum, quæ in hujus diſputationis cenſum neceſſario ingrediuntur, quemadmodum apparebit. Cui etiam certum ex ſuppoſitione, vel noſtra, vel Adverſariorum addendum eſt. Et intelligitur potiſſimum in iis, in quibus demonſtrationis fundamentum, ac robur continetur; nam in aliis, quæ ex abundanti afferuntur, nonnulla fortaſſe incerta eſſe nihil refert.

V.

In toto Opere omnes quidem Probabilioriſtarum reſponſiones, evaſiones, oppoſitiones præoccupatæ, & exploſæ ſunt, ut Lector animadvertet, non tamen omni modo, quo poteſt, & quo in vulgaribus Libris fieri ſolet (quid enim confert? cum præſertim multa inibi incerta ſint?) ſed tantum demonſtrative, idque ne a rigore Mathematico recedamus. Quod etiam in cauſa eſt, cur in confutandis multiplicibus Adverſariorum hallucinationibus neminem ſpeciatim indigitemus, aut exagitemus. Non enim cum aliquo res nobis peculiariter eſt, quippe non Critici, aut Scholaſtici, ſed Mathematici ſumus.

V I.

In hoc Opere multa fortaſſe a nobis dicta, aut ſæpius, quam oportebat, replicata ſunt, quæ propterea omnino omitti poterant. Sed hoc factum,

tum

tum ad Doctrinæ Methodum, amplioremque rei demonſtrationem, tum ne minus periti aliquid ad perfectam quæſtionis intelligentiam, ac ſolutionem deſiderare poſſent. Hæc omnia Doctiores poterunt præterire. Quod ſi vero contra aliquibus quippiam deſiderari videatur, id in altera Operis Editione apponi poterit.

CONTROVERSIÆ STATUS.

QUæritur. An cum de ſola actionis bonitate, aut pravitate, ſeu de licito, vel illicito agitur, liceat inter duas opiniones in conſpectu poſiras, quarum altera legi, altera libertati faveat, & vel utraque ſit æque probabilis, vel favens libertati tantum probabilis, favens vero legi probabilior: an inquam liceat, ac ſine peccato eligi, & ad praxim deduci poſſit tum probabilis libertati favens, relicta æque probabili favente legi, tum etiam tantum probabilis favorabilis libertati, dimiſſa favorabili legi probabiliore.

Hic eſt verus, & genuinus quæſtionis ſenſus, quem hic in limine univerſe propoſuiſſe ſufficiat, ut iis, quæ dicenda ſunt, aditus aperiatur. Nam in calce primæ Partis iterum cum omnibus neceſſariis modificationibus, exceptionibus, limitationibus diverſimode proponetur, atque evolutis prius analytice omnibus aliis peculiaribus quæſtionibus, in quas reſolvi poteſt, ad purum, præciſumque contentionis filum revocabitur.

Itaque Probabiliſmus duas partes habet, ſeu duas Quæſtiones involvit.

Altera. An liceat ſequi opinionem probabilem libertati faventem in conflictu æque probabilis faventis legi, ſeu tutioris.

Al-

Altera. An liceat ſequi probabilem ſtantem pro libertate, etiam in conflictu probabilioris ſtantis pro lege, ſeu ſecurioris.

Qui utrumque affirmant licitum Probabiliſtæ, qui negant licitum Probabilioriſtæ vocantur. Quare iſti in hac lite Aggreſſores, & Oppugnatores, illi Defenſores ſunt. (*a*)

(a) *per Can.* 4.

Jam vero Argumenta Probabiliſtarum ex his univerſim locis eruuntur,

1 Ex Permiſſiva Eccleſiæ approbatione.
2 Ex Scholæ Doctrina, ac Praxi.
3 Ex Prudentia operationis.
4 Ex Operationis ſecuritate.
5 Ex Incertitudine Præcepti, quæ in rebus ad Probabiliſmum ſpectantibus continetur.
6 Ex Defectu in his rebus exiſtentiæ Legis obligantis.
7 Ex Defectu ſaltem ſufficientis promulgationis.
8 Ex Ignorantia invincibili.
9 Ex Poſſeſſione libertatis.
10 Ex Sufficientia moralis perſuaſionis.
11 Ex Submiſſione proprii Judicii alieno judicio.
12 Ex Paritate in ſpeculativis.
13 Ex Paritate in rebus Fidei.
14 Ex Defectu exiſtentiæ Præcepti ad Probabioriſmum obligantis.
15 Ex Defectu ſaltem ſufficientis promulgationi ejuſdem Præcepti.
16 Ex Onere certæ probationis, ejuſque tamen defectu in Adverſariis.
17 Ex Abſurdis.

Hæc omnia negant, & contraria ſtatuunt Probabilioriſtæ, ac multis tum ab Auctoritate, tum

tum a Ratione Argumentis rem conficere nituntur, uti in tertia Parte apparebit, ubi univerſa, nullo diſſimulato, breviſſime demonſtrative diluentur.

Atque hæc in veſtibulo indicaſſe ſit ſatis, (nam in quæſtionis Analyſi in fine, ut innuimus, reponenda, iterum exponentur) ne ea, quæ in Definitionibus, Axiomatis, & Suppoſitionibus fuſe dicenda ſunt, Lectoribus diſparata, atque impertinentia videri poſſint, ſicque tædio in legendo, atque impatientia afficiantur. Etenim ita admoniti eo reſpicere, atque collineare univerſa, & ſingula cognoſcent, ut omnia laudatorum Argumentorum Capita, eorumque ſingula, iſtorum ope, ad juſtam demonſtrationem promoveantur.

Eoſdem porro Lectores omnes, ſed præſertim Mathematicæ Methodi ignaros etiam, atque etiam precor, primum ne his Argumentis auditis, quibus Probabiliſtæ paſſim utuntur, quæſtionem de Probabiliſmo, quo modo vulgo fieri ſolet, ſtatim a me agitatam putent. Ita namque illam in hoc Opere transformatam invenient, ut vix ejus faciem agnoſcant. Deinde ut pacato animo, atque ab omni partium ſtudio prorſus vacuo attente, ac patienter legant. Tandem ut judicium ſuſtineant, donec totum Opus a capite ad calcem, collatis inter ſe ſe omnibus, & quidem ſæpius, evolvant. Niſi enim ita faciant, æquam procul dubio ſententiam ferre non poſſunt.

DE-

DEFINITIONES.

I.

VERUM eſt id, quod eſt conforme rei, ut eſt in ſe.

II.

Falſum contra, quod eſt difforme rei, ut eſt in ſe, ſeu non conforme.

Unde falſitas in conformitatis negatione conſiſtit.

SCHOLIUM.

1. VERITAS duplex aſſignatur, *Metaphyſica*, & *Logica*.

Prima eſt rei conformitas cum ſuo Exemplari, quod nihil eſt aliud, quam Idea rei Archetypa, quæ extat in mente DEI. Itaque *Metaphyſice*, ex. ca. verum aurum eſt, quod eſt hujuſmodi in re ipſa, cujuſmodi in ſuo Exemplari repræſentatur. Res omnes hoc pacto, & veræ, & æqualiter veræ ſunt, cum unamquamque ſuo Exemplari æque perfecte congruere neceſſe ſit.

2. *Veritas Logica* eſt conformitas actus mentis, ſeu cognitionis (nam alia *Veritas* ſigni, & propoſitionis hic ad rem non facit) cum objecto cognito. Itaque ſi actus conformatur objecto, ut in re exiſtit, verus, ſecus falſus eſt. Et hæc dicitur veritas *objectiva*, de qua loquitur Philoſophus 4. Metaphyſ. cap. 7. quando dicit, *verum eſſe, cum dicitur eſſe, quod eſt, vel non eſſe, quod non eſt*. Eſt & alia *Veritas*, quæ *tantum*

ſubjectiva, & *apparens* dici poteſt, & hæc ſiſtit in conformitate actus mentis cum re, non quidem ut eſt in ſe, ſed ut eſſe judicatur ſecundum motiva rationabilia. Prima continet certitudinem, ſecunda potius probabilitatem, de qua infra loco ſuo. Veritas, & certitudo rerum etiam *objectiva* ſumpta *formaliter*, ſcilicet pro nuda conformitate actus mentis cum re, non in re ipſa, ſed potius in mente eſt. Definitiones præfatæ non de *Metaphyſica*, ſed de *Logica Veritate*, ac *Falſitate objectiva* intelligendæ ſunt.

Cor. Hinc veritas, & falſitas *formaliter* in indiviſibili conſiſtit. Nam falſitas in negatione conſiſtit: (*a*) Negatio vero in indiviſibili: (*b*) & Oppoſitorum eadem eſt Lex, ac Diſciplina. (*c*) Quapropter *formaliter* aliquod non eſt magis, vel minus verum, aut falſum alio.

(a) *per Def.* 2. (b) *per Can.* 7. (c) *per Can.* 6.

SCHOLIUM.

ADDITUM eſt *formaliter*, quia *materialiter*, & *radicaliter*, ut Schola loquitur, aliquid alio magis, vel minus verum eſſe poteſt, quia veritas hoc modo ſumpta, præter explicatam conformitatem, continet etiam quamdam exigentiam infallibilitatis, & immutabilitatis, ob quam res una alia verior eſſe poteſt. Ita magis verum eſt DEUM exiſtere, quam Creaturam, magis veræ ſunt Fidei veritates, quam Mathematicæ ipſæ. Cæterum veritas *formaliter* conſiderata, nempe pro ſola illa actus conformitate, in indiviſibili conſiſtit.

III.

Evidens eſt, quod ſuammet claritate ita lucet per ſe ſe, ut aliter apparere, aut percipi non poſſit.

Cer-

I V.

Certum, quod aliter ſe habere non poteſt, cuique mens firmiter adhæret, eoque perfecte determinatur.

Omne evidens eſt verum, & certum, non vero viciſſim omne verum, aut certum eſt evidens, quia Fidei dogmata veriſſima, & certiſſima, ſed non evidentia ſunt. Item omne verum eſt certum, & viciſſim. Nam verum aliter ſe habere non poteſt, eique mens firmiter inhæret, & eo determinatur.

V.

Incertum, quod determinationem non cauſat, quodque aliter ſe habere poteſt, ſeu quod neque eſt certo verum, neque certo falſum.

Unde etiam incertitudo in negatione conſiſtit.

SCHOLIUM.

VERUM, *certum*, *evidens* quandoque pro eodem ſumuntur, quamquam inter ſe duplici diſcrimine diſcernantur. Nam primo ſe habent ut ſuperius, & inferius, quia omne evidens eſt verum, & certum; non viciſſim. (*a*) Deinde Verum ſtricte ſignificat conformitatem actus cum re: (*b*) Evidens rei claritudinem: (*c*) Certum mentis adhæſionem, atque determinationem. (*d*)

(a) *per Def.* 4.
(b) *per Def.* 1.
(c) *per Def.* 3.
(d) *per Def.* 4.

Porro *Veritas*, *Certitudo*, & *Evidentia objectiva* logice ſumpta multiplex eſt, nempe *Fidei*, *Theologica*, *Metaphyſica*, ſeu etiam *Mathematica*, *Phyſica*, & *Moralis*.

1. Certum *Divina Fide* eſt, quod a Deo eſt

revelatum, & ab Eccleſia ad credendum propoſitum. Hoc modo certa ſunt omnia, quæ Divinis Litteris, ac Traditione clare continentur, & quæ expreſſe declarata ſunt per Eccleſiam, itemque quæ ex Scriptura, vel Traditione, vel ex expreſſe declaratis per Eccleſiam evidenter deducuntur. Atque hoc eſt ſupremum certitudinis genus, quo majus excogitari nequit. Innititur enim Divinæ infallibili veritati, qua major eſſe non poteſt. Quod huic certitudini opponitur, proprie Hæreticum dicitur.

2. Certum *Theologice*, quod non eſt a DEO revelatum, nec ab Eccleſia definitum, ſed partim ex revelatis, partim ex naturaliter certis, ac notis legitima conſecutione deducitur. Hoc eſt proximum certitudinis genus ordinis ſupernaturalis. Quod opponitur iſti certitudini, proprie dicitur Erroneum.

3. Certum *Metaphyſice*, aut *Mathematice*, quod ita eſſentialiter ſe habet, ut aliter nullo modo, nullaque poteſtate, aut eſſe, aut concipi poſſit. Hujuſmodi ſunt omnia Metaphyſica, & Mathematica Principia, omneſque Concluſiones ex illis neceſſario, ac evidenter deductæ. Ad hoc certitudinis genus reducuntur omnes Regulæ Logicales, omniaque alia cujuſcumque Scientiæ Principia, quæ per Metaphyſica, aut Mathematica Principia demonſtrari poſſunt. Metaphyſica enim præſertim eſt prima Scientia, ſeu Sapientia, ex qua certitudo in alias derivatur, cujuſque ope certa earum Principia demonſtrantur. Hæc eſt ſuprema certitudo ordinis naturalis.

4. Certum *Phyſice*, quod etſi non habeat eſſentia ſua, ut aliter eſſe non poſſit, ideoque abſolute aliter eſſe queat, ſecundum tamen ordina-

natam poteſtatem aliter ſe habere non poteſt. Hoc modo certum eſt: *Solem cras oriturum: Ecclypſim ſuo tempore futuram: Materiam ſine accidentibus non eſſe: Ignem comburere:* aliaque Phyſica ſexcenta, quæ ita eſſe debent juxta ſtatutas naturæ leges, ordinatumque curſum, quamquam abſoluta DEI poteſtate aliter contingere poſſit. Ad hanc certitudinem reducitur quidquid ſenſuum teſtimonio clare percipitur, quodque facto ipſo certum eſt. Quare quod Conſcientiam, & Mores ſpectat, certo illicitum erit quidquid ita diſtincte, & clare præceptum, aut prohibitum eſt, ut ignorari non poſſit. Quo certitudinis, & Evidentiæ genere certa ſunt Divina, aut Humana præcepta, Decalogi, Eccleſiæ, aliaque aut generalia, aut ſpecialia, quando ita proponuntur, ut eorum intelligentia, ac obligatio ignorari nequeat. Nam quod ſpectat rigoroſa præcepta Legis naturæ, ea potius ad Metaphyſicam certitudinem pertinere dicendum eſt, ut alias apparebit.

5. Certum *moraliter*, quod neque ſuapte natura, neque ordinario curſu habet, ut aliter eſſe non poſſit, atque ideo aliter eſſe poteſt, hoc tamen difficillime, & perraro contingit eſſe. Hæc certitudo duplex aſſignari poteſt, *perfecta*, & *imperfecta*.

Perfecta, quæ nullam obſcuritatem, aut dubium deliberatum etiam imprudens relinquit, cujuſmodi certe eſt hæc propoſitio: *Exiſtit Roma*. Hanc enim Urbem exiſtere ita *moraliter* certum eſt iis, qui eam nunquam viderunt, ut nullum omnino dubium relinquatur, idque ob univerſale, & conſtans hominum teſtimonium, & hiſtoriæ auctoritatem; quamquam ii abſolute & falli, & fallere poſſint.

Imperfecta, quæ poteſt relinquere aliquam obſcuritatem, & admittere dubium aliquod ſaltem imprudens, ut aliquando contingit in objectis Fidei, de quorum credibilitate *moraliter* tantum certi ſumus.

Ad hoc ſecundum genus moralis certitudinis reduci poteſt quidquid omnibus, vel fere omnibus in ſua facultate verum videtur. Difficillimum eſt enim, quamquam poſſibile, falli, ac decipi omnes. Item quod multis magnis rationibus innititur, licet earum nulla certa, & cogens ſit, ut contra nulla ſolida, ac gravis ratio inveniatur.

Certitudo moralis, præſertim *imperfecta*, eſſe poteſt tantum reſpectiva. Unde fit, ut aliquid ſit certum aqud multos, non apud omnes. Quamquam hæc comparativa certitudo, mera potius probabilitas, quam vera certitudo, rigoroſe dici debet.

6. Quod opponitur certitudini, aut Mathematicæ, aut Metaphyſicæ, aut Phyſicæ, aut Morali proprie error dicitur: licet error, & falſitas in omni re locum habeat. Itaque omne hæreticum, & erroneum eſt falſum, non viciſſim omne falſum eſt erroneum, aut hæreticum, neque omne erroneum hæreticum, modo ſuperius explicato. Nam error his omnibus latius patet. Atque error hujuſmodi, ut eſt in rebus, error *objectivus*, & *materialis* dici poteſt; ut autem eſt in mente *ſubjectivus*, & *formalis*. Error etenim hujuſmodi eſt aſſenſus mentis ſcienter approbantis falſum pro vero, vel verum pro falſo.

1. Cor. Hinc etiam incertitudo *formaliter* in indiviſibili conſiſtit, proindeque non datur aliquid

quid magis, vel minus incertum alio. Nam incertitudo in negatione conſiſtit. (*a*) negatio vero in indiviſibili. (*b*)

(a) *per præced.*
(b) *per Can.* 7.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt *formaliter*, quia *materialiter* idem de incertitudine, atque de falſitate ſentiendum eſt. Cum etenim hoc modo res queant eſſe aliæ aliis certiores (*c*), iis oppoſitæ erunt quoque magis, vel minus incertæ, quia Oppoſitorum eadem eſt diſciplina (*d*) Verum *formaliter* in eodem genere una magis, aut minus incerta alia eſſe non poteſt. Ex. ca. Unum in genere certitudinis phyſicæ, aut moralis perfectæ, vel imperfectæ nequit eſſe magis, vel minus phyſice, aut moraliter incertum alio, ſed omnia incerta in eodem genere *formaliter* æque incerta ſunt.

(c) *per Schol. Cor. Def.* 2.
(d) *per Can.* 6.

2. Certum *moraliter* ſaltem *imperfecte* eſt quidquid omnes, vel fere omnes Theologi, Philoſophi, Moraliſtæ &c. in ſua facultate concorditer docent. Quod non ex ſola auctoritatis conſenſione deſumendum eſt, ſed etiam ex ratione; & eo ſenſu, quo in Schol. def. 29. n. 1., & in Schol. Supp. 3. magis explicabitur. Nam omnes non niſi certis rationibus in aliquid conſpiraſſe præſumuntur. Item loquendo de interpretatione alicujus Legis, vel mente Doctoris alicujus, quod ab omnibus magnis Interpretibus eodem modo intelligitur, & explicatur. Quod ſi contra in intellectu, vel explicatione Legis, aut Loci alicujus Interpretes etiam diſſentiant inter ſe., illa Lex, vel Locus ille non certus, & clarus, ſed obſcurus, & ambiguus reputandus eſt.

3. Hinc

3. Hinc ea ſententia de moribus certa eſt, quæ vel manifeſtis Scripturis, vel Traditione, vel Eccleſiæ declaratione, ac definitione, vel evidenti ratione, vel concordi fere omnium Theologorum, aut Moraliſtarum, aut Canoniſtarum &c. ſenſu probatur, vel etiam ita multis gravibus momentis nititur, ut contra nulla magna ratio reperiatur: vel quæ ex aliquo iſtorum evidenter deducitur. Quæ autem alicui ex his fundamentis certitudinis certo opponitur, certo falſa, ideoque error eſt. Similiter id certo eſt illicitum, quod vel claro, & expreſſo præcepto his fundamentis contento prohibetur, vel præcepto ex iſtorum aliquo evidenter deducto. Quod ſi contingat ſecus, certo illicitum non eſt.

VI.

Dubium eſt ſuſpenſio intellectus circa utramque partem contradictionis.

Nempe cum Mens inter duo oppoſita ita fluctuat, ut in neutram partem determinet ſe, neutrique aſſentiat, vel diſſentiat.

Apud Veteres, dubium, & ambiguum aliter varie ſumtum eſt, & præcipue pro formidine, ut penes Doctores videre licet.

SCHOLIUM.

Multiplex aſſignatur, *Speculativum*, *Practicum*, *Poſitivum*, *Negativum*, *Juris*, *Facti*.

Speculativum, quod verſatur circa rem ſecundum ſe tantum conſideratam, & omnibus exutam circumſtantiis, neque ad operationem refertur.

Pra-

Practicum, quod verſatur circa rem affectam omnibus praxeos circumſtantiis, ſeu exercendam hic, & nunc.

Poſitivum, quod inter æquales, vel inæquales rationes utriuſque partis verſatur.

Negativum, quod pro una parte ſufficientem rationem non habet.

Juris, quod circa licitum, vel illicitum, vel etiam validum, aut invalidum operis occupatur.

Facti, quod circa aliquod contingens, num ſcilicet actum, vel non, hoc modo, vel alio ſit &c.

Potiſſimum dubii *Juris Speculativi*, & *Practici* in hac quæſtione habenda ratio eſt.

V I I.

Opinativum, quod uni contradictionis parti adhærens cum formidine de oppoſita, determinate neque eſt verum, neque falſum, ſed poteſt eſſe verum, vel falſum.

Formido autem eſt, ne oppoſita contradictionis pars re ipſa vera ſit.

Cor. 1. Hinc omne *Opinativum* eſt incertum, quia hoc non eſt certo verum, aut falſum, ſed poteſt eſſe verum, vel falſum: (*a*) & æqualiter incertum, quia incertitudo in indiviſibili conſiſtit. (*b*) Unde *Opinativi* objectum eſt contingens, ideoque potens aliter ſe habere; non quod re ipſa debeat eſſe tale, cum etiam de objecto neceſſario opinio dari poſſit, ſed quod ut contingens Intellectui repræſentetur.

(a) *per Def.* 5.
(b) *per Cor.* 1. *ejuſd.*

2. Adhæſio hæc *Opinativi* non eſt firma, & perfecta; ſed infirma, & imperfecta; cum conſtet, mentem ei parti contradictionis firmiter, & perfecte adhærere non poſſe, cujus oppoſitam

poſſe

poſſe eſſe veram putat. Vel etiam, quia id, cui Mens firmiter adhæret, certum eſt. (*a*)

(a) *per Def.* 4.

VIII.

Probabile, quod nititur fundamento ſolido, ac magno.

IX.

Probabilius, quod fundamento majore, ac ſolidiore.

X.

Probabiliſſimum, quod fundamento maximo. Nempe ut inter probabilia principem locum obtineat.

Atque hæc de natura, & diviſione *probabilis*, hic ad Doctrinæ Methodum dixiſſe ſufficiat. Nam eadem de re iterum infra redibit ſermo, cum opinionum probabilitatem exacte deſcribemus.

XI.

Improbabile, quod vel ſolum deſtituitur fundamento gravi, vel etiam contra ſe habet motivum certum.

Primum eſt *improbabile negativum*, ſecundum *poſitivum*, ſeu certo falſum, cum ſit hujuſmodi, quod alicui certo fundamento opponitur. (*b*)

(b) *per Schol. Def.* 5. *n.* 6.

SCHOLIUM.

NONNULLI Probabilioriſtarum definiunt *probabile*, quod ſit *veroſimile: minus appropinquans veritati: minus conforme Rationi rectæ: probabi-*

babilius autem *veroſimilius: magis appropinquans veritati: magis rectæ Rationi conforme*. Immo dicunt, *probabile probabiliori* comparatum abſolute rectæ Rationi conforme non eſſe. Addunt, hoc *probabile* idem illud eſſe, quod Academici defendebant, eoque omnia ſcelera ſibi licita reputabant, quodque propterea in iis Auguſtinus Lib. 3. contra Academicos præſertim cap. 16. tam acriter inſectatus eſt.

Sed quod primum attinet, ſi intelligatur de reali veritate, aperte falſum eſt. Cum etenim veritas in indiviſibili conſiſtat, (*a*) liquet, non poſſe aliquid re ipſa eſſe minus, aut magis ſimile veritati, eidemque minus, ac magis appropinquare. Idem de conformitate ad Rationem rectam dicendum eſt, cum etiam hæc conformitas major, aut minor eſſe non poſſit, quandoquidem etiam iſta in indiviſibili conſiſtit. Difformitas enim conſiſtit in negatione (*b*): negatio vero in indiviſibili (*c*) & Contrariorum eadem eſt lex. (*d*)

(a) *per Cor. Def.* 2.

(b) *per Def.* 2.

(c) *per Can.* 7.

(d) *per Can.* 6.

Illud vero, quod additur de *probabili* comparato, pariter falſum eſt, ut infra demonſtrabitur. Itaque tota iſta major, aut minor ſimilitudo, vel propinquitas ad veritatem, aut conformitas ad Rationem rectam, non *abſoluta*, *realis*, & *objectiva*, ſed *apparens*, *ſubjectiva*, & *reſpectiva* eſt, locum tantum habens in mente opinantis.

An denique *probabile* Academicorum idem fuerit ac noſtrum, etſi manifeſte falſum eſt, determinare nihil attinet. Nobis enim nunc eſt ſatis, illud niti fundamentis vere ſolidis, ac magnis, ut definitione conſtituimus: quibus utrum omnia ſcelera licere poſſint, necne, Lectores Opere decurrente cognoſcent. Cæterum definiatur a Probabilioriſtis *probabile*, & *probabi-*

babilius, ac utrumque habeatur ut libet, per Nos licet. Tantum ut definitiones noſtræ ab iis admittantur. Ad nos enim ſpectat definire, ad illos vero noſtris definitionibus ſtare. (*a*)

(a) *per Can.* 4.

XII.

Licitum, quod nullo Præcepto prohibetur.

Hoc eſt, aut non prohibetur, ne fiat, aut non injungitur, ut fiat.

XIII.

Illicitum, quod aliquo Præcepto inhibetur.

Videlicet, aut prohibetur, ne fiat, & fit, aut jubetur, ut fiat, & non fit.

Licitum ut tale eſt bonum, ſicuti illicitum ut tale eſt malum.

XIV.

Bonum morale, quod eſt conforme rectæ Rationi, quodque vel eſt a Virtute, vel aptum generare Virtutem.

XV.

Malum contra *morale*, quod eſt difforme, ſeu non conforme rectæ Rationi, aut Virtuti.

Unde malum in negatione conformitatis ad rectam Rationem conſiſtit.

SCHOLIUM.

BONI hujus definitio ex Scoto, & Okamo ſumpta eſt. Scotus enim in 4. diſt. 14. quæ. 2. §. In iſta quæ. docet; *quod bonitas actus moralis conſiſtit in hoc, quod ſit actus conformis recta*

recta rationi, & quod ſit a virtute, vel aptus generare virtutem.

Okamus vero in 3. Sent.. q. 13. lit. B docet: *quod actus rectus, & virtuoſus voluntatis neceſſario conformatur rationi rectæ; quodque ſine ratione recta hujuſmodi eſſe non poteſt; & quod talis actus conformatur actui prudentiæ; quodque ad rectitudinem actus voluntatis requiritur prudentia actualis inhærens actualiter illi, cujus eſt talis actus rectus.*

Jam vero dictum eſt *quod ſit a virtute, vel aptum generare virtutem* ad deſignandos actus morales a virtute tum elicitos, tum imperatos, ut inferius conſtabit.

Cor. 1. Hinc actus moraliter bonus, virtuoſus, prudens, conformis Rationi rectæ idem eſt, ſicuti idem eſt bonitas moralis, virtus, prudentia, Ratio recta; ideoque agit bene, virtuoſe, ſecundum rationem rectam, qui agit prudenter, & viciſſim. Quod magis alias patebit.

2. Hæc boni conformitas, & mali difformitas *formaliter* in indiviſibili conſiſtit, quia negatio, cujuſmodi eſt mali difformitas, in indiviſibili conſiſtit (*a*): & Oppoſitorum eadem eſt diſciplina (*b*). Quare unus actus moraliter bonus nequit eſſe, magis, vel minus conformis virtuti, prudentiæ, Rationi rectæ alio. Etenim ſi eſſet minus conformis, foret non conformis, ſed difformis, hoc eſt non bonus, ſed malus.

(a) *per Can.* 7.
(b) *per Can.* 6.

X V I.

Melius, quod in eadem virtutis ſpecie magis ad illam accedit.

Scilicet quod intra limites virtutis ad ejus medium plus appropinquat. Quo ſenſu unus

actus

actus virtutis dicitur melior alio. Nam hoc loco *melius* ita ſumitur.

Cor. 1. *Melius* non eſt conformius rationi rectæ, virtuti, prudentiæ, quam *bonum*, cum iſta conformitas in indiviſibili conſiſtat (*a*). Unde ſi *bonum* eſſet minus conforme rationi rectæ, quam *melius*, eſſet abſolute difforme, ideoque non *bonum*, ſed *malum*. Quare *melius* in eadem indiviſibili conformitate ad rationem rectam conſiſtens cum *bono*, magis quam *bonum* ad virtutis medium appropinquat, ut Ax. 17. apparebit.

(a) *per Cor. præced.*

2. *Bonum*, & *melius* per ſe eſt licitum, cum conſtet, nullo præcepto per ſe prohiberi poſſe. Dicitur autem *per ſe*, quia aliunde fieri poteſt, ut prohibeatur. Sic *bonum*, & *licitum* eſt die Veneris Ova comedere, *melius*, & *licitum* Vovere: ſed ſi quis voverit eo die comedere Piſces, aut Superior vovere prohibeat, neque Ovorum comeſtio, quæ eſt *bonum*, neque Voti emiſſio, quæ eſt *melius*, licita amplius, ſed illicita, & mala eſt.

XVII.

Temerarium, quod nullo motivo magno, ac gravi nititur.

XVIII.

Prudens contra, quod motivo gravi, ac ſolido nititur.

XIX.

Prudentius, quod motivo majore, ac ſolidiore.

Pru-

X X.

Prudentiſſimum, quod motivo inter limites Prudentiæ maximo.

SCHOLIUM.

ADVERTAT Lector, nos hoc loco ſumere *Prudens*, *ac Temerarium* tantum quod ſpectat ad rationem judicii de bonitate, vel malitia operationum, ſeu de licito, & illicito per inveſtigationem rationum, quibus aliquid permiſſum, vel inhibitum judicatur. Quo modo ſumitur *temerarium* a D. Antonio Par. 2. Sum. tit. 12. cap. 5. in materia Fidei, & Morum neceſſaria ad ſalutem, nempe cum aſſeritur tanquam certum, *quod non poteſt ratione, vel auctoritate probari efficaciter*. Non vero ſumere quod ſpectat impetum paſſionis, vel contemptum regulæ dirigentis: quomodo ſumitur *temerarium* a D. Thoma 2. 2. quæ. 53. art. 3. ad. 2.. Quod pertinet ad eas prudentiæ partes, quæ Conſilium, & Judicium dicuntur, in quibus motiva de actionis honeſtate, vel pravitate inveniuntur, & expenduntur, ut magis infra conſtabit.

Cor. Hinc evidenter liquet, *temerarium*, ſeu *imprudens* hoc pacto ſumptum eſſe idem, ac *improbabile*, *prudens* idem, ac *probabile*, *prudentius* idem, ac *probabilius*, *prudentiſſimum* idem, ac *probabiliſſimum*, ſeu hæc eſſe Synonyma: atque propterea judicare de licito, aut illicito, & agere *prudenter* qui *probabiliter*, *prudentius* qui *probabilius*, *prudentiſſime* qui *probabiliſſime*, *temere* vero, & *imprudenter* qui *improbabiliter* judicat, & operatur: quandoquidem

etiam

(a) *per Def.* 11. (b) *per Def.* 8. (c) *per Def.* 9. (d) *per Def.* 10.

etiam *improbabile* nullo gravi motivo (*a*), *probabile* gravi, & magno (*b*), *probabilius* majore (*c*), *probabiliſſimum* maximo fundamento nititur (*d*).

SCHOLIUM.

PROBABILIORISTÆ conſtánter negant, *probabile* eſſe idem, ac *prudens* cum *probabiliori* comparatur, ideoque judicare, & agere *prudenter*, qui in conflictu probabilioris opinionis ſtantis pro Lege ſecundum minus probabilem libertati faventem judicat, & operatur. Sed id ab iis nondum exigimus. Satis eſt nunc, ut admiſſis his definitionibus, ut debent (*e*), concedant, *probabile* abſolute, & ſeparatim acceptum eſſe idem, ac *prudens*. Quod ſi neque hoc dare velint, nos cum illis non magnopere contendemus. Nam quod nunc, ut ordo Doctrinæ poſtulat, definitionibus traditur, infra ſuis locis multipliciter demonſtrabitur. Qua propter allatas definitiones nunc accipiant ut lubet. Alias hæc omnia invenient demonſtrata.

(e) *per Can.* 4.

XXI.

Tutum, quod removet a periculo, *tutius* quod magis removet.

SCHOLIUM.

I.

CUM autem triplex periculum diſtingui poſſit, nempe errandi, peccandi, & damni incurrendi, hinc *tutum* triplex eſſe poteſt, *tu-*

tum.

tum ab errore, *tutum a peccato*, & *tutum a damno*. Error vero, ſicut & peccatum poteſt conſiderari dupliciter, *materialiter*, & *formaliter*.

1. Error *materialis* dicitur, qui re vera opponitur certæ veritati, (*a*) tamen non cognoſcitur, nec cognoſci debet, aut poteſt. (a) *per Sch. Def. 5. n. 6.*

Peccatum *materiale* eſt actio, quæ aliquo præcepto vere prohibetur, ſeu opponitur certæ Legi, hoc tamen non cognoſcitur, nec cognoſci debet, aut poteſt. Quæ verba in his definitionibus addita ſunt ad excludendam ignorantiam vincibilem veritatis, & præcepti, in qua error, aut peccatum tantum materiale dari non poteſt.

2. Error *formalis* dicitur aſſenſus mentis ſcienter approbantis verum pro falſo, vel falſum pro vero (*b*). Quod etiam locum habet, cum id, quod eſt verum, ab errante tamen falſum reputatur. (b) *per idem.*

Peccatum *formale* eſt actio contra præceptum, quod vel vere exiſtit, ſimulque ſcitur exiſtere, vel debet, & poteſt ſciri exiſtere, vel exiſtere reputatur. His verbis continentur omnes caſus, quibus ex Conſcientia, vel recta, vel erronea, vincibili, aut invincibili, *formaliter* errari, & peccari poteſt, ut conſideranti liquet.

SCHOLIUM II.

SUNT ex Probabilioriſtis, qui præfatam peccati diſtinctionem rejiciunt, eamque a nobis ad quæſtionem involvendam excogitatam arbitrantur. Exiſtimant enim, actionem Legi vere exiſtenti oppoſitam peccatum *formale* eſſe,

utcumque Legis illius exiſtentia ignoretur, tamen ad culpam non imputari.

Sed primum ejus diſtinctionis vel ipſe meminit D. Thomas Quodl. 3. art. 27., & uſus eſt. Deinde hoc nihil refert, cum diffidentia hujuſmodi non rei, ſed puri nominis ſit. Nam nec nos ipſi peccati *materialis* nomine aliud, quam culpam non imputabilem intelligimus. Ex quo patet, utri quæſtionem ipſam involvere dicendi ſint, an nos, qui ad eam ſolvendam utimur plana quadam rei diſtinctione, an illi, qui pura quadam nominali ſubtilitate.

XXII.

Tutum ab errore, & *a peccato*, quod removet a periculo erroris, & peccati, vel *materialis* ſimul, & *formalis*: vel ſolius *formalis*. *Tutum* primo modo, *tutum ſimpliciter*; *tutum* vero ſecundo modo, *tutum ſecundum quid*, doctrinæ cauſa, poſſumus appellare.

XXIII.

Tutius ab errore, & *a peccato*, quod a periculo erroris, & peccati tam *formalis*, quam *materialis* magis removet.

XXIV.

Tutum a damno, quod a gravi malo incurrendo removet, *tutius*, quod magis removet.

Hæc ita ſubtiliter, & minute diſtinguere, ac definire placuit ad tollendas omnes ambiguitates.

SCHOLIUM.

PORRO hæc Doctrina exemplis magis explicabitur.

1. Quod in Speculativis eſt *certo* verum, & in Practicis favens libertati *certo* licitum, eſt *ſimpliciter tutum ab errore*, & *peccato*, & *tutum* etiam *a damno*, quia ſentiendo, quod *certo* verum, & operando, quod *certo* licitum, nullum eſt periculum, aut *formaliter*, aut *materialiter* errandi, vel peccandi, vel grave aliquod malum per ſe incurrendi, ut liquet.

2. Quod vero eſt tantum *opinative* verum in Speculativis, vel favens libertati *opinative* tantum licitum in Practicis, ſi ſit *tutum*, non poteſt eſſe *tutum* niſi *ſecundum quid*; quia cum *opinativa* ſint incerta, (*a*) poſſunt eſſe a parte rei illicita, ac falſa; ideoque qui ſentit, quod *opinative* ſolum eſt verum, vel facit, quod ſolum *opinative* eſt licitum, periculo ſe exponit *materialiter* peccandi, & errandi, aut etiam gravis mali incurrendi.

(a) *per* *Cor.* 1. *Def.* 7.

3. Quod autem in Speculativis favet certæ veritati jam notæ, *vel conſonat communitati Magiſtrorum*, & *pietati*, *ac humilitati Sanctorum* (verba ſunt D. Bonaventuræ in pr. diſt. 26. art. 1. qu. 2.), videlicet quod pietatem fovet, ac pium eſt: in Practicis vero favet Legi, *tutius* eſt, ſive ſit in ſe verum, ſive opinativum, ſive etiam falſum; quia ita ſentiendo, & operando, adhuc magis recedimus a periculo erroris, & peccati tum *formalis*, tum *materialis*, & damni alicujus incurrendi, ita ut impoſſibile ſit, ut hoc modo vel *formaliter*, vel

materialiter erremus, aut peccemus, aut grave malum aliquod incurramus. Quoniam de peccato, & damno res facilis intellectu eſt, afferamus exemplum aliquod de errore in Speculativis, ut hæc Doctrina de eo, quod eſt *tutius* in iſtis, in quibus difficilius intelligitur, magis innoteſcat.

Docet Fides generalem Carnis reſurrectionem. Hæc veritas jam cognita & certa eſt. Inquiritur a Theologis, num aliqui ſint non morituri, ideoque non reſurrecturi. Nonnulli affirmant, nonnulli negant probabiliter, aut probabilius. Sententia negans, ſive ſtatuatur probabilis, ſive probabilior affirmante *tutior ab errore* eſt, & ita vocatur a D. Thoma, ut alibi apparebit; quia etſi reipſa falſa eſſet, eam tamen tenendo, nullum eſt periculum amittendæ illius certæ veritatis de univerſali reſurrectione, quinimmo per illam magis confirmatur, ac ſtabilitur: tenendo vero contrariam affirmantem, eſt periculum amittendæ hujuſce veritatis, ſi nempe ea forte reipſa falſa eſt. Simile de multis aliis eſto judicium.

4. *Tutius* ſemper, & quacumque comparatione eſt id, quod vergit in favorem certæ veritatis, Legis, & carentiæ cujuſque mali, quia ſi teneatur, aut fiat, impoſſibile eſt, ut adſit periculum aut *formale*, aut *materiale* veritatis amittendæ, vel violandæ Legis, vel mali alicujus incurrendi.

5. Quod ſi ex utraque parte ſit periculum peccati, id eſt *tutius*, quod removet a majori periculo *ſimpliciter*, vel a periculo majoris peccati. Exemplum ſit in Sacerdote invenien-te Juvenem moribundum dubie diſpoſitum ad

abſo-

abſolutionem : quem ſi abſolvat , forte Sacramentum irritum facit , ſi non abſolvat , forte peccat contra charitatem, illum exponendo periculo æternæ damnationis . In hoc caſu *tutius* eſt abſolvere , ut cogitanti liquet.

6. *Minus* vero *tutum* in Practicis comparatum *tutiori* ſemper eſt id , quod libertati favet . Nam minus removet a periculo vel *materialiter* ſimul, & *formaliter* , vel ſaltem *materialiter* peccandi ; quamquam poſſit eſſe in ſe *tutum* , *tutiſſimum* , ut patet in licito *opinative* , in quo periculum reperitur peccati ſaltem *materialis* , & potiſſimum in *certe* licito , in quo periculum nullum reperitur. (*a*) Aliquando vero *minus tutum* eſt idem ac *non tutum* , ſeu non licitum , ac deducibile ad praxim . Quod ex ſermonis contextu , aliiſque circumſtantiis deſumendum eſt. Nam alioqui nomen comparativum, ſi uſurpetur de eodem ſubjecto, per ſe infert formam *poſitive* in ipſo exiſtentem (*b*): ideoque *minus tutum* per ſe infert ſecuritatem.

7. *Tutius* proprie ſe tenet ex parte rei , ſeu objecti, *tutum* vero ex parte ſubjecti, ſeu operantis , hoc eſt *tutius* deſumitur ex parte materiæ, ex. ca. ex parte veritatis in Speculativis, vel ex parte Legis , ſeu Præcepti in Practicis ; *tutum* vero a certitudine , vel opinione operantis. Nam ſicut certitudo *formaliter* (*c*), ita & opinio, ac probabilitas utpote aſſenſus mentis, ſicuti Def. 25. 26. videbitur, multo magis non in re, ſed potius in mente eſt: & *tutum* eſt, quod vel *certo* , vel *opinative* verum, aut licitum eſt (*d*); *tutius* autem quod certæ veritati, aut legi favet. (*e*)

8. *Tutius* non eſt idem , ac *certum* , vel *probabiliſſimum* , vel *probabilius* , vel *probabile* :

(a) *per Schol. præſens num.* 1. & 2.

(b) *per Can.* 12. *num.* 2.

(c) *per Sch. Def.* 2. *num.* 2.

(d) *per Sch. præſ. num.* 6.

(e) *per idem n.* 4.

tum quod illud ſe tenet ex parte objecti, hæc vero ex parte ſubjecti (*a*): tum quod *tutius* ſignificat majorem remotionem a periculo, iſta vero majorem, vel minorem mentis aſſenſionem, & adhæſionem, ut de *certitudine* jam patet ex Def. 4., & de *probabilitate* magis patebit Def. 26. 27. 28. : tum quod *tutius* poteſt eſſe etiam *falſum*, & *improbabile*. Plures enim opiniones tutiores ſunt improbabiles, ut illa, quæ requirit Contritionem perfectam ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ. Itaque *tutius*, ſeu favens Legi poteſt eſſe *certum*, *probabiliſſimum*, *probabilius*, *probabile*, & *improbabile*, ac *falſum*: Contra vero *certum*, *probabiliſſimum*, *probabilius*, *probabile* poteſt eſſe *minus tutum*, ſeu favens libertati, modo ſuperius explicato.

(a) *per idem num. præced.*

9. Quod eſt *bonum*, aut *melius* per ſe eſt *ſimpliciter tutum*, cum repugnet in eo peccatum vel *formale*, vel *materiale* eſſe poſſe. Immo *melius* comparate ad *bonum* in eadem ſpecie poteſt, & ſolet dici *tutius*: quia conſtat, operantem quod eſt *melius* in eadem virtute, magis adhuc recedere a traſgreſſione, quippe qui ad virtutem magis accedit. Quamquam in rigore id, non niſi improprie *tutius* dici poſſit, ut conſideranti patet.

Dictum eſt *per ſe*, quia aliunde fieri poteſt, ut *bonum*, aut *melius* non ſit licitum (*b*), ideoque neque *tutum*, ut ex n. ſequenti liquet.

(b) *per* Cor. 2. *Def.* 16.

10. Quod eſt *certo* falſum in Speculativis, aut *certo* illicitum in Practicis, nullo modo poteſt eſſe *tutum*, quia illud ſentiendo, aut faciendo, & *materialiter*, & *formaliter* erramus, ac peccamus. Quod autem eſt *opinative* falſum (ideoque & verum) vel illicitum, poteſt eſſe *tutum ſecundum quid*, quo modo ſupra n. 2. explicavimus.

Opi-

XXV.

Opinio eſt aſſenſus mentis ad unam partem contradictionis cum formidine de oppoſita.

Hoc eſt ne oppoſita forte ſit vera, ideoque ea, cui mens aſſentit, falſa.

Nomen Opinionis etiam aliis modis ſumitur tum apud S.S. Patres, tum etiam apud antiquos Scholaſticos, alioſque Doctores, nempe pro levi credulitate, pro apparenti perſuaſione &c.; ſed hoc loco a nobis ſumitur, ut definitum eſt.

Cor. 1. Hinc omnis Opinio eſt incerta, & æqualiter, quia hujuſmodi eſt omne Opinativum (*a*). (a) *per* Cor. 1. *Def.* 7.

2. Iſte aſſenſus non eſt firmus, & perfectus, ſed imperfectus, & imbecillis. Perſpicuum eſt enim, Intellectum perfecte aſſentire non poſſe ei parti, quam formidat eſſe falſam.

3. Opinio non eſt error, nec *materialis*, neque *formalis*. Non *materialis*, quia hujuſmodi eſt, quod eſt certo falſum (*b*): Opinio autem non eſt certo falſa, ſed incerta (*c*). Non *formalis*, quia iſte eſt aſſenſus mentis ſcienter approbantis verum pro falſo, vel falſum pro vero (*d*): Opinio autem aſſenſus uni parti tantum cum formidine de oppoſita. (b) *per* *Sch: Def.* 5.*num.*6. (c) *per* *Cor.*1.*hujus*. (d) *per* *Sch. Def.* 5.*num.*6.

Unde Alex. Alen. Par. pr. Sum. Theologicæ quæſt. 68. art. 2. ad. 2.. *Ubi eſt opinio non eſt error. Nam error* (nempe *formalis*) *ponit pertinaciam ſententiæ, cum falſum aſſeritur verum, & verum falſum*.

4. Opinio non eſt dubium, neque cum illo coire poteſt, quia dubium proprie eſt ſuſpenſio aſſenſus (*e*). Dicitur *proprie*, quia ſi dubium (e) *per* *Def.* 6.

ſumatur pro formidine (*a*), jam ex definitione ipſa patet, Opinionem etiam dubium eſſe.

5. Opinio poteſt eſſe tuta *ſecundum quid*, quia *opinative* licita *tuta* hoc modo eſſe poſſunt (*b*).

(a) *per eandem*

(b) *per Sch. Def.* 24. *n.* 2.

XXVI.

Opinio probabilis eſt aſſenſus nixus fundamento vere *abſolute*, & *reſpective* gravi, ſolido, ac magno, quod Virum Sapientem, ac Prudentem ad talem aſſenſum per ſe movere, atque determinare poteſt.

XXVII.

Opinio probabilior aſſenſus nixus fundamento vel *abſolute*, vel *reſpective* majore, graviore, ac ſolidiore, quod Virum Prudentem, ac Sapientem ad talem aſſenſum magis per ſe movere, ac determinare poteſt.

XXVIII.

Opinio probabiliſſima aſſenſus nixus fundamento maximo, quod Sapientem, ac Prudentem Virum ad talem aſſenſum maxime per ſe movere, ac determinare poteſt.

SCHOLIUM.

ITAQUE *probabiliſſima* inter opiniones locum principem obtinet. Hæc a quibuſdam dicitur *moraliter* certa; quod aliquo ſenſu verum eſſe poteſt. Cum enim ſupremum infimi attingat infimum ſupremi, quod eſt maximum in *probabilitate*, poterit eſſe infimum in *morali certitudine*. Sed, ut ut vocetur *Opinio probabiliſſima*, ad inſtitutum nihil facit.

Opi-

XXIX.

Opinio æque probabilis, quæ æquali fundamento, atque oppoſita nititur.

SCHOLIUM.

1. CUM autem fundamentum ſit duplex, a ratione, & ab auctoritate, hinc Opinionis probabilitas dupliciter deſumitur, a ratione, & ab auctoritate. Primo modo ſumpta dicitur *intrinſeca*, ſecundo *extrinſeca*.

Itaque Opinio probabilis *intrinſece*, quæ fulcitur rationibus ſolidis, ac magnis: probabilior, quæ ſolidioribus, ac majoribus: æque probabilis, quæ æqualiter gravibus, ac magnis.

Probabilis *extrinſece*, quæ auctoritate magna: probabilior, quæ majore: æque probabilis, quæ æquali nititur. Utrumque fere ſemper conjungitur in Scientia Morali, quamvis in Praxi unius ſine alio ſæpe ratio habeatur, uti in Idiotis Doctores conſulentibus contingit. Etenim in Morali Scientia non inveniuntur rationes magnæ ſine Doctore magno, & viciſſim. *Intrinſeca extrinſeca* potior eſt, ut liquet, quia iſta illam ſupponit. Nam humana auctoritas ſine ratione univerſim aut nihil, aut modicum valet. Atque Doctores non niſi cum ratione aſſerere præſumuntur. Dicitur *univerſim*, quia in iis, in quibus res pendet ex ſolo teſtimonio hominum, vel judicio prudentum, ſola auctoritas, etiam ſine ratione, plurimum valere poteſt.

Sint opiniones A, & B contradictoriæ. Altera ſit D. Thomæ, D. Bonaventuræ altera, & ambæ ſimul æque gravibus rationibus nitantur. Hæ

erunt

erunt & *intrinſece*, & *extrinſece* æqualiter probabiles, cum auctoritas Doctoris utriuſque æqualis ſupponatur. Quod ſi A addjiciantur aliæ rationes magnæ, vel auctoritas magna, v. g. S. Raymundi, S. Antonini, Scoti &c. A erit B, vel tantum *intrinſece*, vel tantum *extrinſece*, vel ſimul utroque modo probabilior. Porro cum hæc adjectio magis ſemper, ac magis, ut liquet, fieri poſſit, etiam probabilioritas ipſa major ſemper, ac major ad uſque certitudinem eſſe poteſt.

2. Hæc porro Doctrina exemplo Phyſico magis adhuc declarari poteſt. Sint faces duæ æqualis molis, v. g. quattuor librarum, & itidem duæ magnitudinis inæqualis, v. g. altera quattuor, altera ſex librarum. Illarum lumen æquale, iſtarum inæquale erit. Si tam primæ, quam ſecundæ in aliquo obſcuro Cubiculo binæ, & binæ ſimul e regione ponantur, unius lumen alterius non obſcurabit, aut abſorbebit, ſed utriuſque in binis primis diſtincte æquale, in binis ſecundis inæquale eſſe percipietur. Quod ſi ſeorſum ponantur, ex primis utraque æqualiter, ex ſecundis altera quidem magis, altera vero minus, ſed tamen ſufficienter Cubiculum illuminabit. Ita ſe habent opiniones vel æqualiter, vel inæqualiter probabiles comparatæ. Etenim Opinio licet ſubobſcurum, lumen tamen mentis eſt.

Advertat autem Lector, exemplum hujuſmodi hic a me ſumi, non ad probandum, ſed ad illuſtrandum, quod tale eſt, ut aptius, opinor, excogitari non poſſit.

XXX.

Opinio probabilis ſpeculative, quæ conſiderat actio-

actionis honeſtatem, vel malitiam in ſe non attentis omnibus Praxeos circumſtantiis.

XXXI.

Opinio probabilis practice, quæ cunctas Praxis circumſtantias expendit, & perſpectas habet.

An vere detur Opinio de moribus probabilis tantum *ſpeculative*, & non *practice*, determinare ad rem præſentem nihil attinet.

XXXII.

Opinio certo probabilis, de cujus probabilitate non dubitatur.

Hujuſmodi ſunt præſertim quæ ab Eccleſia tales declarantur, vel a Doctoribus eas ex profeſſo examinantibus habentur, ut inferius apparebit.

Aliæ probabilitatis diviſiones, quæ ab Auctoribus afferri ſolent, ad inſtitutum inutiles ſunt.

XXXIII.

Opinio improbabilis, quæ vel ſolum caret fundamento magno, vel ſimul etiam habet contra ſe motivum certum.

Prima dicitur *improbabilis negative*, ſecunda *poſitive*. Illa non eſt certo falſa, at vero iſta, quia quod certitudini opponitur certo falſum eſt (*a*).

(a) *per Schol. Def.* 5. *n.* 6.

SCHOLIUM I. ad Def. 26.

ANTIQUORUM nonnulli Opinionis probabilitatem ita definierunt, ut aliter ac nos intellexiſſe videantur. Etenim Albertus Magnus, qui quinque ab hinc ſæculis, & amplius ſcripſit, ita in Sum. de Creaturis par. 2. tract. 1. de ho-

homine quæſt. 51. art. 1. ad quæſt. incidentem deſcribit. *Opinio eſt acceptio unius partis cum formidine alterius, ita tamen, quod ad illam, quam formidat, non habet rationem expreſſam; formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis*. Hanc eandem definitionem ad verbum adoptavit etiam S. Antoninus par. 1. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 9. De aliis autem quibuſdam Doctoribus, quomodo probabilitatem acceperint, apud Scriptores videre eſt; atque de Auguſtino ipſo jam ex Scholio Def. 15. liquet.

SCHOLIUM II. ad Def. 26., & 27.

QUONIAM Definitiones *probabilitatis*, & *probabilioritatis* principales in hac re ſunt, ab iiſque tanquam a fundamentis tota præſentis ædificii conſtructio pendet; idcirco exacte expendendæ, & dilucide explicandæ ſunt, ne qua obſcuritas, aut ambiguitas relinquatur, neve Probabilioriſtæ aliquid in illis reprehenſione dignum merito reperire poſſint. Actutum enim eorum nonnulli dicunt, in iis a nobis committi Circulum, cum aſſeritur motivum illud ſolidum, ac grave, quod Sapientem Virum ad aſſenſum movere poteſt, propterea quod ſapiens, & prudens dicitur, qui non levibus, ſed magnis motivis moveatur: atque ideo ſtatui motivi gravitatem per approbationem Sapientum, & Sapientum approbationem per motivi gravitatem. Addunt, a Probabiliſtis nomine Sapientis non ſignificari Doctores vere Magnos, ſed etiam Proletarios, quorum proinde auctoritate, aut ſapientia pondus probabilitatis opinionibus conferri non poteſt. Tandem dicunt, probabilita-

tem probabilioritati comparatam, amittere vim movendi Sapientis animum ad aſſenſum.

1. Quapropter quod Def. 26. attinet, dictum eſt primo *fundamento vere*, *abſolute*, *&* *reſpective magno*. *Abſolute*, ut ſignificetur eſſe debere hujuſmodi ſecundum ſe, & non tantum ex accidente, puta ex vehementi paſſione, ex pertinacia, ex inordinatione affectus, ex negligentia inquirendæ veritatis, ex inſcitia, aut alio ſimili motivo. *Reſpective* ad ſignificandum debere eſſe magnum, ac ſolidum etiam attentis oppoſitis, ſive æqualibus, ſive etiam majoribus motivis; ita ut ab his non elidatur, & enervetur, ſeu ejus magnitudo, ac ſoliditas non auferatur. Unde Probabilitas in conſpectu Probabilioritatis non amittit vim movendi Sapientem ad aſſenſum, ſed utique movet, quamvis iſta magis, illa minus.

2. Nomine Sapientis, & Prudentis non quicumque, ſed Doctores ſcientia, ac probitate magni intelliguntur, v. g. S. Thomas, S. Bonav., S. Raymund., S. Antonin. (ſunt ne iſti Proletarii?) Scotus, Ægidius Romanus, cæterique Scholarum Principes, aliique innumeri, vel his ſimiles, vel ſuppares (verbo a nobis ii intelliguntur, quos etiam Probabilioriſtæ intelligunt, vel intelligere debent) qui omnes ſunt optime diſpoſiti ad intelligendum, & judicandum, quique niſi poſt maturum examen, exactamque rei diſcuſſionem, ſuam aſſenſionem opinionibus præbere non ſolent. His ſcilicet Doctoribus, & cum his conditionibus, motivum grave, magnum, ſolidum eſſe debet ad conſtituendam definitam probabilitatem.

3. Dictum eſt *quod poteſt movere per ſe Sapien-*

pientem, quibus verbis aſtruitur, motivum taliter ſolidum eſſe debere, ut ſuapte natura, ac vi aptum ſit Viri jam Sapientis mentem permovere ad aſſenſum, non quod Vir ſit Sapiens, propterea quia movetur eo motivo. Hujuſmodi fuerunt motiva, quæ in *Opinativis* impulerunt ad aſſenſum animum S. Bonaventuræ, & S. Thomæ. Ex quo liquet, Circulum a Probabilioriſtis nobis exprobratum omnino evaneſcere.

4. Quod vero ſpectat Def. 27. dictum eſt: *abſolute*, vel *reſpective*, quia Probabilioritas duplex eſt, *abſoluta*, & *comparativa*. Prima quæ nititur motivo re ipſa majori, ac ſolidiori, quam oppoſita. Secunda quæ motivo hujuſmodi tantum apparenti, ſeu juxta mentem opinantis. Illa *realis*, & *objectiva*, hæc *apparens*, & *ſubjective* vocari poteſt. Neutra determinatum quemdam, ac fixum per ſe probabilioritatis ſtatum habet, ſed utraque per gradus magis ſemper, ac magis ad uſque certitudinem creſcere poteſt, cum tum ratio, tum auctoritas major ſemper, ac major eſſe poſſit (*a*). Tam Probabilitas, quam Probabilioritas *abſoluta* cognoſcitur præſertim ex his duobus capitibus, nempe ex Eccleſiæ declaratione, & ex Doctorum conſentione. Nam ſi Eccleſia declarat aliquam opinionem eſſe, vel probabilem, vel probabiliorem, aut Doctores eam ex profeſſo examinantes affirment hujuſmodi eſſe, *vere*, *realiter*, & *abſolute* talis eſt, cum de hoc majus, & certius judicium haberi non poſſit.

(a) *per Sch. Def.* 29. *n.* 1.

Multæ opiniones ſunt univerſim ab Eccleſia declaratæ, & approbatæ tanquam abſolute, & vere probabiles, ut ſuo loco conſtabit, pauciſſimæ vero peculiariter veluti probabiliores. Inter-

ter has duæ potiſſimum fuerunt ſpeculativæ, altera de infuſione Virtutum Theologicarum in Parvulis per Baptiſmum, altera de immediata converſione aquæ in Vinum in Calice, quarum alteram veluti probabiliorem (nunc id de fide eſt, ut ex Trid. ſeſs. 6. cap. 7. liquet.) Clemens V., alteram Innocent. III., ut Docti norunt, declaravit. Quare probabilioritas univerſim non *realis*, *abſoluta*, & *objectiva*, ſed *apparens*, *ſubjectiva*, & *reſpectiva* eſt. Quamvis enim motiva graviora, ac ſolidiora præ oppoſitis vere in ſe eſſe poſſint, hic tamen exceſſus ob mentium diverſitatem, variamque diſpoſitionem vix cognoſcitur. Quo fit, ut non ſolum diverſi contradictoria habeant probabiliora, ſed etiam unus, idemque nunc idem probabile, nunc probabilius putet.

Atque ita Definitiones noſtræ his explicationibus a Probabilioriſtarum calumnia quodammodo vindicatæ nunc omnino fartæ tectæ ſunt. Quamquam neque defenſione opus erat. Primo enim hæ Definitiones potius nominis, quam rei ſunt, ut acrius conſideranti liquet: definitiones autem hujuſmodi arbitrariæ ſunt (*a*). Deinde cum Definitiones omnes maxime ab illis neceſſario admittendæ ſunt, quo modo a nobis concipiuntur (*b*), tum hæ præſertim, a quibus verus quæſtionis ſenſus pendet, quibuſque illius cardo, ut Scholii initio diximus, continetur. Neque etenim Probabiliſtæ alium Probabiliſmum admittunt, aut defendunt, quam qui a nobis definitus eſt. Quod ſi diverſam nihilominus ab expoſita illius naturam, ac notionem ſtatuentes, & Lectoribus, uti ſolent, obtrudentes, eum impugnare contra nos pergant, pergant porro.

(a) *per Method. Mathem.*

(b) *per Can.* 4.

Nos

Nos enim Definitionibus præfatis innixi, nihil cum illis rei in hoc certamine deinceps habentes, quieti ſedebimus, eoſque egregie Andabatas imitantes, cum joco, & riſu ſpectabimus.

COROLLARIA 26., & 27. *Def.*

1. HINC aſſenſus Opinionis tam probabilis, quam probabilioris non eſt firmus, & perfectus, ſed imperfectus, & infirmus, quamvis iſtius major, illius minor, quia nullius Opinionis aſſenſus perfectus eſt (*a*).

2. Tam Opinio probabilis, quam probabilior eſt incerta, & probabilior æqualiter incerta, ac probabilis, quia omnis Opinio hujuſmodi eſt (*b*). Unde aliter definiri poteſt *Probabilitas*, quod ſit fallibilis, & magna; *Probabilioritas* vero fallibilis, & major apparentia veritatis circa aliquod objectum.

3. Nec probabilior, nec probabilis eſt error neque *materialis*, neque *formalis*: tum quia nulla Opinio eſt ullo modo error (*c*): tum quia ſic non eſſet probabilis, ſed improbabilis, aut *poſitive*, aut *negative* contra hypotheſim: (*d*) tum denique quia hoc pacto animum ſapientis ad aſſenſum movere non poſſet, qui ſane errore non permovetur. Unde neutra opponitur alicui principio certo, ſeu eſt certo falſa, & neutra approbat falſum pro vero, vel verum pro falſo: cujuſmodi error eſt (*e*).

4. Opinio probabilis in conflictu probabilioris non amittit ſuam probabilitatem: & quia ita non eſſet etiam *reſpective* probabilis contra hypotheſim (*f*): & quia minus lumen in hypotheſi a majore non obſcuratur (*g*): & quia hoc mo-

(a) *per Cor.* 2. *Def.* 25.
(b) *per Cor.* 1. *ejuſd.*
(c) *per Cor.* 3. *Def.* 25.
(d) *per Def.* 33.
(e) *per Sch. Def.* 5. *n.* 6.
(f) *per Schol.* 2. *Def.* 26. 27. *n.* 1.
(g) *per Sch. Def.* 29. *n.* 2.

modo non eſſet incerta, ſed certo, ſaltem *negative* improbabilis, & falſa (*a*). Ex quo primo liquet, quam egregie hallucinentur vel in ipſo Diſputationis limine Probabilioriſtæ, dum paſſim reſpondent, opinionem probabilem in probabilioris conſpectu propriam amittere probabilitatem, quamquam id evidenter ſe deducere putent ex quodam textu S. Auguſtini contra Creſconium, quem nos Supp. 29., tanquam opportuniore loco, expendemus. Quæ hallucinatio hic primo leviter indicata, quippe graviſſima, & eſſentialis, ſæpius in decurſu Operis a nobis illis identidem exprobrabitur.

(a) *per Def.* 33.

5. Probabilis opinio eſt per ſe rectæ Rationi conformis, & non difformis. Nam ſi foret difformis, non fulciretur motivo gravi, neque Sapientis animum ad aſſenſum movere poſſet, cum repugnet eſſe rectæ Rationi difforme, quod fulcitur rationibus magnis, & Sapientem contra Rationem rectam conſulto aſſentiri poſſe. Et eſt æqualiter conformis, ac opinio probabilior, quia hæc conformitas in indiviſibili conſiſtit (*b*) Quare vel neutra, vel utraque rectæ Rationi conformis eſt.

(b) *per Cor.* 2. *Def.* 15.

Atque ecce primum demonſtratum, *probabile* eſſe conforme Rationi rectæ, & non difforme, ſicuti in Scholio Def. 11. polliciti ſumus.

6. Hinc opinio probabilis, non ſolum *abſolute*, ſed etiam *reſpective*, ſeu in conflictu probabilioris, eſt aſſenſus prudens. Alioquin quomodo Sapientis, & Prudentis animum, etiam in eo conflictu, permovere, atque determinare, licet minus quidem, quam probabilior, poterit, ut Definitionibus conſtituimus? An enim erit Prudens, ſi temere, & imprudenter aſſentiatur?

Adde, quod hujuſmodi aſſenſus eſt per ſe conformis Rationi rectæ (*a*), ideoque actus virtuoſus, bonus, rectus, prudens, cum hæc omnia idem ſint (*b*). Quapropter ſi Opinio probabilis talis remanet, etiam in conſpectu probabilioris (*c*), jam neceſſario erit vel in eo conſpectu prudens.

Atque hinc primo evidenter patet, *probabile* eſſe idem, ac *prudens*, ac proinde *probabilius* idem, ac *prudentius*, quemadmodum in Scholio Def. 20. affirmavimus.

(a) *per Cor. præc.*
(b) *per Cor.* 1. *Def.* 15.
(c) *per Cor.* 4. *huj.*

7. Utraque opinio poteſt eſſe tuta: tum quod Opinativa hujuſmodi eſſe poſſunt (*d*): tum quod utraque in comparatione ipſa eſt prudens, licet probabilior prudentior (*e*): *prudens* vero, quod eſt idem ac *bonum* (*f*), & *prudentius*, quod eſt idem, ac *melius* (*g*), per ſe eſt licitum, & tutum (*h*). Immo minus probabilis favens libertati in conſpectu probabilioris faventis legi, quantum ſpectat ad naturam opinionis, poteſt eſſe æqualiter tuta, ac probabilior favens libertati in conflictu minus probabilis faventis legi, quia æqualiter Opinio eſt. Itaque utraque poteſt eſſe tuta *ſecundum quid*, quamquam probabilior, conſiderata ut aliquid *melius*, poſſit eſſe tutior minus probabili, modo ſupra in Scholio Def. 24. n. 9. explicato.

(d) *per Schol. Def.* 24. *n.* 2.
(e) *per Cor. præc.*
(f) *per Cor.* 1. *Def.* 15.
(g) *per Def.* 16.
(h) *per Sch. Def.* 24. *n.* 8.

SCHOLIUM.

PROBABILIORISTÆ negant, Opinionem minus probabilem pro libertate, in conflictu probabilioris pro lege, eſſe conformem Rationi rectæ, prudentem, & tutam, affirmant vero de probabiliore favente libertati, in conflictu minus probabilis faventis legi. Rationem aſſignant,

quod

quod cum in obſcuris, & incertis certitudo haberi non poſſit, prudenter, recte, & tute agit, qui operatur id, quod verius licitum putat, ſecus vero, qui agit, quod verius exiſtimat illicitum, quia in primo caſu facit quantum poteſt, ſecus autem in ſecundo.

1. Sed cum opinio minus probabilis ſit æqualiter opinio, & incerta ac probabilior (*a*), ſimulque in eo conflictu ſit rectæ Rationi conformis (*b*), & prudens (*c*), & *Opinativum* poſſit eſſe tutum (*d*), *Prudens* vero reapſe ſit tutum (*e*), quia bonum (*f*), ut oſtendatur, eam non eſſe tutam in eodem conflictu, oſtendi debet, adeſſe aliquod præceptum prohibens ejus electionem, ſeu injungens electionem probabilioris, cum quod eſt per ſe tutum, nonniſi hoc modo minime tutum evadere poſſit (*g*). Hoc autem præceptum neque eſſe, neque eſſe poſſe, ſuis locis demonſtrabitur.

2. Quod vero præfatam Probabilioriſtarum rationem attinet, ea nihil eſt. Etenim ad Conſcientiæ ſecuritatem, & ut faciat quantum poteſt, vel tenetur quis inveſtigare veritatem, & hac deficiente, vitare periculum utriuſque peccati tum *formalis*, tum *materialis*, vel ſatis eſt vitare periculum peccati *formalis*. Si primum: igitur nec opinio probabilior favens libertati tuta eſt, quia cum neque in ea, poſt inveſtigationem veritatis, habeatur certitudo de actionis honeſtate, illa ſemper incerta, & æqualiter incerta, ac opinio minus probabilis eſt (*h*), atque ideo exponit æqualiter operantem periculo peccati *materialis*. Unde operans, ut faciat quantum poteſt pro ſuæ Conſcientiæ ſecuritate, debet tutiorem partem eligere, ſeu partem minus

(a) *per Cor. 2. huj.*
(b) *per Cor. 5. huj.*
(c) *per Cor. 6. huj.*
(d) *per Schol. Def. 24. n. 2.*
(e) *per Schol. Def. 24. n. 8.*
(f) *per Cor. 1. Def. 15.*
(g) *per Schol. Def. 24. n. 8.*
(h) *per Cor. 2. hujus.*

probabilem legi faventem. Si ſecundum: igitur etiam minus probabilis poteſt eſſe tuta, cum utpote pariter incerta, & æqualiter, ac probabilior (*a*), ſimulque etiam prudens (*b*), poſſit operantem ſimiliter liberare a periculo peccati *formalis*.

(a) *per idem*
(b) *per Cor. 6. hujus.*

Atque hæc, quæ de opinionis minus probabilis conformitate ad rectam Rationem, prudentia, ſecuritate, etiam in ipſo probabilioris conflictu, his tribuſ. 5. 6. 7. Corol. deduximus, quamquam certiſſima, & evidentia ſunt, utpote ex Definitione ipſa ſponte profecta, atque ideo quæſtionem ipſam ſtatim dirimentia; tamen ne Probabilioriſtæ a nobis vel in ipſo limine *peti principium* cauſari poſſint, quomodolibet nunc accipiant. Nam hæc omnia alias offendent iterum multipliciter demonſtrata.

8. Denique diſcrimen opinionis probabilis a probabiliori in minori, vel majori quadam Intellectus permotione, inclinatione, atque determinatione ad aſſenſum, & in quadam minori, vel majori veritatis apparentia tantum conſiſtit, quæ major, vel minor determinatio, ac apparentia ex minori, vel majori rationum pondere, quibus opinio utraque continetur, procedit. Itaque cæteræ omnes proprietates, affectiones, & attributa, excepta hac ſola majori veritatis apparentia, ac mentis permotione, utrique opinioni prorſus communia ſunt. Utraque enim eſt incerta, & æqualiter (*c*): utraque rectæ Rationi conformis, & æqualiter (*d*): utraque aſſenſus prudens (*e*): utraque Prudentis, ac Sapientis animum ad aſſenſionem permovet (*f*): utraque eſſe poteſt æqualiter tuta *ſecundum quid* (*g*): neutra eſt tuta *ſimpliciter* (*h*): neutra eſt

(c) *per Cor.2.huj.*
(d) *per Cor.5.huj.*
(e) *per Cor.6.huj.*
(f) *per Def.* 26. 27.
(g) *per Cor.7.huj.*
(h) *per idem*, & *Sch. Def.* 25. *n.*2.

eſt determinate vera, aut certa (*a*): neutra eſt error ſive *materialis*, ſive *formalis* (*b*): neutra firmum, & perfectum aſſenſum habet (*c*). Quare quidquid uni convenit, vel non convenit, atque de una affirmari, aut negari debet, vel poteſt, excepta ea ſola differentia, convenit, vel non convenit etiam alteri, ac de altera affirmari, vel negari etiam debet, aut poteſt.

(a) *per* *Cor.* 2. *huj.* (b) *per* *Cor.* 3. *huj.* (c) *per* *Cor.* 2. *Def.* 25.

Hæc omnia Corollaria diligenter a Lectoribus notari, atque alta mente repoſta teneri velim.

XXXIV.

Intellectus Speculativus eſt, qui conſiderat verum, vel falſum in ſe tantum.

XXXV.

Intellectus Practicus, qui conſiderat verum, vel falſum relate ad opus.

Cor. I. Hinc objectum Intellectus tam *Speculativi* quam *Practici* eſt verum, ſed illius verum ut verum, iſtius verum ut licitum, ſeu bonum. Ille enim ſiſtit in pura contemplatione veritatis, iſte in contemplatione veritatis directæ ad honeſtatem operationis. Itaque ille rationes excogitat, & expendit, num aliquid ſit verum, vel falſum tantum, iſte num ſit verum, vel falſum, aliquid eſſe bonum, vel malum, licitum, vel illicitum. Quare error, ſeu falſum ut falſum pertinet ad conſiderationem Intellectus *Speculativi*; error vero, ſeu falſum ut malum, & illicitum ad conſiderationem Intellectus *Practici*, cum Oppoſitorum eadem ſit diſciplina (*d*). Cum autem verum ſit vel reale, vel apparens (*e*): & Opinativum probabile, vel pro-

(d) *per* *Can.* 6. (e) *per* *Schol.* *Def.* 11.

babilius ſit verum minus, vel magis apparens (a), hinc objectum Intellectus veluti duplex ſtatui poteſt, nempe *verum reale*, & *verum apprehenſum*, & *apparens*. Utroque etenim vero Intellectus, poſt lapſum ob ſui debilitatem, & rerum obſcuritatem, ac incertitudinem, ſuo modo perficitur. Unde non aſſentit aliquo modo, hoc eſt vel perfecte, vel imperfecte, niſi vero aut reali, aut apparenti, quia nequit determinari niſi ab objecto ſuo, ut melius Axiom. 9. 10., eorumque Corollariis patebit.

(a) *per* Cor. 8. *Def.* 26. 27.

2. Hinc *Speculativus* ad Scientias pure Theoricas pertinet, *Practicus* ad Artes, & Practicam, ſeu Moralem Scientiam. Hæc etenim, cum mores dirigat, ad eos ordinatur, ideoque propter operationem exercendam, vel non exercendam traditur.

XXXVI.

Actus directus, ſeu cognitio directa eſt, quæ immediate in ſuum objectum fertur.

XXXVII.

Actus reflexus, ſeu cognitio reflexa, cujus objectum eſt ipſa cognitio directa, ſeu quæ ſupra directam reflectit.

SCHOLIUM.

INTELLECTUS eſt maxime reflexivus. Poteſt enim ſupra res, atque ſuas cognitiones multipliciter reflectere, & ita ſuis reflexionibus multa certo cognoſcere. Sic dum directa cognitione aliquid ſcit, vel opinatur, vel dubitat, reflexa certo ſcit, ſe ſcire, vel opinari, vel

vel dubitare. Unde Scotus in Reportatis Pariſienſ. part. 1. quæſt. 2. Prolog. num. 7. dicit: *quod omnis ſciens, ſi reflectatur ſuper ſuum actum, ſcit ſe ſcire, immo & omnis credens, ſi reflectatur ſuper ſuum actum, ſcit ſe credere.*

Et Okamus in 2. quæſt. 21.: *quod quando homo habet opinionem de aliquo, poteſt certitudinaliter ſcire ſe opinari: & quod ſcire ſe opinari eſt actus reflexus, & opinari actus rectus ....,& quod ſi quis dubitaret Regem ſedere, poteſt ſcire, vel cognoſcere, ſe dubitare, & iſta certa cognitio eſt actus reflexus, & alius actus rectus.*

Et Bacchonus in Primo Diſt. 1. quæſt. 2. art. 2. §. 2. .... *cum enim quis conſiderat, ſe opinari per medium probabile, tunc aſſentitur aliquo modo ſaltem probabiliter, & tunc ſcit, ſe rationabiliter opinari.*

Quare actus directus reflexo perfectior quidem eſt, ſed non ſemper certior, quia directus ferri poteſt in objecta, quæ certa non ſunt, ut Opinabilia (*a*): actus vero reflexus, licet directo imperfectior, ſemper illo certior eſt, quia ejus objectum ſunt proprii, & intimi mentis actus, de quibus per conſcientiam certa eſt.

(a) *per Def.* 7.

XXXVIII.

Synderesis eſt habitus primorum Principiorum practicorum.

Hoc eſt habitus, quo Intellectus judicat generatim, & univerſe, quid ſit amplectendum, vel fugiendum.

XXXIX.

Conſcientia eſt habitus, ſeu dictamen Concluſionum peculiarium practicarum.

Videlicet Judicium, quo mens judicat hic, & nunc, quid ſit bonum, vel malum, licitum, vel illicitum, ideoque amplectendum, vel reſpuendum.

SCHOLIUM.

ITAQUE *Syndereſis* notitia univerſali Juris, ſive naturaliter indita, ſive per doctrinam aquiſita, continetur: *Conſcientia* vero notitia, qua idem Jus in particulari ad opus applicatur.

Poteſt autem hoc Judicium aſſignari duplex *directum*, & *reflexum*. *Directum*, quod immediate cadit ſupra objectum, de quo aliquid enunciatur: vel quod enunciat de rei veritate, ut eſt in ſe.

Reflexum, quod cadit ſupra directum ipſum, ſeu cujus objectum eſt Judicium *directum*, ſupra quod reflectit: vel quod enunciat de rei veritate, ut apparet in Intellectu.

Primum poteſt eſſe incertum, ſecundum vero certum. V. G. Hoc judicium: *Pingere in die Feſto probabilius licitum eſt*: eſt incertum, utpote opinativum. Iſtuc autem: *Licitum eſt, quod probabilius eſt licitum*: eſt certum, & communiter admittitur. Cujuſmodi exempla paſſim in Moralibus occurrunt. Sic certo pium eſt adorare Hoſtiam conſecratam, quamvis ſit incertum, conſecratam eſſe: certo pium erogare eleemoſynam pauperi obvianti, licet ſit incertum, eſſe vere pauperem: certo pium quemlibet probum, & inſontem habere, etſi ſit incertum, eſſe talem: & alia ſexcenta. Cujus ratio eſt, quia fieri poteſt, ut judicium *directum* prin-

principiis tantum opinativis, *reflexum* vero certis nitatur.

X L.

Actus Virtutis *elicitus*, & *immediatus* eſt, qui immediate ab ejus habitu jam formato, & in anima exiſtente procedit.

X L I.

Actus mediatus, ſeu *imperatus*, qui ab habitu immediate non procedit, ſed a Virtute imperatur, aptuſque eſt generare virtutem.

Hujuſmodi eſt, qui fit a Voluntate ex objecto, & fine Virtutis, v. g. Temperantiæ, Fortitudinis &c..

SCHOLIUM.

PRIMUS actus eſt ſemper verus, ſecundus poteſt eſſe falſus. Sic actus, quo Judex judicat v. g. reum Sortem, poſtquam reus probatus eſt, poteſt eſſe falſus, quia fieri poteſt, ut Sortes vere reus non ſit, ſicuti aliquando contingit; eſt tamen actus virtuoſus, & prudens. Contra hic actus, quo dicimus. Judicandum eſt ſecundum allegata, & probata; eſt ſemper verus. Hic elicitur *immediate* a Prudentiæ Virtute, ille immediate ab habitu Opinionis, *mediate* vero, ſeu *imperative* a Prudentia *actuali*, hoc eſt a Regulis Prudentiæ, quibus homo in judicando ſecundum rectam Rationem ita ſe gerere debet. Ex quo liquet, incerta poſſe eſſe prudentia, prudentiſſima.

Igno-

XLII.

Ignorantia eſt pura, ac ſimplex neſcientia veri, vel falſi.

Ignorantia non eſt idem, ac error, neque *materialis*, neque *formalis*. Nam *formalis* eſt falſum ſcienter, *materialis* neſcienter, ſeu in ſe pro vero approbatum (*a*). Unde apparet, in quo error ab ignorantia diſcernatur, quid addat iſte ſuper illam, & quomodo illa ſine iſto eſſe poſſit.

(a) *per Sch. Def.* 5. *n.*6.

Cor. Hinc tam in Opinione minus probabili, quam probabiliori ignorantia continetur, quia cum utraque æqualiter incerta ſit (*b*), veritas, aut falſitas in illis ita latet, ut certo ſciri non poſſit.

(b) *per Cor.* 2. *Def.* 26. 27.

XLIII.

Ignorantia vincibilis eſt neſcientia ejus, quod quis ſcire poteſt, & debet.

XLIV.

Ignorantia invincibilis neſcientia ejus, quod quis vel non tenetur ſcire, vel ſi tenetur, nullo modo ſcire poteſt.

Utraque ſolet dividi in varias ſpecies, quæ ad rem non faciunt. Hoc loco potiſſimum Ignorantiæ Juris ratio habenda eſt, quæ neſcientia Legum neceſſariarum continetur.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt in prima Definitione: *ſcire poteſt, ac debet*; in ſecunda vero: *ſcire non tenetur, vel ſi tenetur, ſcire non poteſt*, quia ut Igno-

Ignorantia ſit *vincibilis* duo requiruntur, nempe ſciendi poſſibilitas, & ſciendi obligatio, ut autem ſit *invincibilis* alterutrum ſufficit, ſcilicet vel defectus obligationis ſciendi, vel ſciendi impoſſibilitas.

1. Porro hæc ſciendi impoſſibilitas dupliciter contingere poteſt, vel ex parte Operantis, vel ex parte rei. Primo modo habetur, cum quis aliquam actionem ita exiſtimat licitam, ut de illius malitia nulla ei occurrat, nedum gravis ratio, ſed ne quidem ulla formido, aut ſuſpicio, aut dubietas, aut ſimplex cogitatio. Secundo modo, cum ei obverſatur quidem vel gravis ratio, vel ſaltem timor, dubium, ſcrupulus, ſuſpicio, ſimplex apprehenſio de malitia actionis illius, facta tamen diligenti veritatis perquiſitione, atque inveſtigatione, ad certam malitiæ cognitionem pervenire nequit. Unde D. Thom. 1. 2. q. 76. a. 2. ait, invincibilem Ignorantiam eam eſſe, *quæ ſtudio ſuperari non poteſt*. Cum in primo caſu malitia actionis ſit omnino impræviſa, in ſecundo vero aliquo modo præviſa, ut liquet; ideo Ignorantia *invincibilis* eſſe poteſt vel *præviſa*, vel *impræviſa*.

2. Ignorantia orta ex impoſſibilitate ſciendi utroque modo dicitur *invincibilis phyſice*, cum conſtet eſſe abſolute impoſſibile, ut quis perveniat ad veritatem ejus, de quo nullam præcedentem habet vel ſimplicem cogitationem; aut cujus veritas abſolute reperiri non poteſt. Ignorantia vero orta ex defectu obligationis ſciendi, dici poteſt *invincibilis moraliter*, quatenus non tenetur quis illam profecto vincere, ſi vincendi non habeat obligationem.

3. Jam vero Ignorantia *invincibilis* de impro-

probitate alicujus actionis tripliciter in univerſum vinci poteſt. 1. per certam ſcientiam improbitatis illius, ſi ea haberi poteſt. Quod contingit, cum vere adeſt prohibitio illius operationis, quæ tamen ab Operante ignoratur. Sic qui ex ignorantia certæ malitiæ ex. ca. de Fornicatione ſuſpicatur, vel dubitat &c., fornicationem eſſe malam, poteſt hanc ignorantiam vincere per certam notitiam veritatis, conſulendo Libros, vel Doctores, aut Paſtores, a quibus hauriet certam pravitatem operationis illius. 2. Per electionem opinionis (an minus probabilis, an probabilioris, nunc nihil attinet, cum id modo ſolum in exemplum ſumatur) de honeſtate, ſeu bonitate actionis illius. Quod contingit, cum de ejus malitia, vel bonitate ſunt contrariæ opiniones, (æqualiter, vel inæqualiter probabiles, nunc non refert), propterea quia ejus certa prohibitio non reperitur. Hoc pacto qui ex ignorantia ſuſpicatur &c. v. g., Electuarii ſumptionem in die jejunii eſſe illicitam, poſtquam de hoc diligenter inquirendo, cognovit eſſe contrarias opiniones, poteſt hanc ignorantiam vincere eligendo opinionem (an probabilem, an probabiliorem, nunc ad rem non eſt) quæ eam ſumptionem ſtatuit licitam. 3. Per reductionem ad dubium practicum, in quo pars tutior eligenda eſt, ut in Axiomatis apparebit. Ita in exemplo allato, qui ſuſpicatur &c. ex ignorantia, illicitam Electuarii ſumptionem, poteſt eam ignorantiam vincere conſtituendo ſe in dubio practico, ideoque per electionem partis tutioris ab ea ſumptione abſtinere.

4. Quando Ignorantia *invincibilis* eſt *improviſa* Operans neque poteſt, neque obligatur eam

vi n-

vincere ullo ex tribus modis aſſignatis, cum id ſit ei omnino impoſſibile, ut patet. Quando vero eſt *præviſa* poteſt, & debet eam vincere aliquo ex illis modis. Et quidem poteſt, & tenetur in primis diligenter inquirere veritatem modo ſuperius explicato. Quod ſi certo comperiat malitiam actionis per exiſtentiam certi præcepti eam prohibentis, debet, ut conſtat, ab ea abſtinere. Si vero non inveniat quidem certam malitiam defectu certæ legis eam ſtatuentis, inveniat tamen rationes graves de pravitate illius, nullas vero, vel tantum leves de ejus bonitate, debet itidem ab ea abſtinere. Cum enim nullum, vel leve habeat fundamentum de licito, magnum vero, ac ſolidum de illicito uſu actionis illius, ea actio illi certo illicita eſt (*a*). Si denique inveniat rationes graves pro utraque parte, ſeu contrarias opiniones (æqualiter, vel inæqualiter probabiles, modo nihil intereſt) debet vel formare ſibi Conſcientiam de honeſtate operationis per electionem opinionis (probabilis, vel probabilioris, nunc ad inſtitutum non facit) eam honeſtatem ſtatuentis: vel in hoc opinionum conflictu, debet ſe reducere ad dubium practicum, atque ita, partem tutiorem eligendo, ab ea actione pariter abſtinere. Itaque Ignorantia malitiæ *prævifæ* in Opinativis, & incertis vinci ſemper debet uno ex his duobus modis, nempe vel per electionem opinionis de honeſtate operationis, vel per electionem partis tutioris in dubio practico; & qui aliter facit, certo ſemper peccat.

(a) *per Cor.* 3. *Def.* 5.

5. Ex quo liquet, ad incurrendam malitiam alicujus actionis, ideoque ad culpam contrahendam non oportere, ut ea probetur certis argumen-

mentis, ſed ſatis eſſe, ut probetur gravibus rationibus, immo etiam levibus, aut nullis, immo ut habeatur ſolum formido, aut ſuſpicio, aut dubium, aut ſcrupulus, aut ſimplex aliqua cogitatio de ea; dummodo per inquiſitionem veritatis non perveniatur ad certam notitiam de bonitate actionis illius, vel ſaltem etiam per contrarias graves rationes probetur honeſtas ipſius. Etenim cum adſunt rationes magnæ de operationis bonitate, ut ea operatio oſtendatur mala, & criminoſa, requiruntur certa omnino argumenta, ut alias apparebit.

X L V.

Lex, vel *Præceptum* eſt voluntas Legislatoris de eo, quod vult, vel non vult fieri, verbis manifeſtata.

SCHOLIUM I.

Lex, & Præceptum aliquibus accidentariis differentiis diſtinguuntur. Sed hic Lex, & Præceptum pro eodem ſumitur. Nam ſumitur tantum, ut ſignificat id, quod a Legislatore injungitur, & obſervandum eſt.

1. Porro Lex multiplex eſt, nempe *Naturalis*, *Divina*, & *Humana*.

Naturalis, quæ congenito nobis naturæ, ſeu Rationis lumine continetur.

Divina, quæ a DEO lata eſt, cujuſmodi Lex vetus lata per Moſen, nova, ſeu Evangelica per CHRISTUM.

Humana, quæ a Superioribus ſive Eccleſiaſticis, ſive Sæcularibus fertur.

2. Rur-

2. Rurſus Præceptum multifariam accipi poteſt, & primo, ſicuti de peccato in Scholio Def. 21. diximus, præceptum aliud eſt *materiale*, aliud *formale*.

Materiale voco, quod revera exiſtit, & latum eſt, ſed exiſtere ignoratur. Quod ſive contingat defectu promulgationis, ſive obligationis, vel impotentiæ ad cognoſcendum, ſive alia quadam ratione perinde eſt.

Formale voco, quod vere exiſtit, ſimulque exiſtere cognoſcitur, vel debet cognoſci: vel quod, licet vere non exiſtat, ab homine tamen exiſtere reputatur. Quibus ultimis verbis ſignificatur exiſtentia præcepti tantum in mente hominis ex erronea conſcientia obligantis.

Primum *Reale*, *objectivum*, & *in ſe exiſtens*; ſecundum *apparens*, *ſubjectivum*, & *in nobis* ſolum *exiſtens* dici poteſt.

3. Ne hanc pariter diſtinctionem Probabilioriſtæ carpere poſſint, ea juxta Doctrinam Scholii 2. Def. 21. intelligitur. Nempe nomine Legis, ſeu Præcepti *materialis*, illa Lex intelligitur, quæ vere exiſtit, ſed ejus tamen tranſgreſſio nobis ad formalem culpam non imputatur, quacumque id tandem ratione contingat, ut ibidem admonuimus.

4. Item Præceptum eſt vel *actuale*, & *explicitum*, vel *implicitum*, & *virtuale*.

Explicitum voco, quod expreſſis, & formalibus verbis continetur. Hujuſmodi ſunt, quæ vel formula aliqua Legis comprehenduntur, ut in Decalogo, in Doctrina Christiana; vel quæ ſparſim in Scripturis, in Conciliis, in Jure Canonico, aut Civili, in Conſtitutionibus, aut Edictis &c. clare, & *expreſſe* traduntur: ut

Di-

Diligite inimicos veſtros &c. *Niſi quis renatus fuerit* &c.

Implicitum, ſeu *virtuale* voco, quod virtute in alio continetur, quodque propterea per ratiocinationem ex illo deduci poteſt. Hujus generis ſunt, quæ ex locis quibuſdam obſcurioribus Scripturæ, Conciliorum, Juris Canonici &c. colligi poſſunt. Hæc *virtualia per ſe* Doctrinæ gratia appello. Item quæ ex ipſis *formalibus*, & *explicitis* præceptis deducuntur. Hæc appello *virtualia per accidens*. Quo pertinent omnes illi caſus, de quibus, utrum præcepto comprehendantur, ſeu utrum ad eos extendatur, rationabiliter dubitari poteſt. Cum enim Legislator, præſertim humanus, omnes caſus, qui propemodum infiniti ſunt, prævidere non poſſit, præceptum (niſi ſit de aliqua ſingulari circumſtantia, & uni tantum intimatum) in plures latum, verbis univerſalioribus conceptum tradit. Quo fit, ut quamvis videatur ſimplex, & unicum, ſit tamen virtute multiplex, & contineat in ſe tot alia peculiaria, & nova præcepta, quot ſunt caſus, ad quos extendi poteſt. Quæ præcepta, & ab univerſali, ac principali præcepto, & inter ſe adeo diſtincta ſunt, & novum onus imponunt, ut unum ab alio minime pendeat, ſed ſeparatim unum ſine alio & eſſe, & impleri poſſit. Unde cum hi caſus evolvuntur, & ab univerſali præcepto eruuntur, jam non amplius *præcepta virtualia*, & *implicita*, ſed *actualia*, & *explicita* evadunt, ac ſunt, non minus, quam principale, atque perinde eſt, ac ſi de novo diſtincte, & expreſſe a Legislatore traderentur. Exemplo hoc magis declarabitur.

CHRI-

Christus Fidelibus præcipit Sacramentalem peccatorum Confeſſionem. Hoc eſt *formale*, & *expreſſum* præceptum, quo antea non tenebantur. Cum autem ſint peccata venialia, & mortalia; interna tantum, & ſimul externa, certa, & dubia; ad hæc variæ peccatorum circumſtantiæ, nempe vel ſpeciem mutantes, vel in eadem ſpecie vel ſolum leviter, vel notabiliter aggravantes, & hæ pariter ſint vel dubiæ, vel certæ &c. Rurſus cum Confeſſio ipſa multimodis fieri poſſit, ſcilicet vel tantum generatim, vel ſpeciatim, nempe explicando, vel peccatum in ſpecie, vel etiam in individuo, vel omnia, vel ſolum pauca, vel ſolum externa, non interna &c.; idcirco quia hæc omnia *expreſſe* non præcipiuntur, rationabiliter dubitari poteſt, num univerſali Confeſſionis præcepto comprehendantur. Itaque dubitari poteſt 1. an ſint etiam confitenda venialia. 2. an ſolum mortalia, eaque omnia. 3. an etiam ſolum interna: 4. an etiam dubia. 5. an circumſtantiæ mutantes ſpeciem. 6. an etiam notabiliter, vel leviter aggravantes. 7. an etiam dubiæ &c. Quæ omnia, ſi confitenda decernantur, jam conſtat, præceptum univerſale Confeſſionis non eſſe amplius unum, ſed tot præcepta, quot ſunt quæſtiones præfatæ: quorum quodlibet diverſum, ac diſtinctum ab alio eſt, novumque onus, & quidem gravius, ut liquet, inducit, ideoque ſeorſum ſine aliis, & imponi, & impleri poteſt. 1. 2. 3., & 5. jam certa, & a Concilio Tridentino ſeſs. 14. cap. 5. determinata; cætera, nempe. 4. 6., & 7. abſolute incerta, & opinabilia ſunt. Idem dicito de eadem Confeſſione quoad circumſtantiam temporis &c., ac de materiis aliis quibuſcumque.

5. Quoniam autem unum ex alio deduci poteſt vel *certo*, & *evidenter*, ſeu *ſcientifice*, vel *obſcure*, & *incerto*, ſeu *opinative*, ideo

Præceptum item duplex eſt, *clarum*, *certum*, *evidens*, vel *obſcurum*, *dubium*, *incertum*.

Primum voco, quod adeo clare latum eſt, ut de ejus exiſtentia, promulgatione, intelligentia, obligatione dubietas rationabilis oriri non poſſit.

Secundum voco, de cujus exiſtentia, promulgatione, ſenſu, obligatione, rationabile dubium oriri poteſt.

Primi generis ſunt omnia præcepta *expreſſa*, & *formalia*, nec non omnia *virtualia* tum *per ſe*, tum *per accidens* evidenter deducta.

Secundi generis omnia *virtualia*, quæ tantum *opinative* colliguntur. Nam Opinativa dubia, obſcura, incerta ſemper ſunt. (*a*).

(a) *per Cor.* 1. *Def.* 7.

SCHOLIUM II.

PROBABILISTÆ alias plures Legis diviſiones, ſeu potius denominationes excogitant & uſurpant. Diſtinguunt enim: *Legem æternam in DEO*, *ſeu in ſe*, *& in nobis*: *in actu primo*, *ſeu ſignato*, *& in actu ſecundo*, *ſeu exercito*: *antecedentem*, *& conſequentem*: *univerſalem*, *& particularem*: *per ſe*, *& per accidens*: *directam*, *& reflexam*: *objectivam*, *& ſubjectivam*: *materialem*, *& formalem*: quæ ſuperius jam explicata eſt. Probabilioriſtæ vero has primum diviſiones, ſeu nomenclaturas irridere, tum rejicere, multa denique immania abſurda ex earum poſitione elicere ſolent, ut in eorum Operibus videre eſt.

Sed

Sed immerito, & extra aliorum, ſi quidem in re inter utroſque conſenſus eſt. Quid enim prohibet excogitare technicas voces ad explicandas, cum opus eſt, mentis Ideas, ſi in Ideis ipſis conveniamus? Sciant ergo Probabilioriſtæ, omnibus hiſce vocibus non aliam rem eſſe ſubjectam, quam dari poſſe Legem, ſive naturalem, ſive divinam, ſive humanam vere exiſtentem, ac etiam ſufficienter promulgatam, quæ tamen aliquando non habeat veram vim obligandi ad culpam formalem, ſeu cujus transgreſſio non imputetur Operanti ad peccatum formale, quocumque tandem modo, & quacumque id ratione contingat, etenim perinde eſt. Hoc unum intendunt Probabiliſtæ per eas voces, hoc unum cupiunt ſignificatum, & in hoc ſenſu his vocibus in Probabiliſmi explicatione, atque defenſione utuntur. Neque enim abnuunt, regulam morum ab æterna Lege, ac veritate, ſeu DEI voluntate, quæ certa, & infallibilis eſt, quæque omnem rectitudinem ab ea dimanantem antecedit, non a noſtra opinione, aut voluntate deſumendam eſſe, non abnuunt, operationem quamlibet huic Legi difformem eſſe in ſe malam, & criminoſam, ſed affirmant, eam nihilo ſecius peccatum formale non eſſe, ſeu ad culpam formalem non imputari. Idem autem ipſiſſimum re, licet non verbis, ſentire, & affirmare etiam Probabilioriſtas, jam peritis conſtat, & ſuis locis apparebit. Quare niſi nugari velint, nihil eſt in his vocibus, aut diviſionibus, earumque uſurpatione, quod carpere, multo minus quod ex iis contra ſyſtema Probabiliſticum elicere merito poſſint.

XLVI.

Promulgatio Legis eſt publicatio, ſeu denunciatio, per quam ejus exiſtentia, & obligatio innoteſcere poſſit.

SCHOLIUM.

DUPLEX aſſignari poteſt, *authentica*, ſeu *publica*, & *non authentica*, ſeu *privata*.

1. *Authenticam* voco externam denunciationem, quæ aliquo authentico Inſtrumento fit. Quod dupliciter contingit, nempe *ſcriptura*, & *voce*. Utrumque autem multimodis fieri poteſt. Nam Lex Divina vetus per Moyſen, nova vero per CHRISTUM, per Apoſtolos, per Paſtores, per authenticam Scripturarum Canonicarum propoſitionem, ac propagationem promulgata eſt. Lex vero Humana Canonica per Concilia, per Jus Canonicum, per Pontificum Conſtitutiones, per Paſtorum Decreta: Civilis autem per Principum Edicta, per Juris Civilis Corpus, per authenticos approbatos, atque propoſitos Libros, per Præcones, &c. promulgatur.

Non authenticam voco internam denunciationem, quæ fit per privatum diſcurſum, per quem notitia de Legis exiſtentia, atque obligatione propriæ cujuſque Conſcientiæ applicatur.

Cum autem hæc ratiocinatio eſſe poſſit vel certa, & evidens, vel incerta, & obſcura (*a*); idcirco hæc *non authentica* promulgatio duplex ſtatui poteſt, nempe *certa*, & *evidens*, ac *dubia*, & *incerta*.

(a) *per Schol.* 1. *præced. n.* 5.

2. Primam voco applicationem Legis quæ certa,

ra, & evidenti; ſecundam, quæ tantum opinativa collectione deducitur.

In *Lege divina*, & *Humana* promulgatio *authentica* diverſa ab ejus inſtitutione, ſeu exiſtentia eſt. Nam Lex utraque prius inſtituitur, poſtea promulgatur, ut patet de Lege veteri, quæ prius a DEO cum Moyſe, & de nova, quæ prius a CHRISTO inſtituta, poſtea Populo promulgata eſt: & de Legibus Humanis tum Canonicis, tum Civilibus, quæ prius inſtituuntur, poſtea promulgantur. Immo in *Lege Humana* quandoque Legis inſtitutio ſine promulgatione eſt, uti contingit in Curiis ſive Eccleſiaſticis, ſive Sæcularibus, ubi Leges aliquæ aliquando inſtituuntur, quæ tamen ob cauſam aliquam poſt minime promulgantur.

3. In *Lege* vero *naturæ* exiſtentia Legis diverſa a promulgatione non eſt. Nam cum hæc congenito lumine contineatur (*a*), non indiget, ut per promulgationem innoteſcat, quoniam ipſa exiſtentia innoteſcentia eſt. Unde D. Thomas 1. 2., & 2. 2. quæ. 90. de Legibus art. 4. ad 1.. *Ad primum ergo*, inquit, *dicendum*, *quod promulgatio Legis naturæ eſt ex hoc ipſo*, *quod DEUS eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam*.

(a) *per Schol.* 1. *præced. n.* 1.

4. Hinc promulgatio *authentica* locum tantum habet in *Lege Divina*, & *Humana*, non in *Lege naturæ*, & ſolum in præceptis *formalibus*, ac *explicitis*. Utraque vero *non authentica* etiam in *Lege naturæ*; & in ſolis, ac omnibus cujuſque Legis præceptis *virtualibus*, & *implicitis*. Cum namque in unaquaque Lege dari poſſint caſus, de quibus, an Lege comprehendantur, rationabiliter dubitari poteſt (*b*): ea notitia, per

(b) *per idem n.*4.

quam cognoſcuntur hi caſus in Lege, ejuſque obligatione ſive *certo*, ſive *opinative* contineri, promulgatio quædam de illius exiſtentia, ac obligatione, ſeu nova etiam quædam (ſi ita dicere mavis) alterius præcepti exiſtentia eſt. Quapropter in his præceptis *virtualibus* in omni Lege exiſtentia præcepti, & promulgatio, ſeu eorum notitia pro eodem ſumi poteſt. In qua tamen re illud advertendum eſt, quod mens his caſibus aſſentiri non tenetur, & voluntas Legis exiſtentiam, & promulgationem, ideoque obligationem admittere, niſi poſtquam cognovit vel evidentem, vel opinativam connexionem illorum ad Legem, hoc eſt niſi poſtquam cognovit vel *certo*, vel *opinative* in ea Lege contineri. Quod affirmat D. Thomas par. 1. quæ. 82. art. 2., ubi docet, quod *intellectus naturaliter ex neceſſitate inhæret primis principiis, & concluſionibus inde demonſtratis, non ante, ſed ſolum poſtquam cognoſcit neceſſariam connexionem iſtarum ad principia*. Itaque notitia præceptorum *formalium* ſemper clara, & certa, quia *authentica*; notitia vero præceptorum *virtualium* quandoque certa, & evidens, quandoque obſcura, & incerta, quia *non authentica* eſt.

5. Ad vim Legis non eſt neceſſe, ut ſingulis ſubditis, ſeu privatis *authentice* promulgetur, ſed ſufficit, ut hoc modo promulgetur Communitati. Et tunc non ſolum *illi, coram quibus promulgatur, ſed etiam illi, coram quibus Lex non promulgatur*, obligantur ad Legem obſervandam, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 90. art. 4. ad. 2.. Non quod ſine ſufficienti Legis notitia obligari poſſint, ſed *in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire poteſt*

pro-

promulgatione facta. Unde obligantur omnes, qui vincibiliter Legem ignorant, videlicet ii, qui *vel noluerunt*, *vel neglexerunt facere*, *quod in iis erat ad ſciendum*, ut explicat hic Commentator: non vero qui ignorant invincibiliter, ſeu qui ſcire voluerunt, ſed non potuerunt; ii nempe, ad quos Legis notitia, promulgatione facta, per alios non devenit, vel devenire non potuit. Itaque ii invincibiliter ignorantes Legem, a culpa formali immunes ſunt, ut omnes admittunt. An autem ita res ſe habeat, quia in hoc caſu reſpectu horum Lex dici debeat vere, & proprie non exiſtens, aut promulgata; vel quia, licet ſit exiſtens, aut promulgata, tamen non obliget, vel quia ſi obligat, ejus tamen tranſgreſſio ob invincibilem ignorantiam ad culpam non imputetur; vel id ratione quacumque alia dicatur contingere, ad puram quæſtionem nominis pertinet, nam re perinde eſt. Etenim utcumque ſit, ſufficit, ut qui invincibiliter ignorat Legem, nedum exiſtentem, verum etiam promulgatam, immunis a culpa formali ſit. Neque enim aliud communiter intelligitur. Ex quo ſtatim liquet, verum eſſe, & communiter uſurpatum, quod de multiplici Legis denominatione, aut diviſione in Scholio 2. præcedenti tradidimus.

XLVII.

Virtus moralis eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtens, determinata ratione quoad nos, ut Sapiens determinabit.

SCHOLIUM.

HÆc Definitio eſt D. Thomæ 2. 2. quæ. 47. art. 5. & 7.; & traditur a Philoſ. 2. Ethic. cap. 6., ac ab omnibus jam admittitur, quamquam alii aliter quodammodo definire videntur. Scotus enim brevius ita definit. *Virtus* eſt habitus electivus ſecundum rectam Rationem.

1. Porro principales, ſeu Cardinales Virtutes quattuor ſunt jam notæ, Prudentia, Juſtitia, Temperantia, Fortitudo, quarum quælibet plures Species habet. Earum actus ſunt vel *eliciti*, & *immediati*, vel *imperati*, & *mediati* (*a*). Primi ſemper veri, & certi ſunt, minime ſecundi (*b*).

(a) *per Def.*40. 41.

(b) *per Schol.earund.*

2. In qualibet Virtute, ejuſque Specie quattuor gradus inveniuntur, ut docet Philoſ. 3., & 7. Ethic. 1. gradum vocat *Perſeverantiam*: 2. *Continentiam*: 3. *Temperantiam*: 4. *Heroicam*, Unde in Virtute quacumque, ejuſque Specie poteſt quis, etiam excepta Heroica, recte, rectius, rectiſſime, ſeu bene, melius, optime agere, ut in Axiom. etiam magis innoteſcet.

Cor. 1. Hinc Virtus Moralis, & recta Ratio idem eſt, quia definitio, ac definitum convertuntur, idemque eſſentialiter ſunt (*c*). Niſi quod recta Ratio quid ſuperius eſt, habetque rationem generis, & ipſam Virtutis in primo gradu generationem præcedit, cum Virtus ex actibus *imperatis* generetur (*d*); & actus virtuoſus, non niſi ad conformitatem rectæ Rationis eſſe poſſit. (*e*)

(c) *per Can.* 8.

(d) *per Def.* 41.

(e) *per Sch.Def.* 15.

2. Virtus in medio conſiſtit, & hoc medium determinari debet per Rationem rectam, idque

ut

ut Sapienti videbitur. Quapropter quod Sapienti rectum, & bonum videtur, rectum eſt, & quod rectum eſt, Sapienti rectum videri debet. Sed de hoc melius Axiom. 16.

Atque etiam ex hoc loco patet, probabilem opinionem eſſe conformem Rationi rectæ, ſeu Virtuti, quia Viro Sapienti, & Prudenti probari poteſt (*a*); ipſi autem non poſſet placere, ſi rectæ Rationi conformis non eſſet. (*b*)

(a) *per Def.* 26.
(b) *per Cor.* 5. *ejuſd.*

XLVIII.

Prudentia eſt habitus cum recta Ratione factivus, ſeu recta Ratio agendorum.

SCHOLIUM.

HOc eſt vis recte judicandi de bonitate, vel malitia actuum humanorum, de mediis ad eam bonitatem aſſequendam, vel pravitatem fugiendam, de recto agibilium fine, & de mediis utilibus ad eum conſequendum.

1. Eſt Virtus Cardinalis, immo Regula, & Forma omnium moralium Virtutum; & habet actus ſive *elicitos*, ſive *imperatos* (*c*). Primi ſemper veri ſunt, non ſecundi (*d*).

2. Porro tria ſunt Prudentiæ munera, quæ Scholaſtici Actus ſolent appellare, nempe *Conſilium*, *Judicium*, *Præceptum*, ſeu *Conſiliari*, *Judicare*, *Præcipere*. *Conſilium* eſt inquiſitio de agibilibus, an ſint bona, vel mala, licita, vel illicita, utilia, vel noxia &c., ideoque facienda, vel omittenda. Itaque *Conſilium* rationes agibilium excogitat, & invenit.

(c) *per Def.* 40. 41.
(d) *per Sch. earund.*

Judicium eſt Intellectus Sententia, qua poſt conſultationem poſitive judicat, agibilia eſſe

bona,

bona, vel mala, licita, vel illicita, nociva, vel conducibilia &c.

Præceptum eſt applicatio Conſiliatorum, & Judicatorum ad operandum. Primi duo actus proprie ad Intellectum *Practicum* pertinent, tertius potius ad Voluntatem. Hinc Prudentia, utpote reſidens in Intellectu *Practico*, rigoroſe eſt Virtus partim intellectualis, partim moralis, ſeu media inter utramque, quamquam communiter dicitur intellectualis. Id quod acute obſervavit Ægidius Quod. 2. Diſput. de Potentiis Animæ quæſt. 19.

3. Jam vero Partes potentiales Prudentiæ tres aſſignari ſolent, videlicet *Eubulia*, *Syneſis*, & *Gnome*: quæ dici poſſunt quædam Virtutes adjunctæ, quia ordinantur ad aliquos ſecundarios Prudentiæ Actus, ſeu Materias.

Eubulia ad *Conſilium* ſpectat, bonam enim conſultationem ſignificat: *Syneſis* autem, & *Gnome* ad *Judicium*. Hæ duæ tantum differunt ſecundum diverſas regulas, quibus judicatur. Nam *Syneſis* eſt judicativa de agendis, juxta communem Legem; *Gnome* autem juxta rationem naturalem in iis, in quibus deficit communis Lex: hoc eſt *Syneſis* judicat ſecundum principia, & regulas communes, *Gnome* vero ſecundum principia altiora, & nobiliora.

Cor. 1. Hinc Prudentia, & recta Ratio ſunt idem: tum quod definitio, & definitum idem eſſentialiter ſunt (*a*): tum quod Prudentia eſt Virtus (*b*): & Virtus ac ratio Recta ſunt idem (*c*). Immo recta Ratio Prudentiam præcedit in primo gradu, quia Virtutem præcedit (*d*).

2. Prudentia eſt non de rebus certis, ſed de incer-

(a) *per* *Can.* 8.
(b) *per* *Sch.præ-ſens n.*1.
(c) *per* *Cor.* 1. *præced.*
(d) *per* *idem.*

incertis, & contingentibus, quia agibilia non certa, ſed contingentia ſunt. Unde reſidet in Parte Topica, & Opinativa mentis, non in Scientifica, quandoquidem Opinativa incerta ſunt (*a*). Philoſ. hoc affirmat 6. Ethic. cap. 5., & D. Thomas 1. 2., & 2. 2. quæſt. 57. art. 4. ad 2. *Utrumque enim*, inquit, (nempe Prudentia, & Ars) eſt *in Opinativa Parte animæ, & circa contingens aliter ſe habere.*

(a) *per Cor.* 1. *Def.* 7.

SCHOLIUM.

HOc autem intelligitur de Prudentia *actuali*, & quoad actus *imperatos*, qui falſi eſſe poſſunt (*b*), non vero de Prudentia *habituali*, & quoad actus *elicitos*. Nam cum hi actus ſemper veri, & certi ſint (*c*), Prudentiam quoad iſtos actus, non in Opinativa, ſed in Scientifica potius animæ Parte reſidere dicendum eſt. Utrique tamen actus prudentes ſunt (*d*).

Ex quo iterum liquet, etiam probabilem opinionem eſſe actum imperatum a Prudentia *actuali*, ideoque prudentem, quandoquidem etiam ipſa opinio probabilis in eadem animæ Parte reſidet, in qua Prudentia *actualis*. Unde etiam hinc patet, *Probabile* eſſe idem ac *Prudens*, ſicuti in Corollario Def. 20. indicavimus.

(b) *per Sch. Def.* 40. 41.
(c) *per idem*.
(d) *per idem*.

XLIX.

Approbatio Eccleſiæ circa aliquam Doctrinam eſt admiſſio, ac receptio illius, ſeu teſtimonium de ejus veritate, bonitate, ſecuritate &c.

L.

Improbatio eſt rejectio illius, ſeu teſtimonium

de

de ejus falſitate, pravitate, periculo, pernicie &c.

SCHOLIUM.

POTEST autem approbatio ſtatui triplex, *Definitiva*, *Electiva*, *Permiſſiva*.

1. *Definitivam* voco, qua aliqua Doctrina *poſitive* approbatur tanquam abſolute immunis ab omni prorſus errore, tum ex iis, quos nunc Eccleſiæ conſtat errores eſſe, tum ex iis, quos in poſterum per novas Definitiones errores eſſe conſtare poteſt.

2. *Electivam* voco, qua Doctrina aliqua *poſitive* approbatur tanquam abſolute immunis ab omni errore ex iis tantum, quos nunc Eccleſiæ conſtat errores eſſe, minime vero ex iis, quos in poſterum novæ Definitionis ope errores eſſe conſtare poteſt.

3. *Permiſſivam* voco, qua Eccleſia mere *negative* ſe habet circa eam Doctrinam, ita ut nec *poſitive* conſtet in ea eſſe errorem, nec *poſitive* conſtet non eſſe errorem. Etenim ſi eam proprio judicio diſcutiat, conſtetque *poſitive* ineſſe errorem, illam *poſitive* reprobat; ſi vero *poſitive* conſtet non ineſſe errorem, non tamen ſemper illam *poſitive* probat. Itaque permittendo *negative* ſe habet, & neque probat, neque improbat.

4. Rurſus alia eſt approbatio *generalis*, *indefinita*, *confuſa*, alia *determinata*, & *ſpecialis*. Hanc voco, qua v. g. aliqua propoſitio ſpecialiter approbatur. Illam voco, qua v. g. Liber aliquis, quo multæ propoſitiones continentur, approbatur, ita tamen, ut nulla propoſitio in particulari aliqua Cenſura approbetur.

5. Præ-

5. Præterea alia dici poteſt *formalis*, & *explicita*; alia *virtualis*, & *implicita*.

Formalem voco, qua approbatur id, quod ex vi verborum primo ſignificatur, ſeu quo obvius propoſitionis ſenſus continetur. Quod ſive fieri contingat in terminis *formalibus*, ſive *æquipollentibus* perinde eſt.

Virtualem voco, qua approbatur quidquid in ea propoſitione virtute comprehenditur; hoc eſt quidquid exinde neceſſaria conſecutione deduci poteſt. Hoc pacto cum Eccleſia approbat v. g. Librum aliquem Canonicum, approbat generali approbatione non ſolum omnia, quæ in eo expreſſe continentur, verum etiam omnia, quæ ex iis evidenter deducuntur. Quæ propterea ab ea definiri poſſunt, & identidem definiuntur.

AXIOMATA PRIMI GENERIS.

I.

CONTRADICTORIA de eodem, ſecundum idem, reſpectu ejuſdem, non poſſunt eſſe ſimul vera, aut certa, aut evidentia.

II.

Contradictoria de eodem, ſecundum idem, reſpectu ejuſdem, non poſſunt ſimul eſſe probabiliora.

III.

Contradictoria de eodem, ſecundum idem, reſpectu ejuſdem, poſſunt ſimul eſſe, & æqualiter, & inæqualiter probabilia.

Con-

I V.

Contradictoria de eodem, ſecundum idem, reſpectu ejuſdem, poſſunt eſſe ſimul tuta.

V.

Tuta abſolute, & per ſe ſunt licita, & viciſſim.

SCHOLIUM.

DICITUR autem *abſolute & per ſe*, quia aliunde fieri poteſt, ut quod eſt tutum non liceat ob peculiare aliquod impedimentum Operantis, v. g. ob Votum, Juramentum, Contractum, Dubium practicum, Superioris præceptum, Legem aliquam peculiarem, & hujuſmodi. Quo pacto ei, qui vovit, ex. ca. Sabbatum tranſigere Pane, & Aqua, non licet ea die comedere Ova, aut Piſces, quos comedere *per ſe* licet, & eſt tutum.

Cor. Hinc liquet impoſſibile eſſe, ut reperiatur Lex univerſalis *abſolute*, & *per ſe* vetans eorum praxim, quæ ſunt tuta. Etenim licitum eſt, quod nullo præcepto prohibetur (*a*). Unde hoc modo tutum eſſet ſimul licitum, & non licitum, ideoque duo Contradictoria ſimul forent vera, quod fieri nequit. (*b*)

(a) *per Def.* 12.
(b) *per Ax.* 1.

AXIO-

AXIOMATA SECUNDI GENERIS.

V I.

PROXIMUM Conſcientiæ Judicium de honeſtate operationis debet eſſe certum.

Nempe ſaltem *moraliter*.

Cor. Hinc ultimum Conſcientiæ Dictamen non poteſt eſſe opinativum, cum hoc ſit ſemper incertum (*a*): ideoque nequit eſſe probabile, vel etiam probabilius, aut probabiliſſimum, quia hæc omnia opinativa ſunt (*b*). Quare ſi in caſu alicujus opinionis faventis libertati probabilioris, vel probabiliſſimæ (has enim licite ſequi poſſe apud Probabiliſtas, & Probabilioriſtas certum eſt) adeſt Conſcientiæ certitudo, ea non a Dictamine *directo*, ſed a *reflexo* deſumenda eſt. Itaque hoc Judicium *directum: Pingere in die feſto probabilius, vel probabiliſſime licitum eſt:* eſt incertum, unde Conſcientiam de honeſtate hujus operationis certam, ac ſecuram reddere non poteſt. Hoc autem *reflexum: Eſt licitum quod probabilius, vel probabiliſſime licitum eſt*: eſt certum, atque ideo proxime Conſcientiam certam, & ſecuram reddit de bonitate operationis. Illud ad Prudentiam *actualem* pertinet, & poteſt eſſe falſum: Iſtud ad *habitualem*: etſi utrumque ſit prudens (*c*). Immo Judicium *reflexum* ſupponit *directum*, & idcirco illud eſt verum, & certum, quia hoc eſt prudens. Nam ideo eſt certo licitum quod *probabilius*, aut *probabiliſſime* tale eſt, quia certo licitum eſt, quod eſt *prudens*, *prudens* autem certo eſt, quod *probabilius*, aut *probabiliſſimum* eſt.

(a) *per* Cor. 1. *Def.* 7.

(b) *per Def.* 26. 27. 28.

(c) *per Sch. Def.* 40. 41.

Ex

Ex quo liquet, Probabilioriſmum ipſum *reflexo* Dictamine contineri, atque propterea nonniſi per varias mentis reflexiones tractari, ac determinari poſſe: quod tamen Probabilioriſtæ in nobis, ſi Superis placet, improbare ſolent.

SCHOLIUM.

VIDEBITUR fortaſſe Probabilioriſtarum nonnullis hoc Axioma non certum, ſed incertum eſſe. Sunt enim ex iis, qui putant, ad Conſcientiæ ſecuritatem non requiri *proximi* Dictaminis certitudinem, ſed ſufficere etiam probabilioritatem.

Sed primo in hoc Axiomate nullius demonſtrationis fundamentum, ac robur conſiſtit, quemadmodum Opere procedente apparebit; unde potius ad Doctrinæ methodum, atque abundantiam, quam ad neceſſitatem poſitum eſt. In hujuſmodi autem aliquid incerti eſſe nihil refert. (*a*)

(a) *per Præmon.* 4.

Deinde quod Probabilioriſtæ hoc tanquam certum admittant, ſua magis intereſt, quam noſtra. Nam ſive Judicium ultimum Conſcientiæ certum, ſive probabilius eſſe debeat, ſive *directum*, ſive *reflexum*, jam inter nos, & illos convenit, quod eſt probabilius, licite, ac tuta Conſcientia ſequi poſſe. Cæterum ſi velint ſecus, nos libenter accipimus, & gratias habemus. Cum enim *probabilius* ſit æqualiter incertum, ac *minus probabile* (*b*), ſi illud ſtatuatur ſufficiens, hoc non obſtante, pro ultimo Conſcientiæ dictamine ad ejuſdem ſecuritatem, nihil erit reliquum, quam quod etiam iſtud pariter ſufficiens ſtatui poſſit.

(b) *per Cor.* 2. *Def.* 26. 27.

Qua-

Quapropter ut illud accipiant quomodo libet, per nos illis integrum eſt.

VII.

In dubio practico de peccato, dubitatione manente, ſemper tutior pars eſt eligenda.

Nempe ea pars, quæ Legi favet, ſi quidem operandum eſt.

D. Thomas in 4. Diſt. 21. quæſt. 2. art. 3. ad 3. *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente, quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat, eſſe mortale peccatum, peccat mortaliter diſcrimini ſe committens.*

D. Bonaventura in 4. Diſput. 17. Par. 3. art. 2. quæ. 1. ad 4. ...... *ſicuti ſi Conſcientia alicujus probabiliter dictat de aliquo, utrum ſit mortale, tenetur amplius illud non facere, manente dubitatione, ſed amota tali Conſcientia, non tenetur.*

SCHOLIUM.

PORRO dictum eſt, *dubitatione manente*, quia dubium multimodis amoveri poteſt. Unde eo amoto, tutiorem partem ex capite dubii eligere non tenemur.

Jam vero mens multis de cauſis dubitare poteſt, nempe ob inſcitiam, ob puſillanimitatem, potiſſimum ob rationum ex utraque parte æqualitatem, & univerſim propter rerum incertitudinem. Quo fit, ut ſæpe dubitemus de honeſtate operationis, non ſolum poſiti inter opiniones æque probabiles, ſed etiam inter probabilem, & probabiliorem, immo aliquando, non obſtante morali certitudine, ut contingit in rebus

Fidei, aliiſque hoc modo certis, idque ob quamdam ſpeculativam, licet imprudentem, formidinem, cujus certitudo moralis præſertim imperfecta immunis non eſt (*a*). Item dubitemus de ipſius opinionis probabilitate. Sunt enim complures opiniones mere dubie probabiles, ſeu de quarum probabilitate merito a Doctoribus dubitatur. Quapropter ex quacumque cauſa dubitemus, quamdiu vero dubio quocumque dubitamus, & inſtat operatio, ſemper tutior pars eligenda eſt.

(a) *per Sch.Def. 5.n. 5.*

VIII.

Non eſt per ſe obligatio ſequendi *meliora*, aut *tutiora*, ſed ſatis eſt amplecti *bona*, ſeu *licita*, aut *tuta*.

Itaque meliora, ac tutiora *per ſe* ſunt in conſilio, non in præcepto.

SCHOLIUM.

TUTIORISTÆ ſunt, qui defendunt in opinativis, & incertis ſequenda eſſe tutiora, quos tam Probabilioriſtæ, quam Probabiliſtæ communi certamine adoriuntur. Ubi etiam advertendum eſt, illos iiſdem omnibus argumentis uti adverſus Probabilioriſtas, quibus iſti contra Probabiliſtas utuntur, ut appareat, vel neutrum, vel utrumque ſyſtema iiſdem armis æqualiter profligari poſſe.

Additum eſt vero in Axiomate *per ſe*, quia *per accidens* obligatio eſſe poteſt, puta Juramento, Voto, Contractu &c. (*b*)

(b) *per Sch.Ax. 5.*

Cor. Hinc non poteſt eſſe per ſe obligatio ſequendi opinionem probabiliorem pro Lege in con-

conflictu minus probabilis pro libertate, neque ex parte ipſius Legis, quia hoc eſt tutius (*a*), neque ex parte ipſius probabilioritatis, quia etiam hoc, vel eſt tutius (*b*), vel *melius*, quia *prudentius* (*c*). Quare ſi adeſt obligatio, aliunde deſumenda eſt.

(a) *per Sch.Def.* 24. *n.* 7. (b) *per idem n.*9. (c) *per Cor.Def.* 20., & *Cor.* 6. *Def.*26. 27., & *Cor.* 2. *Def.*48.

SCHOLIUM.

PROBABILIORISTÆ exiſtimant eſſe imprudens eligere *bonum* in comparatione *melioris* freti authoritate D. Thomæ 2. 2. quæ. 53. art. 5., ubi ait: quod *deſiſtere a meliori pertinet ad imprudentiam*. Cui addi poteſt Henricus Quodl. 1. quæſt. 6., ubi propoſita in terminis quæſtione: *An propoſitis majori, & minori bono poſſit voluntas eligere minus:* manifeſte reſolvit, ſi virtuoſe eligere debeat, debere præferre, & eligere illud, quod per rationis Judicium *melius* judicatum eſt.

Sed Divus Thomas in eo art. de inconſtantia perſiſtendi in bono propoſito concepto, ac præfinito loquitur, ut ex art. Corpore, & vel ipſa quæſtionis propoſitione liquet. Quæſtio enim hujuſmodi eſt. *Utrum inconſtantia ſit vitium ſub imprudentia contentum*. Porro locus integer indicatus talis eſt. *Sed contra eſt, quod ad Prudentiam pertinet præferre majus bonum minus bono: ergo deſiſtere a meliori pertinet ad imprudentiam. Sed hoc eſt inconſtantia: ergo inconſtantia pertinet ad imprudentiam*. Senſus igitur genuinus hujuſce textus eſt, deſiſtere a bono propoſito concepto eſſe inconſtantis, hoc eſt imprudentis, quia hoc fieri non poteſt, niſi inordinate, ut in Corpore dicitur. Ait enim: *Non enim aliquis recedit a priori bono propoſito,*

niſi propter aliquid, quod ſibi inordinate placet: ſed iſte receſſus non conſummatur, niſi per defectum rationis, quæ fallitur in hoc, quod repudiat id, quod recte acceptaverat.

Ad Henricum vero quod attinet, ille intelligitur, cum *bonum* ex quodam contemptu *melioris* eligitur, cumque utrumque eadem facilitate, cæteris paribus, eligi poteſt, uti clarius ſe explicat ipſemet quæ. 32., quæ eſt hujuſmodi. *Utrum in æquali facilitate exequendi utrumque, teneatur homo ſemper ad melius faciendum.* Concludit enim. *Idcirco dico abſolute, quod quilibet, cæteris paribus, ſemper tenetur agere, & eligere melius.* Vide, ſi lubet.

Atque hoc ſenſu omnes hujuſcemodi authoritates univerſim veræ ſunt. Profecto enim ad aliquam mentis deordinationem, ideoque ad imprudentiam pertinet contemnere *meliora*, eaque ſine gravi ratione repudiare. Quod in re noſtra minime locum habet, ut liquet. Alioqui obligaremur ſemper ad tutiora, meliora, optima, & ideo etiam ad Conſilia Evangelica &c. Quod ſenſui communi, atque Catholicæ Doctrinæ adverſatur, neque ab Henrico, Doctore alioqui nimis univerſim vere ſcrupuloſo, aut ab ipſis Probabilioriſtis, in multis cæteroqui non nimium ſcrupuloſis, opinor, admittitur, quia aperte falſum eſt.

IX.

Intellectus eſt potentia naturalis, & neceſſaria, cujus objectum eſt verum.

Nempe vel principaliter *reale*, vel etiam ſecundario *apparens* (*a*).

(a) *per Cor.* 1. *Def.* 35.

Vo-

X.

Voluntas eſt potentia libera, ac domina ſui, aliarumque Potentiarum, cujus objectum eſt bonum.

Scilicet vel *reale*, & *verum*, vel *apparens*: Illud eſt primarium, iſtud ſecundarium.

SCHOLIUM.

JAM vero dominium, quod habet Voluntas in alias Potentias, non eſt ſolum aut politicum, aut deſpoticum, ſed partim politicum, partim deſpoticum, hoc eſt partim in bonum Potentiarum, partim in bonum ſui, etiam cum damno Potentiarum, quibus uti poteſt, etiam in earum diſpendium. Sic poteſt imperare Oculo, ut aſpiciat intenſam lucem, qua læditur, & Intellectui, ut determinet ſe ad hæreſim, ad judicium temerarium, licet contrarium magis appareat.

2. Intelligitur autem Axioma de Potentiis internis & externis, quas notum eſt Voluntatis imperio ſubjacere, inter quas præcipuum locum tenet Intellectus, qui ei ad directionem potiſſimum datus eſt. Nam Potentia *Nutritiva*, *Internomotiva*, *Imaginativa*, *Phantaſia* ei non ſubjacent, ut patet.

3. Poteſt autem Voluntas dominari præſertim Intellectui *directe*, & *indirecte*. *Directe*, cum immediate facit, ut Intellectus in actum prorumpat, vel non prorumpat: *Indirecte* cum facit, ut aliquid exequatur, unde fit, ut in actum prorumpat, vel non prorumpat. Exemplo res plana fiet. Sit v. g. Sortes graviter in-

ſenſus Sticho, qui potiatur fama de peritia litterarum, poteſt Sortes ex imperio hujus voluntatis infenſæ male temere, ſeu ſine ulla gravi ratione judicare de Stichi peritia, ſeu judicare eſſe illitteratum. Quod ſi etiam aliquod fundamentum grave habeat de Stichi peritia, poteſt nihilominus conſimile judicium facere, vel divertendo Intellectum a conſideratione iſtius fundamenti, vel minus conſiderando vim illius &c. 1. modo dicitur Voluntas imperare *directe*: 2. *indirecte*.

COROLLARIA.
9. & 10. Ax.

1. HINC Intellectus neceſſario movetur, atque determinatur ad aſſenſum juxta naturam, ſeu vim, & efficaciam motivi, unde movetur, veluti ad inſtar Speculi, quod ſecundum naturam luminis magis, aut minus illuminatur.

2. Hinc nativo pondere ſemper, & *per ſe* fertur in Verum *reale*, quia hoc eſt naturale, & principale ejus objectum, a quo nullo modo diverti poteſt, non autem in Verum *apparens*, quia ab hoc aliquo modo diverti poteſt, ut inferius patebit, & eſt ſolum ſecundarium ejus objectum, atque *ex accidenti*, non *per ſe*. Ac propterea neceſſario aſſentit Vero, & diſſentit Falſo, ita ut Falſo nullo modo poſſit unquam aſſentiri, vel Vero diſſentiri, cum hoc ſit ejus objectum, & Oppoſitorum eadem ſit diſciplina (*a*). Unde quandocumque, & quomodocumque aſſentiat, ſemper aſſentit ſub ratione veri alicujus.

(a) *per Can. 6.*

3. Ne-

3. Neceſſario, & abſolute non cogitur, niſi a Vero, & Evidenti. Cum autem Verum, & Evidens ſit multiplex (*a*), idcirco diverſimode eum cogi neceſſe eſt. (a) per Sch. Def. 5.

4. Hinc abſolute, & neceſſario non cogitur, niſi a Vero, & Evidenti *metaphyſico*, aut *mathematico*, ideoque ab hujuſmodi Principiis, & a Concluſionibus exinde evidenter demonſtratis. Etenim Verum hujuſmodi in naturalibus eſt ſupremum, quod aliter eſſe, aut concipi nullo modo poteſt (*b*). (b) per idem n. 3.

5. Cogitur etiam, licet non eodem prorſus modo, a Vero, & Evidenti *phyſico*, hoc eſt a Principiis *phyſicis*, & Concluſionibus inde neceſſario demonſtratis: quia hoc Verum ex ſuppoſitione naturæ ordinario modo operantis, aliter eſſe nequit, quamquam abſolute eſſe poſſit (*c*). Hoc pacto Intellectus firmiter aſſentit huic veritati, quod Sol cras tantum manſurus eſt ſupra Orizontem, quanta eſt declinatio Circuli ab Æquatore, quem peraget: tamen DEI juſſu aliter fieri poteſt, ut Joſue tempore contigit. Item ſuo modo cogitur a Vero *morali perfecto*, quia etiam hoc ſuo modo aliter eſſe non poteſt (*d*). (c) per idem n. 4. (d) per idem n. 5.

6. Non cogitur a Vero, & Certo de *Fide*, aut *Theologice*, quia etſi Fidei veritates certiſſimæ ſint, ſunt attamen inevidentes (*e*): res vero *theologice* certæ, nonniſi ſuppoſita Fide, veræ ſunt (*f*). (e) per Def. 4. (f) per Sch. Def. 5. n. 2.

7. Non cogitur a Vero, & Evidenti *morali imperfecto*, quia hoc poſtremum in ordine certitudinis eſt, & multo magis, quam Verum alterius generis, aliter eſſe poteſt (*g*). Quo fit, ut hujuſmodi Vero præſertim non ſine formi- (g) per idem n. 5

dine aliqua ſaltem ſpeculativa, licet imprudenti, aſſentiamus (*a*).

(a) *per idem n. eod.*

8. Intellectus neceſſario quidem æqualiter movetur, ac determinatur ab æqualibus Opinativis, minus vero a minus, magis a magis Opinativis, cum juxta vim, & efficaciam motivi neceſſario moveatur (*b*): tamen abſolute, & omnino ab Opinativis quibuſcumque, neque cogitur, neque perfecte determinatur, quia Opinativa quæcumque nullo modo vera, aut certa, aut evidentia, ſed abſolute incerta, & æqualiter incerta ſunt (*c*). Unde neceſſario æqualiter movetur, & determinatur ab opinionibus oppoſitis æqualiter probabilibus, ita ut inter illas ſuſpenſus *per ſe* neceſſario manere debeat; magis vero neceſſario movetur, ac determinatur ab opinione probabiliori, minus ab opinione minus probabili probabiliori comparata: tamen ad aſſenſum abſolute, & *per ſe* non cogitur aut perfecte determinatur, neque in primo, neque in ſecundo caſu, neque *ſimpliciter*, neque in *ſuppoſitione*, ſeu neque in *ſenſu compoſito*, neque in *ſenſu diviſo*, ut Scholæ loquuntur: quia tam æqualiter, quam inæqualiter probabilia, non vera, aut certa, aut ullo modo evidentia, ſed omnino incerta, & æqualiter incerta ſunt (*d*).

(b) *per Cor.* 1. *hujus.*

(c) *per Cor.* 1. *Def.* 7.

(d) *per Cor.* 2. *Def.* 26. 27.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt *neque in ſenſu compoſito*, *neque in ſenſu diviſo* ad ſignificandum, Intellectum a probabilibus quibuſcumque quocumque modo inter ſeſe comparatis, non cogi omnino, vel ad manendum in ſuſpenſione aſ-

ſen-

ſenſus in æque probabilibus, vel ad aſſentiendum probabiliori præ minus probabili invicem comparatis, neque *ſimpliciter* neque in *ſuppoſitione*, quod etiam habeat opinari: itaque non cogi, quin poſſit ſive diviſim, ſive coniunctim ad alterutram partem, ſive in æqualiter, ſive in inæqualiter probabilibus determinari: Id ut fieri poſſit, præſertim ex Suppoſ. 19. re ipſa innoteſcet: & quomodo fiat, mox ex afferendis Corollariis patebit.

9. Hinc Voluntas poteſt dominio ſuo movere Intellectum, eique imperare, non ſolum in practicis, ſed etiam in ſpeculativis, ut docet etiam D. Thomas in 2. Sent. Diſt. 38. art. 3. ad 4.: non tamen in actibus omnibus, & eodem modo. Et quidem ad primos actus intelligendi eum movere non poteſt, quia utpote Potentia naturalis, & neceſſaria, vel congenito, vel adſcititio lumine ad intelligendum neceſſario movetur: ad reliquos omnes actus movere poteſt.

10. Quod actus exercitium pertinet, poteſt in omnibus efficere, ut Intellectus reflectat ſuper ſuos actus, ſuper actus etiam ſuimmetipſius (nempe Voluntatis) aliarumque Potentiarum: eſt enim maxime reflexivus (*a*). Ut aliquid conſideret, vel non conſideret: ut magis, vel minus: ut unum magis, quam aliud: ut proprium judicium retineat, deponat, aut ſuſpendat: ut excogitet rationes pro una parte magis, quam pro alia, & hujuſmodi.

(a) *per Schol. Def.* 37.

11. Non poteſt imperare Intellectui, neque ut aſſentiat Falſo, neque ut diſſentiat reali Vero, quia hujuſmodi Verum eſt naturale ejus objectum, ad quod innato pondere fer-

tur,

(a) per Cor. 2. huj. (b) per Can. 6. (c) per Cor. 4. 5. hujus. (d) per Cor. 6. 7. 8. hujus.

tur, (*a*) & Contrariorum eſt eadem Lex. (*b*)

12. Non poteſt imperare diſſenſum Vero *metaphyſico*, ac *mathematico*, neque *phyſico* in ſuppoſitione naturæ ordinario modo operantis, neque Vero *Morali perfecto* quia primo Vero abſolute, & ſimpliciter, ſecundo Vero abſolute ex ſuppoſitione, tertio Vero ſuo modo cogitur, ac determinatur (*c*). Itaque huic triplici Vero Intellectus ita neceſſario, quamvis diverſo modo, aſſentit, ut non ſubſit dominio Voluntatis.

13. Poteſt *phyſice* imperare aſſenſum, vel diſſenſum in rebus certis *de Fide*, & *Theologice*; multo magis in certis tantum *moraliter imperfecte*; & maxime in quibuſcumque *Opinativis*. Nam neque a Vero *de Fide*, & *Theologice*; neque a Vero *moraliter imperfecte*; neque ab *Opinativis* quibuslibet abſolute cogitur, atque determinatur, licet ab his magis, vel minus, vel æque neceſſario moveatur (*d*). Quare Voluntas *phyſice* facere poteſt, ut Intellectus res Fidei credat, vel non credat; multa admittat, vel neget, non obſtante morali certitudine *imperfecta*; ut aſſentiat alterutri ex duabus opinionibus æqualiter probabilibus, vel opinioni tantum probabili, aut probabiliori invicem comparatis; ut nulli ex his aſſentiat, ſed omnibus diſſentiat, aut in omnibus ſaltem aſſenſum ſuſpendat. Quæ omnia experientia patent. Conſtat enim, Intellectum ex imperio Voluntatis poſſe prorumpere in hæreſim, vel temerarium judicium, non obſtante prædicta morali certitudine, vel probabilitate, aut probabilioritate, atque ideo certo morali, & probabilibus, vel probabilioribus diſſentire.

14. Hinc

14. Hinc in rebus certis *de Fide*, *Theologice*, *moraliter imperfecte*, & *Opinativis* Voluntas efficere poteſt, ut Intellectus minus, vel magis aſſentiatur, minus, aut magis adhæreat, quam pondus rationum mereatur.

1. Quod quidem, quantum ad res Fidei ſpectat, conſtat ex Propoſitione 19. damnata ab Innoc. XI, quæ hujuſmodi eſt. *Voluntas non poteſt facere, ut aſſenſus Fidei ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium*. Atque inde eſt, ut rebus Fidei, tametſi obſcuris, & inevidentibus, firmiſſime tamen, & immobiliter aſſentiamus, iiſque tenacius adhæreamus, quam evidentibus ipſis metaphyſicis, ac mathematicis veritatibus. Hoc enim oritur ex pia affectione Voluntatis, ex gratiæ auxilio cauſata. De rebus certis *Theologice* ferme eadem ratio eſt, quia hæ ſuppoſita Fide certæ ſunt. (*a*) (a) *per Sch.Def.* 5. *n.* 2.

2. Quantum vero res alias *moraliter imperfecte* certas, & opinativas attinet, patet experientia. Nam ſæpe experimur iis nos aſſentire, & magis adhærere, quam eæ mereantur, ut liquet potiſſimum exemplo eorum, qui alicui Scholæ addicti ſunt, qui ſuis ſententiis, ut ſummum probabilibus, aſſentiuntur veluti probabilioribus, ac etiam veluti certis, iiſque adeo tenaciter adhærent, ut quidvis potius, quam ab iis ſe divelli patiantur. Quæ adhæſio, & firmitudo non in Intellectum ipſum, aut motiva, quibus movetur ad aſſentiendum, cum juxta naturam motivi tantum moveatur (*b*); ſed in Voluntatem refundenda eſt, quæ in eas ſententias aliqua affectione ducitur. Unde in iis omnibus, in quibus Intellectus abſolute non cogitur mo- (b) *per Cor.* 1. *huj.*

dis

dis ſuperius explicatis, poteſt Voluntas ipſum *phyſice* determinare ad quamcumque partem maluerit ob aliquam rationem, ſeu cauſam, etiam ſe tenentem ex parte tantum ſuimmetipſius, non vero ex parte Intellectus.

3. Itaque quod probabilitatem præſertim ſpectat, Voluntas *phyſice* efficere poteſt, ut Intellectus magis adhæreat, aſſentiatque opinioni minus probabili, quam probabiliori eidem comparatæ: ut rationes illius magis conſideret, quam iſtius: ut rationes excogitet, quibus illa probabilior reddatur, ac videatur, quam iſta: ut opinetur, vel probabiliter, vel probabilius, vel nullo modo opinetur, ſeu ab opinando deſiſtat: ut deponat judicium de probabilioritate. Idemque multo magis poteſt in æquali opinionum probabilitate: quia poteſt alterutram eligere: magis conſiderare unam, quam alteram: magis uni, quam alteri adhærere: vividius rationes unius, & ſolutiones rationum alterius conſiderare, ſicque animum attentius ad partem eamdem applicare; quo caſu non reddit unam partem ex æque probabilibus probabiliorem altera per inventionem rationum efficaciorum, ſed tantum uni parti mentem vivacius applicat: relinquere Intellectum in dubio, vel dubium tollere per aſſenſum partis alterutrius. In ſumma poteſt Voluntas *phyſice* eligere in opinionibus, vel æqualiter, vel inæqualiter probabilibus inter ſe comparatis partem, quam *maluerit*, ideoque efficere, ut mens in ea comparatione, cui libet, aſſentiat. Quorum omnium una ratio eſt, quia licet Intellectus ſuapte natura ab Opinativis, vel æque, vel magis, vel minus neceſſario moveatur, ac determinetur, abſolute tamen,

men, & *ſimpliciter* non cogitur, neque determinatur. Unde in his omnibus *ſimpliciter* ſubjicitur phyſico dominio Voluntatis.

15. Hinc Voluntas in his Opinativis poterit, non ſolum *phyſice*, ſed etiam *moraliter*, ſeu virtuoſe Intellectum ad quamlibet partem determinare, ſi id poſſit efficere prudenter, nam hæc idem ſunt (*a*); vel ſaltem licite, ſeu ſine crimine, ſi nullum extet præceptum ei vetans hanc liberam determinationem. Quod enim nullo præcepto prohibetur, licitum eſt (*b*). Quare hoc pacto poterit, nedum *phyſice*, ſed etiam *moraliter*, hoc eſt virtuoſe, vel ſaltem licite eligere opinionem probabilem pro libertate in conflictu, vel æque probabilis, vel etiam probabilioris pro Lege, ſi hoc prudenter facere poſſit, vel ſi nulla extet Lex ei prohibens hanc electionem.

(a) *per* *Cor.* 1. *Def.* 15.

(b) *per* *Def.* 12.

SCHOLIUM.

1. PROBABILIORISTÆ acerrime defendunt, Voluntatem hoc prudenter, vel licite facere non poſſe, proindeque ſi fiat, ejus electionem eſſe imprudentem, & criminoſam. Nonnulli vero etiam ex Probabiliſtis id concedunt in quæſtionibus facti, negant autem in quæſtionibus juris. Exemplum facti eſt de æqualibus Teſtibus v. g. teſtantibus contrarium in omnibus circumſtantiis, vel de majoribus teſtibus magis teſtantibus factum ex una parte. In quo caſu, ajunt, non poſſe mentem ex imperio Voluntatis prudenter aſſentire alterutri parti in primo exemplo, ſed neceſſario manere debere in dubio; neque aſſentire prudenter parti

ti minus teſtatæ in ſecundo exemplo, ſed debere neceſſario oppoſitæ parti majori teſtimonio fultæ aſſentiri.

Sed in quæſtionibus facti ſit ſane, ut iſtis Probabiliſtis placet. Nam Probabiliſmus, de quo ſermo eſt, non facti, ſed Juris quæſtionibus, ut ex ipſa Controverſiæ propoſitione patet, continetur.

2. Ut autem oſtendant Probabilioriſtæ, in æque probabilibus, etiam ad Juris quæſtiones pertinentibus, dubium inde neceſſario ortum prudenter deponi; in probabilibus vero inæqualiter ad partem minus probabilem Intellectum determinari non poſſe, obvio Trutinæ (vel etiam Horologii, & Hominis in utramque partem impulſi) exemplo, ob æquale utrinque pondus immotæ, ob inæquale vero ad partem alteram neceſſario declinantis utuntur, quam admittunt, poſſe quidem a Voluntate, v. g. digito in partem quamlibet determinari, ſed pro ſola libidine tamen, & imprudenter. Afferunt etiam in hujus rei patrocinium D. Thomam. Is enim 7. Ethic. cap. 2. affirmat, dubium minime ſolvi, niſi inventione veritatis. Ait namque. *Hæc eſt enim vera ſolutio dubii, cum invenitur, quid ſit verum* (addunt quidam in applicatione hujus loci, *vel veroſimilius*) *circa id, quod dubitatur*.

3. Sed quod Voluntas poſſit, & dubium hujuſmodi prudenter, ac licite deponere, & in quibuſlibet Opinativis ad partem quamlibet ſe determinare, ſuis locis demonſtrabitur. Nunc Trutinæ (ſicut & Hominis, & Horologii) exemplum ex æquo ſollicitat etiam Probabilioriſtas, ſi omnino urgendum eſt. Hinc enim legitime etiam conſequitur, Voluntatem opinionem; nec æque, nec minus probabilem Legi faventem,

tem, nec *moraliter*, nec *phyſice* eligere poſſe, ſed ſemper vel in ſuſpenſione neceſſario remanere, vel cogi ad partem probabiliorem faventem libertati, ut ſpeculanti liquet. Cæterum latiſſimum Trutinam inter, & Intellectum, ac Voluntatem diſcrimen eſſe quis non videt? Itaque nequit Voluntas Bilancem in hypotheſi in quamlibet partem rationabiliter inclinare, quia ibi, ſicuti & in aliis exemplis, operatio fit tantum per modum naturæ, non autem electionis; & quia ibi nihil invenit, unde hoc prudenter efficere poſſit. Quæ etiam, ne id in quæſtionibus facti ſupra commemoratis fieri queat, ratio eſt. At in noſtra hypotheſi multas rationes habet, quibus hanc electionem prudenter facere poteſt, ut infra apparebit. Ut mirum ſit, Bilancis exemplum, quo conficitur nihil, adhuc tamen in medium, non ſolum ab Adverſariis afferri, ſed etiam vehementer inculcari poſſe.

4. Quod autem D. Thomam attinet, primo aliud eſt dubii ſolutio, aliud depoſitio. Hoc nos affirmamus, illud S. Doctor. Præterea hoc pariter a Probabilioriſtis ſolvendum eſt. Cum etenim inter opiniones æque probabiles dubium neceſſario oriatur (*a*), inter vero inæqualiter oriri ſoleat, & poſſit (*b*), & veritas in iſtis nunquam inveniatur (*c*) ſi dubium ſola inventione veritatis deponendum eſt, jam Voluntas fere nunquam poſſet opinionem aliquam eligere, ſed ſemper in ſuſpenſione neceſſario remaneret. Quod & Doctorum ſenſui, & Praxi contrarium eſt, ut in præallegata Suppoſitione 19. videbitur.

Quid igitur vult eo loci D. Thomas? nempe dubii

(a) *per Cor.8.huj.*
(b) *per Sch.Ax.* 7.
(c) *per hypoth.*, *& Cor.* 2. *Def.* 26. 27.

dubii veram, perfectam, completam, ultimatam reſolutionem, quæ quidem rei diſcuſſione peragitur, non niſi veritatis inventione reperiri. Locus enim integer eſt hujuſmodi. *Epilogando*, inquit, *concludit* (nempe Ariſtoteles) *quod tales quidem dubitationes accidunt circa prius propoſita. Et quaſdam harum dubitationum oportet interimere, quaſi falſum intendentes, & quaſdam relinquere, quaſi concludentes verum. Hæc eſt enim vera &c.* Cui loco lucem affert alter, qui in 3. Sent. Diſt. 17. quæſt. 1. art. 4. habetur. Ibi enim ait. *Dubitatio dupliciter dicitur. Primo enim, & principaliter deſignat motum rationis ſuper utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alterum. Secundo ..... Primo autem modo prædicta dubitatio contingit ex defectu medii ſufficientis ad veritatem inveniendam, & ideo contingit ex defectu ſcientiæ.* Sicut ergo dubitatio veritatis abſentia per ſe oritur, ita ejuſdem præſentia reſolvitur.

Quod tandem illud *vel veroſimilius* pertinet, nihil mireris, Lector, quia a Probabilioriſtis, ut Sententiam ſuam ibi manifeſtam invenirent, ubi ejus ne quidem vola, aut veſtigium reperitur, pro conſueta ſua liberalitate additum eſt.

16. Hinc denique ſequitur, omnia ſuperius explicata fieri ab Intellectu ex Voluntatis imperio actibus non primis, ſed ſecundis, non *directis*, ſed *reflexis*; quia ad primos actus Voluntas illum movere non poteſt (*a*). Itaque imperat illa Intellectui, ut ſupra ſuos actus reflectat, ſicque multarum reflexionum ope ea omnia operetur, quæ hactenus deduximus. Unde etiam ex hinc patet, quæſtionem de Probabiliſmo eſſe maxime ſubtilem, & retruſam, atque mul-

(a) *per Cor. 9. huj.*

multiplicibus reflexionibus ſubjectam, ideoque non niſi per varios mentis reflexus, quod tamen in nobis paſſim improbare, aut irridere Probabilioriſtæ ſolent, extricari poſſe.

SCHOLIUM I.

HÆc omnia Corollaria certiſſima ſunt, utpote evidenter ex his Axiomatis deducta, quæ tamen poſſemus etiam pluribus, ex ſingulis Scholarum Principibus, teſtimoniis apertiſſimis confirmare. Sed non eſt opus. Tantum aliquot loca ex D. Thoma afferamus, cujus in hanc rem ſexcenta ſunt, ut appareat, Voluntatem in Opinativis quibuslibet poſſe Intellectum ad partem quamlibet rationabiliter determinare, potiſſimum ob aliquam cauſam ſe tenentem dumtaxat ex parte ſui, non vero ex parte Intellectus.

Itaque 2. 2. q. 1. a. 4. ait. *Aſſentit Intellectus alicui dupliciter, uno modo, quia ad hoc movetur ab ipſo objecto, quod eſt per ſe ipſum cognitum, ſicut patet in primis principiis, quorum eſt intellectus; vel eſt per aliud cognitum, ſicut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia. Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio* (nota bene) *ſed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam; & ſi quidem hac ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; ſi autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit fides.*

Neque huic loco contradicit alter, qui habetur Q. 14. de veritate a. 3. ad 5., ubi S. Doctor oppoſitum manifeſte affirmare videtur. Ait enim, quod *in ſcientia, & opinione non eſt ali-*

qua inclinatio ex voluntate, *ſed ex ratione tantum*. Nam hoc intelligi commode poteſt *quoad ſpecificationem*, ut Schola loquitur, *non quoad exercitium*, ſicuti Joan. a S. Thoma magnus Thomiſta 2. 2. q. 1. diſp. 3. a. 2. n. 3. obſervavit.

Lib. 3. Ethic. Lect. 18. ante medium. *Quia operabilia*, inquit, *ſunt contingentia*, *non cogitur ratio ad aſſentiendum huic*, *vel illi*, *ſicut accidit in demonſtrativis*, *ſed in poteſtate habet homo*, *ut aſſentiatur uni*, *vel alteri parti contradictionis* (nota bene) *ſicut accidit in omnibus opinativis*, *in quibus plurima attenduntur*, *ſecundum quorum quodlibet poteſt judicari bonum*.

Pr. 2., & 2. 2., quæſt. 17. art. 6., qui eſt. *Utrum actus rationis imperetur*. Ubi poſtquam diſtinxit duplicem modum, quo hic actus conſiderari poteſt, nempe *quantum ad exercitium*, *& quantum ad objectum*, itemque duplicem actum rationis, nempe *apprehenſionem*, & *aſſenſum*; & affirmavit, quoad *apprehenſionem* actum hujuſmodi non eſſe in poteſtate noſtra, neque imperari poſſe, de *aſſenſione* vero ita ſubdit. *Si igitur fuerint talia apprehenſa*, *quibus naturaliter Intellectus aſſentit*, *ſicut prima principia*, *aſſenſus talium*, *vel diſſenſus non eſt in poteſtate noſtra .... Sunt autem quædam apprehenſa*, *quæ non adeo convincunt Intellectum*, *quin poſſit aſſentire*, *vel diſſentire*, *vel ſaltem aſſenſum*, *vel diſſenſum ſuſpendere propter aliquam cauſam*, (nota bene) *& in talibus aſſenſus ipſe*, *vel diſſenſus in poteſtate noſtra eſt*, *& ſub imperio cadit*.

In quæſt. diſput. quæſt. 14. de Fide. *Intellectus determinatur per voluntatem*, *quæ eligit aſſentire uni parti determinate*, *& præciſe propter aliquid*, *quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem*,

tem, non autem ad movendum Intellectum, utpote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire. Et iſta eſt diſpoſitio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur decens, vel utile. Et ſic etiam movemur ad credendum, in quantum nobis repromittitur, ſi crediderimus, præmium æternum. Et hoc præmio movetur Voluntas ad aſſentiendum his, quæ dicuntur, quamvis Intellectus non moveatur per aliquid intellectum.

Nec refert, quod hoc loco D. Thomas loquatur de Fide, non de Opinione; quia cum Intellectus neque a rebus Fidei, neque ab Opinativis abſolute cogatur ad aſſenſum (*a*), immo cogatur magis ab illis, quam ab iſtis, quandoquidem illæ *morali* certitudine credibiles ſunt (*b*) legitime conficitur, illud, quod eſt ſufficiens ad movendam Voluntatem, ut aſſenſum imperet in rebus *Fidei*, ſufficere etiam ad eam movendam, ut aſſenſum imperet in Opinativis, immo in his multo magis. Unde quod eſt Voluntati *utile*, *bonum*, *decens*, *conveniens*, commodum, ad utrumque aſſenſum ſimili modo imperandum, illam æqualiter movere poteſt.

(a) *per Cor. 6. 8. huj.*

(b) *per Sch. Def. 5. n. 5.*

2. Ex his clariſſimis D. Thomæ teſtimoniis evidentiſſime liquet, eſſe falſum, quod nihilominus Probabilioriſtæ ad ea reſpondere ſolent. Reponunt enim, poſſe quidem Voluntatem in Opinativis determinare Intellectum ad aſſenſum unius, vel alterius partis contradictionis, hoc eſt vel probabilioris, vel etiam minus probabilis in conflictu illius, ſed *indirecte*, & *in ſenſu diviſo*, minime vero *directe*, & *in ſenſu compoſito*; videlicet poſſe ei imperare, ut partem, quæ in eo conflictu ſibi apparet minus proba-

 bilis,

bilis, per inventionem majoris fundamenti; reddat probabiliorem oppoſita, & hoc modo illi aſſentiatur: verbo poſſe imperare, ut uni, vel alteri poſſit quidem aſſentiri, ſed alterutri tamen ſemper ſub ratione probabilioris.

Hoc autem eſſe falſiſſimum, & ad eludendam adeo claram tanti Doctoris doctrinam dumtaxat excogitatum, vel ex ſola forma loquendi primo liquet. Cum enim loquitur de demonſtrativis, dicit *huic*, *vel illi*, cum autem de opinativis, dicit *uni*, *vel alteri*. Quibus diverſis locutionis formulis vim ineſſe ſignificandi, quod contendimus, etiam Pueri Grammatici vident.

Deinde nihil hoc pacto intereſſet quoad aſſenſum inter demonſtrativa, & opinativa, quia Intellectus in utriſque ſemper neceſſario cogeretur ad aſſenſum unius determinatæ partis præ alia, nempe in demonſtrativis partis demonſtratæ, in opinativis vero partis probabilioris. Ait autem D. Thomas, quod *in demonſtrativis cogitur ratio ad aſſentiendum huic*, *vel illi* (videlicet ſub disjunctione ei parti, quæ demonſtrata eſt); *in omnibus* autem *opinativis*, quod *habet homo in poteſtate*, *ut aſſentiatur uni*, *vel alteri parti* (nempe ſub conjunctione, non uni determinate, ſed alterutri); *&* quod *in talibus aſſenſus ipſe*, *vel diſſenſus in poteſtate noſtra eſt*, *& ſub imperio cadit*.

Præterea ait, Voluntatem in opinativis poſſe aſſenſum hujuſmodi imperare *propter aliquam cauſam*, hoc eſt *propter aliquid ſufficiens ad movendam Voluntatem*, *non autem ad movendum Intellectum*; videlicet, *quia videtur bonum*, *conveniens*, *decens*, *utile*; *& quamvis Intellectus non moveatur per aliquid intellectum*; *& non quia ſufficien-*

ter

ter moveatur ab objecto proprio, ſed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam. Nunc ſi in Opinativis Intellectus ſemper determinaretur ad aſſenſum unius partis præ alia ob ſolam cauſam probabilioritatis, determinaretur ſemper *per aliquid intellectum*; & *per aliquid ſufficiens* ad movendum Intellectum ipſum, non Voluntatem; & *quia ſufficienter* moveretur *ab objecto proprio*, cum probabilioritas ſe teneat ex parte Intellectus, utpore aſſenſus illius (*a*), non Voluntatis: non vero determinaretur *per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam*: & *bonum*, *conveniens*, *decens*, *utile* non eſſet cauſa movens Voluntatem, ſed Intellectum contra id, quod affirmat D. Thomas. (a) *per Def.* 27.

Tandem hac ratione Voluntas ipſa ſemper ſubjiceretur Intellectui, non Intellectus Voluntati, & nunquam aſſenſus, vel diſſenſus proprie ſub poteſtate noſtra eſſet, ac ſub imperio caderet, cum tam in Demonſtrativis, quam in Opinativis (nihil autem eſt inter hæc medium, cui mens aſſentiri poſſit) ſemper uni determinatæ parti neceſſario teneretur aſſentire.

Cæterum hoc de *phyſica*, ac *morali* poteſtate Voluntatis in Intellectum quoad aſſenſum, in Supp. 19. iterum magis etiam demonſtrabitur.

3. Ut cauſas hujus liberæ determinationis reſumamus, eæ in univerſum duæ ſunt, quarum altera ad Intellectum, altera ad Voluntatem pertinet.

Et quidem cur Voluntas poſſit eum *phyſice* determinare, una cauſa eſt, quia ille ab Opinativis quibuſcumque abſolute non cogitur, quamquam vel æque, vel magis, vel minus movetur, ac determinatur. Cur autem poſſit

moraliter, ſeu prudenter, cauſa ex parte Intellectus eſt, quia cuicumque parti aſſentiatur, ſemper rationabiliter aſſentitur, propterea quod aſſentitur ob rationes adeo ſolidas, & graves, ut poſſint illum ad aſſenſum determinare; præſertim quia apte ſolvendo omnes rationes alterius partis, quod ad veram probabilitatem requiri in Cor. ſupp. 29. notabitur, eaſque propterea veluti in nihilum redigendo, liber, & expeditus omnino manet ad aſſentiendum alteri parti: ex parte vero Voluntatis, cauſa eſt, quia *bonum*, *conveniens*, *utile*, *decens*, verbo commodum illi eſt uni parti, incommodum vero alteri parti aſſentire. Hoc autem commodum, vel incommodum reſpectu Voluntatis ad electionem, vicem, & pondus novæ rationis, & quidem magnæ habet. Quis enim non videat, me ſubiturum incommodum graviſſimum, ſi v. g. reddam mille aureos, ſequendo opinionem probabiliorem imponentem hoc onus mihi, quod non ſubibo, ſequendo minus probabilem ab hoc onere me eximentem? Unde cum Voluntas opinionem minus probabilem eligit in conflictu probabilioris, prudenter operari poteſt, quia non ſine ratione, aut cum levi, ſed cum magna, & quidem multiplici operatur.

Atque hæ duæ cauſæ generales ſunt. Peculiares pro Voluntate eſſe poſſunt: ut ſervet ſuæ Conſcientiæ libertatem: ut oſtendat ſuave eſſe Legis Chriſtianæ Jugum: quia utilius eſt ſaluti Proximi ſequi opiniones benignas: quia benigna opinio eſt propria v. g. ſuæ Scholæ: quia facilior ad captum, & exercitium: quia a Superiori, vel a Viris Doctis ſuadetur: ne ſibi, aut aliis inferat gravem moleſtiam, aut notabile

in-

incommodum, ut exemplo oſtendimus: & alia multæ hujuſmodi, quæ in illis generalibus verbis *bonum*, *conveniens*, *decens*, *utile*, a D. Thoma uſurpatis continentur.

SCHOLIUM II.

PLERIQUE, quod ſpectat libertatem aſſenſus, vel diſſenſus in rebus Intellectum non convincentibus, exiſtimant, illum non ſolum a Voluntate, ſed etiam a ſemetipſo ad quamlibet contradictionis partem determinari poſſe. Itaque poſſe & credere, & opinari ad libitum ex utraque parte ſine imperio Voluntatis. Hoc autem putant fieri ope, & vi habitus intellectualis; ſeu ipſius luminis naturalis, vi habitus ſcientialis, & etiam habitus univerſalis, qui phantaſmate continetur. Quod fortaſſe a vero non abludit. Sed quoniam hoc certum non eſt, & a pluribus negatur, idcirco relictum eſt. Satis eſt, poſſe in hujuſmodi pro libito *phyſice* a Voluntate determinari. Hoc ab omnibus admittitur, & omnino certum eſt.

AXIOMA XI.

INTELLECTUS Speculativus, & Practicus eadem omnino Potentia in re eſt, ſola ratione diverſa.

SCHOLIUM.

HÆC autem diverſitas objecto, fine, ac denominatione continetur. Etenim Speculativi objectum eſt Verum ut verum, Pra-

ctici vero Verum ut licitum, ſeu bonum. Finis primi eſt pura, putaque ſpeculatio veritatis, ſecundi ſpeculatio veritatis ordinatæ ad opus (*a*): ob idque alter ſpeculativus, alter practicus nuncupatur. Unde illud tritum Proverbium ab omnibus tum Philoſophis, tum Theologis poſt Ariſtotelem admiſsum: *Intellectus Speculativus extenſione fit Practicus*: Nempe ſola extenſione ad opus, ad quod refertur.

(a) *per Def.* 35. *ejuſque* 1. *Cor.*

Cor. Hinc omnia eſſentialia attributa, proprietates, & munera Speculativi etiam Practici communia ſunt, & quidquid alteri convenit, alteri quoque neceſſe eſt convenire. Quocirca quidquid, & quomodo aut Ratio, aut Voluntas in Speculativum per ſe poterit, id etiam, eodemque modo poterit & in Practicum.

Dicitur *per ſe*, quia aliunde fieri poteſt, ut quod Intellectui tantum veritatem ſpeculanti convenit, eidem ſpeculanti veritatem relate ad opus convenire non poſſit, puta ſi Juramento, Voto, Contractu &c. prohiberetur. (*b*)

(b) *per Schol. Ax.* 5.

XII.

In moralibus non requiritur Certitudo demonſtrativa, ſed ſufficit quæcumque oſtenſio perſuaſiva.

Alb. Mag. lib. 1. Ethic. Tract. 4. cap. 1. 2. 3. ait: *quod in moralibus oportet groſſe, & figuraliter veritatem oſtendere, non demonſtrativa neceſſitate, ſed quacumque oſtenſione perſuaſiva.*

D. Thomas in 3. Sent. Diſt. 35. quæſt. 3. art. 3. ad 2. quæſtiunculam; *quod prudentia non certitudinaliter, ſed magis æſtimative de agendis judicium habet.*

Et 2. 2. q. 60. ar. 3. ad 1. *In humanis actibus inve-*

nitur

nitur aliqua certitudo, non quidem ſicut in demonſtrativis, ſed ſecundum quod convenit tali materiæ.

Ægidius in 2. Sent. Par. 2. Diſt. 39. quæſt. 3. art. 2. . . . . . *& ideo Philoſ. 1. Ethic. dicit: quod de talibus* (nempe agibilibus) *oportet groſſe, & figuraliter veritatem oſtendere.*

Scotus in 4. Diſt. 27. qu. 2. §. *Solutio iſtius; quod in actibus humanis non requiritur certitudo demonſtrativa, ſed ſufficit probabilis, & ut in pluribus.*

SCHOLIUM.

INTELLIGITUR autem Axioma, ſicut & allata teſtimonia de Certitudine dictaminis directi, non reflexi, & de Prudentia actuali, ejuſque actibus imperatis, non de Prudentia habituali, ejuſque actibus elicitis; quia & judicium reflexum certum ſaltem moraliter eſt (*a*): & actus Prudentiæ eliciti ſemper veri, & certi ſunt (*b*). Itaque pro dictamine directo, & pro actibus Prudentiæ imperatis, quæcumque oſtenſio perſuaſiva ſatis eſt: Pro reflexo, & actibus elicitis requiritur ſaltem moralis certitudo.

Cor. Hinc in moralibus ſufficere poterit tum probabilioritas, tum probabilitas ei comparata, quia utraque eſt *oſtenſio aliqua perſuaſiva* (*c*); *quia utraque groſſe, & figuraliter veritas oſtenditur* (*d*); quia per utramque *æſtimative de agendis*, & *ut in pluribus* judicamus. (*e*)

(a) *per Cor. Ax. 6.*

(b) *per Sch. Def. 48. n. 5.*

(c) *per Def. 26. 27.*

(d) *per Cor. 1. Def. 36. 37.*

(e) *per Cor. 2. Def. 48.*

XIII.

Ubi non cogit evidentia veritatis, proprium judicium alieno ſubmittere, non ſolum per ſe licitum, ac laudabile, ſed etiam valde laudabile eſt.

Hoc

Hoc docent omnes Magiſtri Spirituales, eſtque indicium magnæ virtutis, & humilitatis. Quis enim dubitet, te poſſe laudabiliter proprium judicium ſubmittere judicio v. g. S. Auguſtini, aut S. Thomæ? Præſertim quod philautia, ſeu amor proprius excœcat mentem, ut perſuadeat homini, judicium proprium præferendum eſſe alieno; & quod inter Viros prudentes vituperatur ille, qui nimium tenax eſt judicii proprii, quod ſolet eſſe indicium ſuperbiæ.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt, *ubi non cogit evidentia veritatis*, quia ubi hæc adeſt, Intellectus aliter ſentire, ne quidem ex imperio Voluntatis, pro ſuo modo non poteſt (*a*): & ſi quidem poſſet, non prudentis id, ſed imprudentis, & ſtulti Hominis eſſet. Additum eſt *per ſe*, quia aliunde contingere poteſt, ne laudabiliter proprium judicium alieno ſubjiciatur, v. g. Juramento, Voto, Contractu &c. Hoc pacto, qui voveret v. g. aliquam ſententiam, licet non certam, & evidentem alicujus Doctoris, ex. ca. S. Thomæ tenere, deberet ei aſſentire, neque ſententiæ contrariæ proprium poſſet judicium ſubmittere.

Cor. Hinc in omnibus opinabilibus potes judicium proprium alieno ſubmittere, cum in iſtis non cogat evidentia veritatis (*b*): ideoque potes laudabiliter relinquere proprium judicium probabilius, te accommodando alieno minus probabili, cum utrumque ſit opinativum, & æqualiter (*c*). Præſertim quia utcumque aliqua opinio certo tibi probabilior videatur, falli

(a) *per* Cor. 11. 12. *Ax.* 9. 10.

(b) *per* Cor. 8. *eorund.*

(c) *per* Def. 26. 27.

ſalli tamen in hoc faciliime poſſis, quia probabilioritas non *realis*, *abſoluta*, & *objectiva*, ſed *apparens*, *ſubjectiva*, & *reſpectiva* eſt (*a*): ideoque etiam oppoſita, quæ tibi videtur minus probabilis, aliis probabilior *reſpective* eſt, ut Supp. 10. apparebit, imo & *abſolute* eſſe poteſt (*b*). Porro dictum eſt, *potes*, non quod etiam non poſſis ſequi judicium tuum, quod cenſes probabilius, ſed quod potes ſequi etiam alienum, quamquam tibi minus probabile, quia hoc non ſolum licitum, & ſine crimine, verum etiam laudabile eſt.

(a) *per Sch.2.eamnd.n.4.*

(b) *per Sch.Def. 29. n. 1.*

X I V.

Ignorantia *invincibilis* excuſat a peccato formali.

Nempe ubi datur. Hic namque nihil refert determinare, ubi dari poſſit.

Hoc autem conſtat vel ex ſecunda propoſitione damnata ab Alex. VIII, quæ eſt. *Tametſi datur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.*

SCHOLIUM.

JAM vero Axioma intelligitur 1. de Ignorantia *invincibili* tam *phyſice*, quam *moraliter*. Nam ignorantia non eſt culpabilis, ſi non poteſt homo *phyſice* illam vincere; neque poteſt eſſe culpabilis, ſi non habet obligationem illam vincendi. Eſt enim certiſſimum, excuſari hominem a peccato, tam per defectum obligationis, quam per defectum phyſicæ poſſibilitatis.

Intelligitur 2., etiam de Ignorantia *præviſa*; dum-

dummodo vinci non poſſit, aut debeat per certam ſcientiam veritatis, neque ſit obligatio eam vincendi per reductionem ad dubium practicum, ſed vinci poſſit per electionem opinionis (*a*). Etenim ſicut ea verba *ſcire non poteſt* in definitione *invincibilis* Ignorantiæ intelliguntur de impoſſibilitate habendi ſcientiam, vel reſolvendi ignorantiam in dubium practicum, quod contingit potiſſimum, cum ignorantia eſt invincibilis *phyſice*, & *impræviſa*: ita illa, *vel ſcire non tenetur*, intelliguntur de defectu obligationis, vel ad habendam ſcientiam, vel ad reſolvendam ignorantiam in ſimile dubium practicum; quod contingit, cum ignorantia *præviſa* eſt. Nam alterutrum ad Ignorantiam *invincibilem* ſatis eſt, nempe vel defectus obligationis ſciendi, vel ſciendi impoſſibilitas (*b*).

(a) *per Sch. Def. 44. n.* 3.

(b) *per idem n.* 5.

Cæterum Ignorantiam *invincibilem*, tametſi *præviſam*, re vera excuſare a culpa formali ſuis locis adhuc magis data opera demonſtrabitur.

X V.

Quilibet tenetur ſub culpa ſcire neceſſaria ad ſalutem pro ſtatu, & conditione ſua.

SCHOLIUM.

HÆc autem & ad Fidem, & ad Mores pertinent, & par utriuſque obligatio eſt. Niſi quod nobilior eſt reſpectus, & neceſſitas major veritatis ſpeculativæ revelatæ v. g. de Trinitate, de Incarnatione, quam veritatis practicæ, v. g. de uſura, de fornicatione &c., & periculoſius in rebus fidei, præſertim capitalibus,

bus, quam in rebus morum erratur, ut liquet, & quia in fide fundamentum ſalutis continetur, & quia fides ſola nititur DEI veritate & infallibilitate; mores autem etiam conſcientia, atque perſuaſione operantis.

Et quidem, quod attinet Fidem, omnes tenentur ſcire Myſteria Fidei, & Articulos, qui ſaltem Symbolo continentur; quod vero Mores, præter univerſalia naturæ præcepta, quæ congenita ſunt (*a*), tenentur ſcire præcepta Sacramentorum neceſſariorum, præcepta Decalogi, & communia Eccleſiæ; ſinguli vero præcepta peculiaria ſtatus ſui; Paſtores autem, & Doctores, quibus docere alios incumbit, multo ſane plura.

(a) *per Sch.* 1. *Def.* 45. *n.* 1.

Cor. 1. Hinc de hujuſmodi vel *abſolute*, vel *reſpective* neceſſariis non datur ordinarie ignorantia *invincibilis* excuſans a peccato formali; cum hæc ſit tantum de iis, quæ quis ſcire non tenetur, aut non poteſt (*b*). Additum eſt *ordinarie*, quia contingere poteſt, ut quis, quod ſcire obligatur, ſcire non poſſit, quo caſu non peccabit. Cæterum Fideles ordinarie non excuſantur, quia ſcire poſſunt, ut ſupponitur.

(b) *per Def.* 44.

2. Hinc non excuſatur a culpa, qui ſequitur opinionem alicujus, etſi celebris, ac famoſi Magiſtri, contrariam iis, quæ ſcire tenetur, & poteſt, ſive ad Fidem pertineant, ſive ad Mores & ſunt vel manifeſta in Scriptura, vel publice tenentur ſecundum Eccleſiæ auctoritatem, ut docet etiam. D. Thom. Quodl. 3. a. 10., ut ſi quis edoceretur, v. g. Purgatorium non eſſe, fornicationem non fore peccatum, non eſſe communicandum in Paſchate &c. Hæ enim, non opiniones, ſed errores, & hæreſes ſunt.

Vir-

XVI.

Virtus in medio conſiſtit.

SCHOLIUM.

INTELLIGITUR de actibus virtuoſis tum *elicitis*, tum *imperatis*, qui ut tales ſint, debent in medio conſiſtere.

1. Eſt autem *medium* duplex, *Rei*, & *Rationis*. 1., quod in rebus ipſis reperitur, ideoque ſine rationis ope determinari poteſt, 2. quod in rebus non invenitur, ſed pendet a judicio rectæ Rationis, cujus auxilio reperitur, & præſcribitur.

2. Sola Juſtitia commutativa habet *medium Rei*, quia circa res exteriores occupatur; Juſtitia vero diſtributiva, cæteræque Virtutes Cardinales cum ſuis Partibus, & Speciebus, tam quæ moderantur paſſiones, ideoque proprie vocantur morales, ut *Temperantia*, & *Fortitudo*, tam præſertim intellectuales, ut *Prudentia*, & *Juſtitia* ipſa potiſſimum diſtributiva habent *medium Rationis*, ſeu *medium*, quod a Ratione determinatur, & præſcribitur. Non enim actus aliquis poteſt eſſe temperans, fortis, prudens, niſi fiat quomodo ſecundum rectam rationem fieri debet.

3. *Medium* Prudentiæ eſt recta Ratio, Prudentia vero *medium* cæterarum Virtutum, quia hæc eſt earum forma, & Regula (*a*): unde ad eam ſpectat medium cæteris determinare, ac præſcribere; immo ſpectat ad Rationem rectam ipſam, quia Prudentia, & recta Ratio idem eſſentialiter ſunt (*b*). Quare Scotus in 4. Di-

(a) *per Sch. Def.* 48. *n.* 1.
(b) *per Cor.* 1. *ejuſd.*

ſt inct.

ſtinct. 14. quæſt. 2. ff. *In iſta Quæſtione*, dicit; quod actus conformis rectæ Rationi eſt medium actus virtutis.

Et D. Thomas 1. 2., & 2. 2. quæſt. 66. art. 3. ad 3. *Eſt autem finis uniuſcujuſque virtutis moralis attingere medium in propria materia: quod quidem medium determinatur ſecundum rectam Rationem Prudentiæ in 2., & 5. Ethicorum cap. 8., & ultimo.*

Et quæſt. 64. art. 3. ait *quod* ...... *idem medium, quod eſt virtutis moralis, etiam eſt ipſius Prudentiæ, ſcilicet rectitudo Rationis, ſed Prudentiæ quidem eſt iſtud medium, ut regulantis, & menſurantis, virtutis autem moralis, ut regulatæ, & menſuratæ.*

Alb. Mag. Sum. Theol. Par. 1. Tract. 16. quæſt. 103. Memb. 5. *Omnis virtus medium eſt, ſed moralis duarum malitiarum medium eſt, intellectualis vero Ratio recta*. Et Memb. 2. ait ex Ariſtotele 7. Ethic., *quod in omnibus virtutibus intellectualibus, cujuſmodi eſt Prudentia, medium eſt Ratio recta.*

Et in 3. Sent. diſt. 9. art. 2. *Secundum Philoſophum non omnes virtutes habent unius Rationis medium, ſed habent quoddam medium, quod eſt recta Ratio, ſicut illæ, quæ ſunt in Ratione, ut Prudentia, & Juſtitia cum ſuis Partibus.*

Et diſt. 33. art. 1. *Intellectualis autem Virtus, ut ipſe dixit* (nempe Ariſtoteles), *non habet medium hoc modo, ſed ineſt ei Ratio recta per medium, ſicut Prudentia cum ſuis, quæ ſunt ſecundum eum Phroneſis, Scientia, & Intelligentia, & hujuſmodi.*

Et Lib. 6. Ethic. Tract. 1. cap. 1.. *Patet igitur, quod omnis medii inventio a Ratione eſt, & o-*

& omnis medii determinatio eſt ex principiis Rationis, & ſic omne medium in eo, quod medium, in Ratione eſt.

Cor. 1. Hinc actus Prudentiæ ſive *eliciti*, ſive *imperati* in quacumque ejus Parte in *medio* conſiſtunt, ideoque ut ejus *Conſilium* v.g., & *Judicium* ſit prudens, debet in *medio*, ſecundum quod a recta Ratione præſcribitur, conſiſtere.

2. Etiam recta Ratio in *medio* conſiſtit, hoc eſt actus Rationis rectæ in *medio* conſiſtere debent, quia hæc eſt, quæ *medium* regulat Prudentiæ (*a*), & cum iſta idem eſſentialiter eſt (*b*).

3. Hinc Opinio probabilis eſt actus Prudentiæ, quia eſt actus rectæ Rationi conformis (*c*), & hujuſmodi actus ex Scoto ſupra eſt *medium* actus Virtutis (*d*), hoc eſt Prudentiæ (*e*).

(a) *per Schol. huj. n.* 3.
(b) *per Cor.* 1. *Def.* 48.
(c) *per Cor.* 5. *Def.* 26. 27.
(d) *per Sch. huj. num.* 3.
(e) *per Sch. Def.* 48. *n.* 1.

XVII.

Medium Rationis non eſt indiviſibile.

D. Thomas in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 3. art. 1. ad 2. quæſtiunculam ad. 1.. *Tamen ſciendum, quod medium virtutis non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet aliquam latitudinem, in qua virtus ſalvatur, quamvis termini illius latitudinis non poſſint ſermone determinari; & ideo qui dimittit, quo licite poteſt uti, non oportet, quod ſtatim a medio virtutis diſcedat.*

Et diſt. 46. quæſt. 1. art. 2. ad. 4. quæſtiunculam. *Sed tamen, quia in nobis non requiritur ad virtutem, ut ſemper medium attingamus, ſed ſufficit quandoque juxta medium eſſe propter difficultatem inventionis medii, ut dicitur 2. Ethic. Inde eſt, quod apud nos unus juſtius alio agere dicitur, ſecundum quod magis, vel minus accedit ad medium, non perveniente utroque ad ipſum..*

Et

Et in Quæſt. diſput. quæſt. unica de Virtutibus art. 11. ad 16. *Sufficit enim ad virtutem, quod appropinquet ad medium, ut dicitur. 2. Ethic., & propter hoc unus actus virtuoſior altero dicitur.*

Et 1. 2., & 2. 2. quæſt. *66.* art. 1.. *Si vero conſideratur virtus ex parte ſubjecti participantis, ſic contingit virtutem eſſe majorem, vel minorem, ſive ſecundum diverſa tempora in eodem, ſive in diverſis hominibus; quia ad attingendum medium virtutis, quod eſt ſecundum Rationem rectam, unus eſt melius diſpoſitus, quam alius, vel propter majorem aſſuetudinem, vel propter meliorem diſpoſitionem naturæ, vel propter perſpicacius judicium, aut etiam propter majus gratiæ donum .... & in hoc deficiebant Stoici æſtimantes, nullum eſſe virtuoſum dicendum, niſi qui fuerit ſumme diſpoſitus ad virtutem. Non enim exigitur ad rationem virtutis, quod attingat rectæ Rationis medium in indiviſibili* (nota bene, Rationem rectam non eſſe indiviſibilem) *ſicut Stoici putabant, ſed ſufficit prope medium eſſe, ut in 2. Ethic. dicitur. Idem etiam indiviſibile ſignum unus propinquius, & promptius attingit, quam alius, ſicut etiam patet in ſagittatoribus trahentibus ad certum ſignum .....* (aptius exemplum a D. Thoma afferri non poterat). Et ad 2. dicit. *Ad ſecundum dicendum, quod illud ultimum, quod pertinet ad virtutem, poteſt habere rationem magis, vel minus boni ſecundum prædictos modos, cum non ſit ultimum indiviſibile, ut dictum eſt.*

Scotus in 3. diſt. 34. quæſt. unica Arg. 2. contra Henr. *Præterea*, inquit, *circa terribilia convenit, virtutem humanam recte tenere medium:*

igitur rectius, *&* *rectiſſime*, *quantum poſſibile eſt tali natura &c.* Et in reſponſ. ad Argum. ad 2. ait, quod *circa multa contingit errare*, *&* *vitioſe agere*, *ſed circa tantum unum* (nempe in ſpecie, & in individuo) *ſcilicet perfecte circumſtantionatum contingit recte agere*, *rectius*, *&* *rectiſſime*. Hoc eſt circa aliquod in *medio* Virtutis conſiſtens, quia recta, ſeu virtuoſa actio non niſi in *medio* conſiſtere poteſt (*a*).

(a) *per præced.*

Alb. Mag. loco ſuperius laudato, poſt ea verba, quæ attulimus, ſtatim ſubdit. *In prudentialibus autem per ſe patet. Prudentialia enim omnia conſiliativa ſunt*, *conſiliativa vero omnia per intenſionem*, *&* *remiſſionem ad medium veniunt*.

Et in 4. diſt. 33. art. 18. *Ad illud dicendum*, (loquitur *de Gula*) *quod propter hoc*, *quod latet medium*, *ſufficit eſſe prope medium*, *quantumcumque aliquo modo diſceditur a medio*, *ſed quando perfecte diſceditur ab ipſo in contrarium*. Hic deeſt aliquid, quod tamen a Lectoribus, ut ſenſus conſtet, facile ſuppleri poteſt, ut conſideranti patet.

Et in 1. diſt. 23. art. 2. ait: *quod Cardinales dicuntur recta ex actu*, *vel appropinquatione ad medium &c*,

Ægidius in 1. diſt, 17. Par. 2. quæſt. 2. ad 3. docet: *quod unus eſt virtuoſior alio*, *&* *una virtus major alia*, *ideoque actus unus melior alio*.

Et in 2. Par. 2. diſt. 21. quæſt. 1. art. 4., poſtquam docuit, vitium in extremo verſari, ſubdit. *Quantum ergo eſſe debeat iſta declinatio a medio*, *vel ad alterum extremum*, *non poteſt ſecundum quantitatis æqualitatem ſumi*, *ſed ſecundum æqualitatem rationis*, *ut illud*, *quod ſapiens judi-*

judicabit in hac parte, ſit pro regula, & pro æqualitate .... & quia eſt valde difficile, & forte impoſſibile tenere punctualiter medium .... melius eſt declinare ad illud vitium, quod virtuti minus opponitur &c. Punctuale igitur, & indiviſibile *medium* non eſt.

SCHOLIUM.

PRo complemento hujus Doctrinæ de *medii* diviſibilitate, advertat Lector, non idcirco, quod *Rationis medium* ſtatutum eſt diviſibile, inferri propterea oportere, *Rei medium* ſemper indiviſibile eſſe. Nam hoc falſum eſt. Juſtitia enim ipſa commutativa, quæ ſola hujuſmodi *medium* habet (*a*), non ſemper illud attingit indiviſibiliter, ut patet exemplo triplicis pretii, ſummi nempe, medii, & infimi, quod in certis mercibus locum habet, quorum quolibet ſervatur juſtitia ad æqualitatem. Itaque *medium* ipſum *Rei* aliquando *indiviſibile*, aliquando *diviſibile* eſt. *Indiviſibile*, cum ex rei ipſius natura indiviſibiliter notum eſt, & determinate aſſignari poteſt. Sic qui v. g. mutuatur, vel paciſcitur pro opere dare centum, tenetur accipere a mutuatario, vel operario tribuere centum, non plus, minuſve. *Diviſibile* vero, cum non eſt notum indiviſibiliter, neque determinate aſſignari poteſt, ut ſuperiori pretii triplicis exemplo liquet. *Medium* autem *Rationis* ſemper *diviſibile* eſt.

(a) *per Sch. Ax. præced. n.* 2.

Cor. I. Hinc *medium* Prudentiæ non eſt indiviſibile, quandoquidem eſt *Rationis* (*b*): atque ideo continget prudenter, prudentius, & prudentiſſime agere in omnibus ſuis Partibus, ut in

(b) *per idem n. eod.*

Conſiliativa, ſeu *Eubulia*, & *Judicativa*, ſeu *Syneſi*, & *Gnome*.

2. Etiam *recta Ratio* non conſiſtit in indiviſibili, ſicuti quarto loco ſupra allegato ſupponit D. Thomas, ubi Lectorem admonuimus. Unde non contingit tantum uno modo bene, & virtuoſe agere in unaquaque Virtute ſecundum rationem rectam, ſed pluribus modis, videlicet magis, & minus agere juxta rationem rectam. Nam ad eam ſpectat *medium* Virtutis determinare, & præſcribere, ipſaque *medium* virtutis eſt (*a*). Hinc actus virtutis in eadem ſpecie, & individuo perfecte circumſtantionatus poteſt eſſe rectus, rectior, rectiſſimus, ut ajebat Scotus.

(a) *per Sch.Ax. præced. n.* 2.

3. Illud eſt *medium* ſecundum rationem rectam, quod Sapiens hujuſmodi eſſe judicabit, ut ſupra dicit Ægid., & ex definitione virtutis patet (*b*). Quam explicans D. Thomas 2. Ethicæ Lect. 7. quoad ea verba *determinata ratione, prout Sapiens determinabit*, ſubdit; *& ad hoc* inquit, *explicandum ſubdit* (nempe Ariſtoteles), *ut utique Sapiens determinabit*, &c., *ſcilicet medium*. Qui enim ſecundum rationem rectam judicat, profecto Sapiens eſt, neque Sapiens eſſe poteſt, niſi judicet juxta rectam rationem.

(b) *per Def.* 47.

4. Hinc in Parte Prudentiæ *Conſiliativa*, & *Judicativa* erit prudenter agere *Conſiliari*, & *Judicare* eſſe agendum ex rationibus magnis, prudentius ex majoribus, prudentiſſime ex maximis. Cum enim Prudentia *actualis* ſit in parte animæ non ſcientifica, ſed opinativa, in qua certitudo non reperitur (*c*): & præter rationes certas, neceſſarias, & cogentes, quibus certitudo in

(c) *per Sch.Cor.* 2.*Def.*48. *& Cor.*2. *ejuſd.*

in ſuo genere continetur (*a*), non dentur niſi rationes aut magnæ, aut majores, aut maximæ; conficitur, non poſſe eſſe in Parte *Conſiliativa*, & *Judicativa* prudentem, prudentiorem, prudentiſſimam operationem, niſi quæ magnis, majoribus, maximis rationibus continetur.

(a) *per* *Sch.Def.* 5.

5. Hinc igitur *probabile* eſſe idem, ac *prudens*, *probabilius*, ac *prudentius*, *probabiliſſimum*, ac *prudentiſſimum*: atque ideo probabiliter agere, eſſe agere quidem minus, ſed tamen ſecundum Rationem rectam, probabilius magis, probabiliſſime maxime agere ſecundum Rationem rectam; cum *probabile* rationibus magnis, *probabilius* majoribus, *probabiliſſimum* maximis contineatur (*b*): & *prudens* nonniſi ſecundum Rationem rectam eſſe poſſit (*c*), quæ in indiviſibili non conſiſtit (*d*).

Atque ecce iterum demonſtratum Cor. Def. 18. 19. 20., ut in Scholio earumdem promiſimus.

6. Hinc probabile eſt abſolute conforme rectæ Rationi, immo æque conforme, ac probabilius. Eſt conforme, tum quod illud eſt hujuſmodi, quod tale eſſe Sapiens judicabit (*e*): *Probabile* autem eſt, quod Sapientem ad aſſenſum inducere poteſt (*f*): tum quod *probabile* eſt idem, ac *prudens* (*g*): *Prudens* autem non niſi conforme Rationi rectæ eſſe poteſt (*h*). Jam vero eſt etiam æqualiter conforme, ac probabilius, quia conformitas hæc in indiviſibili conſiſtit (*i*).

(b) *per* *Def.*26. 27. 28.
(c) *per* *Cor.* 1. *Def.* 48.
(d) *per* *Cor.*2.*huj.*
(e) *per* *Cor.*3.*huj.*
(f) *per* *Def.*26.
(g) *per* *Cor.præc.*
(h) *per* *Cor.* 1. *Def.*48.
(i) *per* *Cor.* 2. *Def.* 15.

SCHOLIUM.

EX hoc patet, quantum a veritate diſtent Probabilioriſtæ, dum aſſerunt, probabile, vel non eſſe abſolute conforme Rationi rectæ,

vel minus conforme, quam probabilius. Etenim ſi non eſſet conforme, eſſet difforme, proindeque non prudens, & rectum, ſed imprudens, ac malum, cum difformitas in negatione conformitatis (*a*), malum vero in conformitatis, ſeu rectitudinis negatione conſiſtat (*b*). Et ſi eſſet minus conforme, conformitas in indiviſibili non conſiſteret. Aliud eſt (notet bene Lector) actus magis, vel minus, ſeu major, aut minor ſecundum Rationem rectam, aliud actus magis, vel minus conformis Rationi rectæ. Illud eſſe poteſt, quia *Ratio recta* non conſiſtit in indiviſibili (*c*), iſtuc non poteſt, quia conformitas in indiviſibili conſiſtit (*d*). Cæterum ſi Probabilioriſtæ hoc magis, vel minus conforme intelligant non *realiter*, ſed *apparenter*, ultro, quod cupiunt, concedemus, ut in Scholio Def. 11. tetigimus. Id enim nihil obeſt. Tantum, ut minus conforme hoc ſenſu, ſeu probabile ſit prudens, magis conforme, ſeu probabilius prudentius, ut ſuperiori Cor. 5. deduximus. Hoc contenti ſumus.

(a) *per* Def. 2.
(b) *per* Def. 15.
(c) *per* Cor. 2. *hujus*.
(d) *per* Cor. 2. Def. 15.

7. Hic tandem liquet, poſſe Voluntatem prudenter imperare Intellectui, ut aſſentiat in *ſenſu compoſito* Opinioni probabili faventi Libertati in conflictu oppoſitæ faventis Legi, ſive æque probabilis, ſive probabilioris, eamque in hoc conflictu prudenter eligere, etiam ablata alia quacumque cauſa ex parte Voluntatis ipſius; quia illa Opinio etiam in hoc conflictu, ſeu in *ſenſu compoſito* actus Prudentiæ, Virtutis, & rectæ Rationis eſt: quod Cor. 13. Ax. 9. 10. indicavimus.

SCHO-

SCHOLIUM.

EX 4. loco D. Thomæ evidenter colligitur, Probabilioriſtas in quæſtione præſenti egregie Stoicos imitari. Hi enim putabant, non eſſe actum virtutis, niſi qui attingeret Rationis rectæ ſummum, ſeu ejus *medium* in indiviſibili; ideoque Rationem rectam, Prudentiam, Virtutem conſiſtere in indiviſibili. Idem prorſus affirmant Probabilioriſtæ. Etenim cum ad Prudentiam ſpectet videre, ac judicare de licito, vel illicito, bono, vel malo (*a*); & in hac quæſtione de Probabiliſmo, hoc eſt de Opinativo, in quo Prudentia *actualis* dumtaxat locum habere poteſt (*b*), non habeantur niſi rationes magnæ, aut majores, quibus licitum, aut illicitum judicatur (*c*), nihilque certi ullo certitudinis genere conſtitui poſſit (*d*): affirmare, non eſſe prudens Conſilium, & Judicium, quod probabili Opinione continetur, ſed ſolum, quod probabiliore, atque ideo eam Opinionem in noto conflictu prudenter eligi non poſſe, eſt idem, ac affirmare, actum prudentem, nonniſi in *indiviſibili* poſitum eſſe, proindeque de medio tollere Prudentiæ, Virtutis, rectæ Rationis a Philoſopho, a D. Thoma, cæteriſque tum Philoſophis, tum Theologis omnibus aſſertam diviſibilitatem. Nam iterum dico. In re, de qua quæritur, nonniſi duo actus, ſeu gradus Prudentiæ, Virtutis, rectæ Rationis eſſe poſſunt, nempe Judicium nixum rationibus magnis, & nixum majoribus ex parte Intellectus, & hinc conſequens electio alterutrius ex parte Voluntatis. Etenim, & nul-

(a) *per Sch. Def.* 48. *n.* 1.
(b) *per Sch. Cor.* 2. *ejuſd.*
(c) *per hyp. & per Def.* 26. 27.
(d) *per Cor.* 2. *earund.*

& nulla vel *moralis* hic certitudo reperitur, ſed omnia incerta æqualiter ſunt, & nonniſi in his incertis Prudentia *actualis* eſſe poteſt. Nunc ſi in hoc conflictu ſit ſemper obligatio eligendi Judicium probabilius, hoc eſt, quod majoribus rationibus continetur, & hoc duntaxat ſit prudens, virtuoſum, rectum, bonum, Judicium vero probabile, ſeu quod continetur rationibus magnis, imprudens, improbum, malum, jam in tota Prudentiæ *actualis Conſiliantis*, & *Judicantis*; ſeu in tota Rationis rectæ, & Virtutis Ditione non dabitur, niſi unus gradus virtutis, & conſequenter nec actus unus, nec homo unus virtuoſior, prudentior, melior alio: quod eſt ipſiſſimum, quod Stoici affirmabant, & in quo cum iiſdem Probabilioriſtæ egregie a D. Thoma, & a tota Philoſophorum, ac Theologorum Schola demonſtrative confutantur.

XVIII.

Lex, ſeu Præceptum eſt *Regula*, & *Menſura* externa, Conſcientia vero interna moralis operationis.

Scilicet per Legem quid ſit faciendum, vel fugiendum innoteſcit, per Conſcientiam id actualiter homini applicatur.

D. Thomas 1. 2., & 2. 2. quæſt. 90. de Legibus art. 1. *Dicendum, quod Lex quædam Regula eſt, & menſura actuum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*.

Cor. 1. Hinc Præceptum debet eſſe clarum, determinatum, certum, non obſcurum, incertum. Alioquin quomodo Regula, & Menſura erit,

erit, atque Conſcientiam regulare poterit? Unde Philoſ. 10. Metaph. docet, *Menſuram* debere eſſe certiſſimam: & ex illo Ægidius in 1. Sent. P. 2. Diſt. 8. qu. 1. ar. 1. ait, *quod menſura debet eſſe quid certum*. Hinc illud C. *Erit autem* 4. Diſt. ex obſervatione Iſidori. *Erit autem lex .... manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat*. Et illud C. fin. de Conſtit. *Conſtitutio Sedis Apoſtolicæ nihil debet obſcurum, vel ambiguum continere*. Et Gloſ. v. *ambiguum*. *Lex nullam obſcuritatem continere debet, ne per obſcuram conſtitutionem in laqueum incidamus, nemini enim debemus laqueum injicere* 27. qu. 1. de Viduis, *nec debet nos inducere per legem obſcuram, vel dubiam ad id, a quo nos cohibere debet*. Qua de re videri poſſunt etiam Gloſ. C. un. de poſt. Prælat. in 6. v. *De cætero*, Imola, & Abbas C. fin. de Conſtit. n. 2., & alii Canoniſtæ in hunc locum.

Quod autem dicit Ariſtoteles, *Menſuram* debere eſſe certiſſimam, id non intelligitur ſemper in genere ſummo, ex. gr. mathematico, metaphyſico &c. ſed in genere ſuo, nempe pro natura rei. Quapropter D. Thomas 1., 2. & 2. 2. qu. 91. art. 3. *Utrum ſit aliqua Lex humana*: ad tertiam rationem, qua ex Philoſ. mox allegato objiciebatur, ex humana ratione nullam Legem procedere poſſe, quia Lex, utpote actuum Menſura, & Regula debet eſſe certiſſima, humana autem ratio incerta eſt, ita reſpondet. *Ad tertium dicendum, quod ratio practica eſt circa operabilia, quæ ſunt ſingularia, & contingentia, non autem circa neceſſaria, ſicuti ratio ſpeculativa; & ideo Leges humanæ non*

poſ-

poſſunt habere illam infallibilitatem, quam habent demonſtrativæ Concluſiones Scientiarum. Nec oportet, quod omnis Menſura ſit omnimodo infallibilis, & certa, (nota bene) *ſed ſecundum quod eſt poſſibile in genere ſuo.* Hoc eſt certa non demonſtrative; ſed practice, hoc eſt hoc loco *moraliter*, ut fert ipſa agibilium natura. Idem docet 2. 2. qu. 60. art. 3. ad 1., quem locum attuli ſupra Ax. 12.

Cor. 2. Hinc ſufficit, Præceptum eſſe certum *moraliter*. Nam in practicis major certitudo ſæpe non datur. (*a*)

3. Hinc Præceptum probabile, aut probabilius, ſeu quod probabiliter, aut etiam probabilius aſtruitur, non erit Regula, & Menſura certa moralium operationum, quia hujuſmodi nec *moraliter* certum, ſed dubium, & incertum æqualiter eſt (*b*); ideoque non poterit certo Conſcientiam regulare, & obligare.

4. Hinc liquet in Probabilitate, ac Probabilioritate dari Ignorantiam *invincibilem phyſice* præcepti certo regulantis, & obligantis, quia in his certitudo Legis, nequidem *moraliter*, haberi poteſt.

(a) *per Sch.Def.* 5. *n.* 6.

(b) *per Cor.* 2. *Def.*26. 27.

XIX.

In Lege Divina, & Humana ad Conſcientiæ obligationem requiritur exiſtentia Legis, ejuſque *authentica* promulgatio.

Etenim ſine exiſtentia eſſe non poteſt, & ſine promulgatione nequit certó innoteſcere, & primum ſine ſecundo eſſe poteſt (*c*). Intelligitur autem Axioma de præceptis *formalibus*, & *explicitis*, quia hæc ſola *authentice* promulgari poſſunt. (*d*)

(c) *per Sch.Def.* 46. *n.*2.

(d) *per idem n.*4.

Di-

Dictum eſt autem *in Lege Divina, & Humana*, quia in Lege naturali exiſtentia ipſa etiam promulgatio eſt, unde promulgatione hujuſmodi *authentica* non eget (*a*). (a) *per idem n.* 3.

Cor. Hinc exiſtentia præcepti, & promulgatio, ut Conſcientiam obliget, clara, & certa eſſe debet. Nam, & Lex Regula, ac Menſura eſt (*b*), quæ certa eſſe debet (*c*): & quod eſt *authenticum*, clarum, & certum eſt (*d*). (b) *per Ax.præced.* (c) *per Cor.* 1. *ejuſd.* (d) *per Sch.Def.* 46.*n.*1.

X X.

Lex naturæ *proprie, & ſtricte* nonniſi moralibus principiis, & concluſionibus inde neceſſario, & evidenter deductis continetur.

Scotus in 4. par. 2. diſt. 17. quæſt. unica, §. *In iſta quæſtione*, docet, *quod illud eſt verum de jure naturali, cujus veritas eſt nota in terminis, & tale eſt principium in lege naturæ, ſicut & in ſpeculabilibus notum eſt ex terminis, ſive quod ſequitur evidenter ex tali vero ſic noto, cujuſmodi eſt concluſio practica demonſtrata. Et ſtricte loquendo nihil aliud eſt de lege naturæ, niſi principium, vel concluſio demonſtrata.*

Idem repetit diſt. 26. quæ. unica, §. *Ad ſolut. quæſt.* Et diſt. 33. quæſt. 1. §. *De ſecundo articulo.*

Idem innuit etiam D. Thomas 1. 2., & 2. 2. quæſt. 94. art. 4. 5.. Et quæſt. 100. art. 1., & 3.: quamvis ejus verba non afferantur, quia non ita formalia, ac præciſa, ſicuti Scoti, ſunt. Conſule ſis.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt *ſtricte, & proprie*, quia latius alia etiam de Lege naturæ eſſe poſſunt. Quæ

Quæ autem ſint, idem Scotus aperte docet locis laudatis. Nam ſtatim ſubdit. *Sic tamen extendendo, quandoque dicitur illud eſſe de Lege naturæ, quod eſt verum practicum conſonum principiis, & concluſionibus Legis naturæ, in tantum, quod ſtatim notum eſt omnibus, illud convenire tali Legi.* Hæc vero conſona in Report. Pariſ. par. 2. diſt. 17. quæſt. unica, §. *Circa ſolutionem*, affirmat eſſe duplicis generis. Primi ea, quæ multum ſunt conſona illis principiis, nempe illa, quæ ab omnibus ſunt viſa multum rationabilia, & bona, & ab omnibus juſte ſervanda. Hujuſmodi ſunt præcepta Decalogi, vel alia ſimilia. Secundi illa, quæ ſunt quidem iis principiis conſona, ſed ita, ut eorum oppoſita ſint eis ita conſona, ſicut illa.

Itaque ut Doctrinam Scoti in ſummam redigamus, Lex naturæ dupliciter ſumi poteſt, nempe *ſtricte*, *& ſimpliciter* (nam & hac voce Scotus utitur), *& late*, *ac extenſive*. Primo modo comprehendit tantum practica principia, & concluſiones demonſtratas (intellige ſive proximas, ſive remotas: nam perinde eſt, modo demonſtrentur). Secundo comprehendit communiter evidenter conſona illis principiis, atque concluſionibus: & peculiariter conſona. Nos Doctrinæ cauſa priora conſona, *abſolute conſona*, ſecunda *reſpective conſona*, poſſumus appellare.

In Axiomate idcirco poſita eſt Lex naturæ tantum primi generis, quia id ab omnibus admittitur, & certum eſt. Cæterum liberaliter nunc damus, non ſolum practica principia, & concluſiones demonſtratas, ſed etiam iis conſona, & *abſolute*, & *reſpective* ad Legem naturæ pertinere.

Cor.

Cor. 1. Hinc Lex *ſtricte*, & *late* primo modo eſt nota, & communis omnibus, uniformis apud omnes, & in omni ſtatu, & invariabilis, ſaltem ut in pluribus. Quod additur, ut caſus aliquis excipiatur, in quo fortaſſe aliqua Natio contra hanc Legem aliquid facit, uti loco primo ſupra laudato exemplificat D. Thomas de Germanis, qui olim latrocinium licitum reputabant. Sed addit, hoc oriri ex depravatione rationis, orta ex paſſione, ſeu mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ. Cæterum communiter hujuſmodi Lex naturæ nota omnibus, apud omnes uniformis, & invariabilis eſt. Nam nonniſi hujuſmodi eſſe poſſunt, quæ vel ex terminis nota ſunt, ut principia, vel evidenter eruuntur, ut concluſiones demonſtratæ, vel communiter evidenter his ſunt conſona, ut ex Scoto dictum eſt.

Hoc aſſeruit D. Thomas locis allegatis, præſertim quæſtione illa 94. art. 5., ubi agit de Legis naturalis immutabilitate.

Henricus Quodl. 12. quæſt. 13. *Dico, quod illud, quod ſecundum rectam rationem debet fieri, apud omnes æqualiter debet fieri, & ab omnibus rectam rationem habentibus debet judicari debere fieri; nec in hoc diverſificari judicia Philoſophorum, & Catholicorum...... Sicut enim quod verum eſt apud quoſdam, verum eſt apud omnes, neque eſt aliquid verum ſecundum Philoſophiam veram, quod non ſit verum ſecundum Theologiam, nec e converſo; ſic eſt de eo, quod rectum eſt, aut faciendum ſecundum rectam rationem.*

Bachonus in 4. diſt. 25. quæſt. 8. art. 2. *Nam optima Legum intelligentia eſt, cum Leges intelliguntur, prout Lex naturæ dictat. Nam illa ſem-*

per dictat, quod æquum eſt, & naturale apud omnes, & eſt commune omni nationi, & quod ubique inſtinctu naturæ, non inſtitutione, aut humana ratione primatum tenet inter omnia jura, ſemperque immutabilis permanet &c.

2. Hinc quod multæ Nationes, complureſque Sapientes, potiſſimum poſt exactiſſimum examen, acutiſſimamque diſcuſſionem exiſtimant non eſſe de Lege naturæ, ad eam Legem profecto non pertinet.

Okamus in 1. diſt. 30. quæſt. 1. Litt. D, ait: *quod illud non eſt per ſe notum, quod multi ſubtiles, & exercitati hoc negant.*

3. Quæ tantum *opinative* ex practicis Principiis colliguntur, vel conſona iis, eorumque Concluſionibus demonſtratis exiſtimantur, non ſunt de Lege naturæ, neque *ſtricte*, neque *late* primo modo, ſeu *abſolute conſona*. Etenim Opinativa omnia incerta, & æqualiter ſunt. (*a*)

4. Hinc oppoſita eſſe poſſunt de Lege naturæ *late* ſecundo modo. Unde hoc pacto aliquid eſſe poterit de hac Lege, quod affirmatur hujuſmodi eſſe a pluribus Sapientibus; ſimulque etiam aliud huic contrarium, quod ab aliis Sapientibus affirmatur ad eamdem Legem pertinere.

5. Ad Legem naturæ non ſpectant Concluſiones ipſæ practicæ demonſtratæ, antequam demonſtrentur, ſeu antequam clare cognoſcatur, ex Principiis evidenter deduci; hoc eſt ante Legis *non authenticam* promulgationem, quia hæc etiam in Lege naturæ locum habet. (*b*)

6. Hinc denique liquet, non dari Ignorantiam *phyſice invincibilem* Legis naturæ in Principiis, & *abſolute conſonis*, at vero in Concluſionibus ex utriſque deductis, ſi, & donec eviden-

(a) *per Cor.* 1. *Def.* 7.

(b) *per Sch. Def.* 46. *n.*4.

denter demonſtrari non poſſit, illas ex ipſis deduci; quia de primis, utpote jam evidentibus, neſcientia dari nequit, bene vero de ſecundis, antequam evidenter deducantur. Unde dari poteſt Lex naturæ etiam *ſtricte* revera exiſtens *in ſe*, ſeu *materialiter*, quæ tamen non exiſtat *in nobis*, *&* *formaliter*, ſeu non obliget ad culpam formalem, ut Scholio 2. Def. 45. innuimus. Nam hujuſmodi ſunt Concluſiones practicæ demonſtratæ, ſi, & antequam demonſtrari nequeant (*a*). Quod multo magis verum eſt ſi tantum *opinative* deducantur; quia hæ nequidem ad Legem naturæ pertinent (*b*).

(a) *per idem n. eod.*

(b) *per Cor.* 3. *hujus*.

X X I.

Lex opponitur Libertati, Libertas Legi.

S C H O L I U M.

INTELLIGITUR de Libertate non *phyſica*, ſed *morali*. Itaque Lex ligat hominem, auſertque illi *moralem* libertatem, ne ad libitum licite utatur operatione ſua: Libertas vero eum veluti ſolvit. Quare Lex, & Libertas ſe habent ad inſtar Oppoſitorum, ad inſtar Aggreſſoris, & Defenſoris, ad inſtar Actoris, & Rei. Nam Lex veluti aggreditur, & accuſat Libertatem, Libertas vero veluti defendit ſe.

X X I I.

Libertas humana Legis Divinæ, & Humanæ exiſtentiam, ac promulgationem; minime vero Legis naturalis *ſtricte* ſumptæ exiſtentiam; bene vero promulgationem ex parte præcedit.

SCHO-

SCHOLIUM.

UT hoc Axioma melius intelligatur explicandum eſt.

Primo igitur dictum eſt *Legis Divinæ*, *&* *Humanæ*. Ubi *Lex Divina* non ſumitur pro æterna DEI voluntate, aut veritate, ut omnis honeſtatis Regula eſt, undeque omnes aliæ Leges emanant. Nam conſtat, Legem Divinam hoc modo acceptam humanam Libertatem præcedere. Sed ſumitur pro ipſa Legis inſtitutione, quæ homini proponenda eſt. Sumitur quo modo accipitur v. g. Lex Moſis, aut CHRISTI, quando de facto inſtituta eſt: quam Legem, antequam inſtitueretur, Libertas humana proculdubio præcedebat. Idem intellige de Lege humana.

Secundo dictum eſt *exiſtentiam*, *ac promulgationem*, quæ verba intelliguntur, ubi exiſtentia diverſa a promulgatione eſt: & de promulgatione *authentica*, ut in præceptis *formalibus*, & *explicitis* contingit. Item intelliguntur etiam de *non authentica*, ut accidit in præceptis *virtualibus*, & *implicitis*, ſi ſtatuatur in his hanc promulgationem *non authenticam* diverſum aliquid ab illorum exiſtentia eſſe (*a*).

Dictum eſt tertio *Legis naturæ ſtricte ſumptæ exiſtentiam*. Quia cum hujuſmodi Lex practicis tantum principiis, & concluſionibus demonſtratis contineatur (*b*), quæ congenito naturæ lumine conſiſtunt (*c*), cum ipſa Libertate humana coexiſtit.

Tandem dictum eſt: *bene vero promulgationem ex parte*. Quo concluſiones tantum demonſtratæ ſignificantur, earumque promulgatio *non authentica*.

(a) *per* *Sch.Def.* 46. *n.*4.
(b) *per* *Ax.* 20.
(c) *per* *Sch.* 1. *Def.*45. *n.* 1.

tica. Cum etenim hæ ad Legem naturæ *formaliter* non pertineant, antequam evidens earum ex principiis deductio cognoſcatur, & iſta deductio promulgatio quædam *non authentica* ſit (*a*), libertas humana priuſquam eas cognoſcat, illas præcedit. Id quod æquali, immo potiori jure verum eſt, ſi hujuſmodi *non authentica* promulgatio pro exiſtentia ipſa ſumatur (*b*), ut liquet.

(a) *per Sch. Def.* 46. *n*.4.

(b) *per idem*.

Itaque in præceptis *formalibus* Legis Divinæ, & Humanæ Libertas humana eorum exiſtentiam, ac promulgationem præcedit: in præceptis *formalibus* Legis naturæ non præcedit. In præceptis *virtualibus* Legis tum Divinæ, tum Humanæ, tum Naturalis, vel etiam ipſam exiſtentiam, vel ſaltem *non authenticam* promulgationem præcedit, modo explicato.

Cor. Hinc priuſquam Lex Divina, & Humana exiſtat, ac *authentice* in præceptis *formalibus*, *non authentice* vero in *virtualibus*; Lex autem Naturæ in concluſionibus demonſtratis, aut exiſtat, aut *non authentice* promulgetur, Libertas Humana in certa poſſeſſione eſt, ſeu homo liber certo eſt ab omni obligatione, ita ut ſibi liceat actio ſua. Nam ad obligationem requiritur Legis exiſtentia, ac promulgatio (*c*): & Lex hominis aufert *moralem* Libertatem (*d*). Quare antequam Lex exiſtat, aut promulgetur, homo liber certo erit. Quod multo magis verum eſt, loquendo de Lege Naturæ, ſi concluſiones tantum *opinative* promulgentur, hoc eſt ex principiis ſolum *opinative* deducantur, cum iſtæ non ſint de Lege Naturæ, neque *ſtricte*, *neque late* (*e*): unde obligare non poterunt Libertatem, quæ propterea in certa poſſeſſione remanebit.

(c) *per Ax.* 19.

(d) *per Ax.* 21.

(e) *per Cor.* 5. *Ax.* 20.

SCHOLIUM I.

PROBABILIORISTÆ paſſim negant, Legem, ejuſque promulgationem conſequentem humanæ libertati eſſe; proindeque hanc fore in certa poſſeſſione; atque hoc fundamento multa contra Probabiliſtarum ſententiam moliuntur.

Sed hoc ex ſiniſtra *Legis*, *exiſtentiæ*, ac *promulgationis* acceptione, verbo ex idearum involutione, confuſione, æquivocatione oriri manifeſtum eſt. Nam quæ hoc modo deduximus, & explicavimus adeo clara, & vera ſunt, ut a nemine negari poſſint.

SCHOLIUM II.

QUÆ de Naturæ Lege in Scholio Axiom. 20. diximus, ea etiam in præſenti locum habent. Itaque ſi ad Legem Naturæ *late*, & *extenſive* pertinent *conſona* non tantum *abſolute*, ſed etiam *reſpective*, quemadmodum ibidem liberaliter dedi, de his ſimili modo hoc loco ratiocinandum eſt. Atque ideo ſi utraque *conſona* ſtatuantur in lumine ipſo Naturæ congenita, ea Libertas humana non præcedit, niſi quoad Concluſiones demonſtratas, eo modo, quo in Cor. hujuſce explicatum eſt: bene vero præcedit, ſi ſtatuantur ſecus, ut conſideranti patet. Quamquam de *conſonis reſpective* diverſa ſane ratio eſt, cum conſtet, Libertatem humanam certo certius præcedere eam Naturæ Legem, quæ *conſonis* oppoſitis (*a*); ideoque non neceſſariis, ſed indifferentibus continetur.

(a) *per* Cor. 4. *Ax.* 20.

Quæ

XXIII.

Quæ de moribus, ſive *definitiva*, ſive *electiva* approbatione *expreſſe*, & *formaliter* approbat Eccleſia, ea per ſe tuta, & licita ſunt.

XXIV.

Quæ de moribus utcumque damnat Eccleſia, ea illicita ſunt.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt *utcumque*, ut abſtrahamus nunc a qualitate Cenſuræ, qua ſententiæ afficiuntur, v. g. cum damnantur tanquam hæreticæ, falſæ, ſcandaloſæ, & hujuſmodi, uti damnare poteſt, & ſolet Eccleſia.

Porro nihil damnare ſolet, niſi per principia certa, quibus repugnat, uti liquet in tot propoſitionibus confixis. Nullam etenim reperire eſt, quæ alicui principio certo in ſuo genere non opponatur.

XXV.

Eccleſia certum, & cognitum errorem, neque *definitiva* neque *electiva* approbatione approbare poteſt.

Cum enim ſit infallibilis, & columna, ac firmamentum veritatis, falſitatem nullo modo adoptare, aut propinare Fidelibus poteſt. Hoc autem faceret approbando errorem alterutra hujuſmodi approbatione.

XXVI.

Eccleſia incertum, & incognitum errorem

minime *definitiva*, bene vero *electiva* approbatione approbare poteſt.

Nimirum nequit *definitive* approbare, quod abſolute falſum eſſe poteſt, quia hoc pacto non foret infallibilis: poteſt autem *elective*, quia cum hoc modo eligendo, quod certo falſum non agnoſcit, nihil proprie definiat, neque fallitur ipſa, nec alios fallit. Multa reipſa Eccleſiam hujuſmodi approbatione approbaſſe in Supp. 21. 22. &c. apparebit.

Cor. 1. Hinc *electiva* approbatione approbare poteſt non ſolum certo Verum, ſed etiam Opinativum, nempe probabiliſſimum, probabilius, probabile, quia nihil horum eſt certo falſum, ſed tantum poteſt eſſe falſum (*a*). Quare ſi quippiam approbat hujuſmodi approbatione, conficitur evidenter, illud non poſſe eſſe manifeſte falſum, ſed eſſe debere, aut verum, aut opinativum; hoc eſt vel probabiliſſimum, vel probabilius, vel ut minimum probabile.

(a) *per Def.* 7.

2. Si eadem *electiva* approbatione approbet aliquid favorabile libertati, tanquam in praxi tutum, fit primò, illud non poſſe eſſe manifeſte falſum, ſed aut verum, aut probabiliſſimum, aut probabilius, aut ſaltem probabile; cum præter falſum, quod in favorem libertatis tutum eſſe nequit (*b*), non detur aliud quidpiam, quod tutum eſſe poſſit. Deinde fit, illud eſſe per ſe licitum, tum quod quæ approbat Eccleſia (*c*), tum quod tuta per ſe licita ſunt (*d*).

(b) *per Sch.Def.* 24.*n.*10.
(c) *per Ax.* 23.
(d) *per Ax.* 5.

XXVII.

Eccleſia approbando aliquid *expreſſe*, *&* *forma-*

ma-

maliter, ſive *definitiva*, ſive *electiva* approbatione, eadem approbat etiam *virtualiter*, & *implicite* quidquid in eo virtute continetur.

Scilicet quod ex eo neceſſaria, & evidenti collectione deducitur. Hæc eſt enim natura *implicitæ*, & *virtualis* approbationis (*a*). (a) *per Sch. Def.* 50. *n.* 5.

Cor. Hinc etiam quæ de moribus alterutro modo approbat Eccleſia *implicite*, & *virtualiter*, per ſe pariter licita ſunt, cum ſint hujuſmodi, quæ approbat *formaliter*, & *expreſſe* (*b*). (b) *per Ax.* 23.

SUPPOSITIONES.

QUÆ ſequuntur voco Suppoſitiones, non quod ſaltem aliqua non egeant demonſtratione, aut probari non poſſint, ſed quod tanquam certa, vel ex ipſa quæſtionis natura, vel ex conventione, vel aliunde ſumenda ſint a nobis, & Adverſariis. Quoniam vero earum certitudo Mathematica non eſt, ideo Suppoſitiones magis ſingulares, & peregrinas leviter probabimus, aut illuſtrabimus, quemadmodum & in Axiomatis fecimus.

I.

Quæſtio de Probabiliſmo, & Probabilioriſmo reflexa eſt.

Nam inquiritur. An liceat Probabilitas favens libertati æquali probabilitati, vel probabilioritati faventi Legi comparata.

Hæc autem reflexa eſt, quia ſupra probabilitatem ipſam reflectit. (*c*) (c) *per Can.* 2.

Cor. Hinc reflexis principiis potiſſimum tractanda, atque definienda eſt, cum omnis quæſtio propriis debeat principiis determinari (*d*), (d) *per eund.*

Et ſane tum a nobis, tum a Probabilioriſtis ita pertractatur, nec aliter poteſt, ut quæſtionis argumenta conſideranti liquet. Ex quo patet, quam immerito ii improbare in nobis ſoleant plures reflexiones Intellectus, quarum in hac quæſtione uſus eſt, cum ſine iſtis neque a nobis, neque ab illis apte determinari poſſit.

II.

In quæſtionibus moralibus de licito, vel illicito nihil aliud inquiritur, quam obligatio, vel non obligatio præcepti.

Hoc eſt ejus exiſtentia, vel non exiſtentia, & ſufficiens, vel non ſufficiens promulgatio. Etenim licitum eſt, quod nullo (*a*); illicitum, quod aliquo præcepto prohibetur (*b*): & ad Conſcientiæ obligationem requiritur Legis exiſtentia, & promulgatio (*c*).

(a) *per Def.* 12.
(b) *per Def.* 13.
(c) *per Ax.* 19.

III.

Contra certitudinem non datur probabilitas, neque contra probabilitatem certitudo.

SCHOLIUM.

INTELLIGITUR Suppoſitio in *ſenſu compoſito*, & quamdiu permanet probabilitas, & certitudo: & potiſſimum de certitudine orta ex principio ſive intrinſeco, ſive extrinſeco, quando id conſtat, ut contingit in certitudine *Metaphyſica*, *Mathematica*, *Phyſica*, *Fidei*, *Theologica*, & *Morali perfecta*; minime vero de certitudine orta tantum ex principio extrinſeco, v. g. ex Sapientum exiſtimatione; vel etiam de certitudine orta ex principio intrinſeco, tum

nem-

nempe, cum ex una parte adſunt multæ rationes magnæ, licet nulla earum cogens ſit, ex alia vero parte nulla gravis ratio reperitur; quæ ad *moralem imperfectam* pertinet (*a*). Etenim contra primam dari nequit probabilitas, bene vero contra ſecundam, utroque modo, quia fieri poteſt, quod contra exiſtimationem Sapientum, vel contra rationes magnas unius partis ab aliis Sapientibus inveniantur aliquæ rationes probabiles pro altera parte, quæ eo ipſo rem deturbent ab eo gradu certitudinis, in quo habebatur. Similiter fieri poteſt, ut contra rationes probabiles detegatur, aut accedat aliquod principium certum, v. g. Eccleſiæ declaratio, novum præceptum &c., quo eæ deſtruantur, atque ideo probabilitas auferatur. Itaque in *ſenſu compoſito*, ut ajunt Scholæ, contra certitudinem quamvis nullo modo datur probabilitas, neque contra probabilitatem certitudo, ex. ca. ſi datur præceptum certum, pars oppoſita non eſt probabilis, & ſi ex una parte datur probabilitas, ex alia non datur præcepti certitudo, quia unum alterum tollit; at dari poteſt in *ſenſu diviſo*, modo & caſu explicato.

(a) *per Sch. Def.* 5. *n.* 6.

Cor. Hinc probabilitas nonniſi argumentis certis deſtrui poteſt, certitudo vero etiam argumentis probabilibus; unde qui vult impugnare probabilitatem, (intellige *poſitive*), debet principia certa adhibere: (nam *negative* ſufficit oſtendere, deſtitui eam fundamento gravi): qui vero certitudinem, ſatis eſt, ut afferat principia tantum probabilia. Ex quo rurſus liquet, probabilitatem per probabilioritatem non elidi, ac enervari, ut Probabilioriſtæ putant.

I V.

Quæſtio de Probabiliſmo, & Probabilioriſmo locum habet tantum in Topicis, & Opinativis, in quibus nulla certitudo reperitur, & quamdiu non reperitur.

Hoc eſt nulla certitudo etiam *moralis* vel *imperfecta*. Nam ſi contra aliqua adſit certitudo, jam de hac quæſtione actum eſt, cum adverſus certitudinem quamcumque non detur vera, & realis probabilitas (*a*).

Cor. 1. Hinc evidenter etiam ex hoc liquet, præclare hallucinari Probabilioriſtas, dum affirmant, probabiliorem opinionem in conflictu minus probabilis habendam tanquam veram, & certam. In quo, & ſe non intelligere quæſtionem ipſam oſtendunt, & peccare contra dialecticas regulas (*b*), nec non contra communem de quæſtionis ipſius natura Suppoſitionem. Nam ſi ex una parte ſit certitudo, ex alia vera probabilitas non eſt (*c*): atque ideo nulla amplius quæſtio eſt.

2. Hinc in quæſtionibus, in quibus verſatur Probabiliſmus, & Probabilioriſmus nullum *expreſſum*, & *formale* præceptum reperitur, ſicuti neque *virtuale*, & *implicitum* evidenti, & neceſſaria conſecutione deductum: verbo nullum adeſt clarum, & certum præceptum, nempe quoad eos caſus probabiliter, & probabilius controverſos. Si enim hoc adeſſet, operatio contraria eſſet certo illicita (*d*); proindeque nulla probabilitas de ejus honeſtate eſſe poſſet, cum hæc non detur contra certitudinem (*e*): unde quæſtio locum amplius non haberet.

Itaque Controverſia verſatur in præceptis tantum

(a) *per Supp. præced.*

(b) *per Can.* 1.

(c) *per Supp. præced.*

(d) *per Def.* 13.

(e) *per Supp. præced.*

tùm *virtualibus* opinativis, hoc eſt in rebus incertis, ac difficilibus, &, uti dici ſolet, in apicibus Juris.

3. Hinc tam in Probabiliſmo, quam in Probabilioriſmo favente libertati datur incertitudo præcepti obligantis, & conſequenter incertitudo ejus exiſtentiæ, aut ſufficientis promulgationis, quia præcepti obligatio ejus exiſtentia, ac promulgatione continetur (*a*). Et ideo etiam ejus ignorantia *invincibilis phyſice*, ſed *præviſa*. *Phyſice*, quia præceptum certo non invenitur, neque in hypotheſi abſolute inveniri poteſt. *Præviſa*, quia malitia operationis utrinque timetur, licet magis, & minus, nempe hinc probabilius, illinc probabiliter. (a) *per Ax.* 19.

4. Hinc cum præcepta *virtualia per accidens* ſupponant Legem jam exiſtentem, & *authentice* promulgatam (*b*), tam in Probabiliſmo, quam in Probabilioriſmo hujuſmodi, loquendo de iiſdem præceptis, ſupponitur Lex reipſa exiſtens, & *authentice* promulgata. V. G. in quæſtione de circumſtantiis notabiliter aggravantibus, ſupnitur exiſtens, & *authentice* promulgatum univerſale præceptum Confeſſionis. Quapropter in quæſtione hujuſmodi datur incertitudo præcepti obligantis ad confitendas eas circumſtantias, ejuſque ignorantia invincibilis *phyſice*, & *præviſa*, non obſtante exiſtentia, ac *authentica* promulgatione Legis de Confeſſione. (b) *per Sch. Def.* 46. *n.* 4.

5. Hinc denique patet, quid intelligant Probabiliſtæ, cum aſſerunt in Probabiliſmo, Legem vel non exiſtere, vel non eſſe ſufficienter promulgatam, & hoc argumento ad licitum ejus uſum demonſtrandum utuntur. Nam loquendo de præceptis *virtualibus per ſe*, intelligunt de

exi-

exiſtentia, & promulgatione utcumque, quia hujuſmodi præcepta clare neque exiſtunt, neque promulgantur: loquendo vero de *virtualibus per accidens*, intelligunt de exiſtentia, ac promulgatione quoad eos caſus. Itaque intelligunt, Legem, quamvis univerſim exiſtat, & ſufficienter ſit promulgata, tamen peculiariter non eſſe pro iis caſibus. Quod ſi in illis exiſtentia, & promulgatio pro eodem ſumatur, multo magis Probabiliſtarum aſſertio vera eſt, ut conſideranti patet. Atque inde eſt, quod quocumque modo iſtorum notitia ſumatur, affirmant, quoad hos caſus Legem eſſe *materialem*, *conſequentem*, *per accidens* &c. (*a*); ideoque ad culpam non obligare, ſeu ejus tranſgreſſionem non imputari ad peccatum formale. Idem autem ipſum affirmare etiam Probabilioriſtas mox apparebit.

(a) *per Sch.* 2. *Def.* 45.

V.

Certo ſequi poteſt probabilitas abſoluta, vel probabilioritas favens libertati in conflictu minoris probabilitatis faventis Legi.

V I.

In Probabilioriſmo favente libertati Ignorantia omnino invincibilis excuſans a peccato *formali* continetur.

SCHOLIUM.

HOc eſt invincibilis tum *phyſice*, tum *moraliter*.

Phyſice, quia aſolute vinci nequit per inventionem certi præcepti, quod, non obſtante quacum-

cumque inquiſitione, abſolute inveniri non poteſt. (*a*) (a) *per Supp.*4.

Moraliter, quia non eſt obligatio eam vincendi per reductionem ad dubium practicum, ideoque per electionem opinionis minus probabilis tutioris, ſed vincitur ſine culpa per electionem opinionis pro libertate probabilioris.

COROLLARIA
5. & 6. Suppoſit.

1. HINC ſive Probabilitas abſoluta, ſive Probabilioritas hujuſmodi eſt tuta, quia quod non eſt tutum in moribus faventibus libertati ſequi non poteſt (*b*). (b) *per Sch.Def.* 24. *n.*10.

2. Securitas in opinione probabiliore hujuſmodi non oritur ex parte favoris Legis, quia illa pro libertate contra Legem eſt.

3. Probabilioritas hujuſcemodi non eſt tuta *ſimpliciter*, ſed tantum *ſecundum quid*, quia Opinativa nonniſi hoc modo tuta eſſe poſſunt (*c*): & ideo ſecuritas tantum *ſecundum quid* in incertis, & opinativis ſufficit ad Conſcientiæ ſecuritatem. (c) *per idem n.*2.

4. Etiam minor probabilitas favens libertati probabilioritati hujuſmodi comparata poterit eſſe tuta *ſecundum quid*, hoc eſt æqualiter tuta, ac ipſa probabilioritas, quia eſt opinativa æqualiter, ac illa (*d*). (d) *per Cor.* 2. *Def.*26. 27.

5. Hinc dari poteſt ignorantia, & *phyſice*, & *moraliter* invincibilis excuſans a peccato *formali*, licet *præviſa*. Nam quæ Probabilioriſmo favente libertati continetur, hujuſmodi eſt (*e*). (e) *per Cor.* 3. *Supp.*4.

6. Hinc in hoc Probabilioriſmo datur ignorantia invincibilis omnino excuſans a peccato for-

formali, loquendo de præceptis *virtualibus per accidens*, non obſtante exiſtentia, & *authentica* promulgatione Legis, v. g. in quæſtione de circumſtantiis notabiliter aggravantibus, non obſtante exiſtentia, ac *authentica* promulgatione Legis de Confeſſione. Etenim in his præceptis ſupponitur Lex extans, & *authentice* promulgata (*a*).

(a) *per* Cor. 4. *ejuſd.*

7. Hinc denique datur ſecuritas Conſcientiæ in operatione contraria Legi jam exiſtenti, atque *authentice* promulgatæ, quandoquidem Probabilioriſmus hujuſcemodi tutus eſt. Quod quo ſenſu ſit juxta Probabilioriſtas intelligendum, ex ſequenti Scholio patebit.

SCHOLIUM.

PROBABILIORISTÆ tenent, ſequentem probabiliora faventia libertati idcirco eſſe tutum in Conſcientia, & immunem a peccato *formali*, quia prudenter operatur, & ignorat invincibiliter actionis pravitatem; operari vero prudenter, & ignorare invincibiliter actionis malitiam, non quia Lex non ſit in ſe exiſtens, aut non ſufficienter promulgata; vel quia actio illa non ſit vere in ſe, & coram DEO mala, ſi forte opinio probabilior ſit falſa; ſed quia facit quantum poteſt, eo quod cum, poſt poſſibilem de operationis pravitate inquiſitionem, nequeat invenire veritatem, facit quod verius, ac rationabilius licitum putat: ſecus vero ſequentem minus probabilia. Itaque ſecuritas Probabilioriſmi libertati faventis oritur ex prudentia operationis, & ex ignorantia invincibili, quæ duo efficiunt, ut illum ſequenti tranſgreſ-

ſio

ſio Legis, ſi forte adeſt a parte rei, ad culpam *formalem* non imputetur.

1. Sed hæc eſſe falſa, vel recidere in eorum caput, manifeſtum eſt. Etenim quod operationis prudentiam ſpectat, primo cum Probabilioritas non ſit *realis*, *abſoluta*, & *objectiva*, ſed *ſubjectiva* tantum, *apparens*, & *reſpectiva*, (*a*) an erit prudentis in incertis committere ſalutem animæ in manu conſilii ſui, & relinquere ſecuritatem, quæ in certa obſervatione Legis continetur?

(a) *per Schol.*2. *Def.*26. 27. *n.*4.

2. Præterea vel eſt imprudentia ſe ſponte committere periculo violandæ Legis, ſi forte adeſt, vel non. Si primum: igitur imprudenter agunt etiam Probabilioriſtæ, eligendo opinionem probabiliorem libertati faventem, quia hac probabilioritate non obſtante, ab hoc periculo non eximuntur, cum hæc non efficiat, quin ea opinio ſit abſolute incerta, ideoque poſſit eſſe falſa. Et profecto Tutioriſtæ negant, in his caſibus ita ſe gerere, prudentis hominis eſſe. Si ſecundum: igitur neque Probabiliſtæ agunt imprudenter, dum per electionem opinionis minus probabilis eidem ſe æqualiter periculo committunt.

3. Tandem cum etiam in Probabilioriſmo ſupponatur Lex exiſtens, & *authentice* promulgata (*b*): quomodo erit prudentia amplecti opinionem ei Legi obſiſtentem? an non eſt manifeſtum peccatum ſe opponere Legi exiſtenti, ac promulgatæ (*c*)? immo quommodo probabilior ea opinio eſſe poteſt? Ex. ca. in quæſtione de circumſtantiis notabiliter aggravantibus: quomodo prudenter operabitur, qui eas non confiteatur, ductus opinione probabiliore, quod ad

(b) *per Cor.* 4. *Supp.* 4.

(c) *per Def.*13. *&* *Ax.* 19.

illas

illas non tenetur, ſi ſupponitur exiſtens, atque *authentice* promulgatum univerſale præceptum Confeſſionis? immo quomodo de hoc opinio probabilis, nedum probabilior, dari poteſt? Nam vel Lex hujuſmodi exiſtens, & promulgata extenditur etiam ad illas circumſtantias, vel non. Si primum: quomodo ergo illæ probabilius confitendæ non ſunt, ſi obligatio eas confitendi certa ſupponitur per Legis exiſtentiam, ac promulgationem? & quomodo iſtud *probabilius* dari poteſt? hoc enim pacto eſſet, & non eſſet obligatio eas aperiendi, quæ contradictoria ſunt. Si ſecundum: igitur prudenter agent etiam Probabiliſtæ, ſi eas non confiteantur, ducti opinione minus probabili, contra Legem jam exiſtentem, & promulgatam. Quare vel utrobique Lex non eſt exiſtens, & ſufficienter promulgata quoad eas circumſtantias, ideoque utrobique non obligat, & proinde utraque electio prudens eſt; vel ſi eſt exiſtens, & promulgata utrinque, ideoque utrinque obligat, utraque electio imprudens eſt.

4. Ad Ignorantiam porro *invincibilem* quod attinet, quoniam iſta eſt *prævisa* (*a*), & hæc uno ex his tribus modis vinci debeat, nempe vel per inquiſitionem veritatis, vel per reductionem ad dubium practicum, ideoque electionem partis tutioris, vel per electionem opinionis de honeſtate operationis (*b*): cumque primo modo vinci nequeat, eo quod veritas abſolute haberi non poteſt (*c*): ut electione partis minus probabilis faventis libertati ſine culpa vinci non poſſit, debet eſſe obligatio vincendi ignorantiam per electionem partis oppoſitæ faventis Legi, vel ut tutioris, vel ut probabilioris: quod

(a) *per Cor.* 3. *Supp.* 4.

(b) *per Sch. Def.* 44. *n.* 4.

(c) *per Supp.* 4.

quod eſt idem ac dicere, obligatio eligendi *melius*, aut *tutius*. At hæc obligatio per ſe neque eſt, neque eſſe poteſt (*a*). (a) *per Ax.* 8.

5. Deinde, ut poſſit hæc ignorantia ſine peccato vinci per electionem partis probabilioris faventis libertati, non debet eſſe obligatio vincendi per reductionem ad dubium practicum, ideoque per electionem partis tutioris. At hujuſmodi obligatio, vel utrinque eſt, vel utrinque non eſt.

Nam primo. Quomodo non eſt obligatio, ſi Lex utrinque ſupponitur exiſtens, & promulgata (*b*)? Et quomodo eſt, ſi non ſupponitur, modo ſupra explicato? (b) *per Cor.* 4. *Supp.* 4.

6. Deinde vel eſt culpa *formalis* ſe ſponte committere periculo violandæ Legis, ſi forte adeſt, quando hoc periculum facile vitari poteſt electione partis tutioris, vel non eſt culpa *formalis*. Si primum: igitur peccant *formaliter* etiam Probabilioriſtæ, ignorantiam vincendo per electionem partis probabilioris, cum hæc pariter non ſit immunis ab eo periculo; & ideo neque illorum ignorantia eſt omnino invincibilis, eos eximens a peccato *formali*. Si ſecundum: igitur neque Probabiliſtæ peccant *formaliter*, ignorantiam vincendo per electionem partis minus probabilis, quæ æqualiter continet id periculum, ac proinde etiam horum ignorantia eſt omnino invincibilis, eos pariter eximens a peccato *formali*. Quocirca vel utrique obligantur ſe reducere ad dubium practicum, & ita eligere partem tutiorem, vel neutri; & ſic utrique ſine peccato ſe poſſunt ad partem, vel minus probabilem, vel probabiliorem libertati faventem determinare.

Ex

Ex quo patet evidenter, omnia utrinque communia eſſe; ſeu utroſque idem ſentire circa Legis exiſtentiam, ac promulgationem; neutram opinionem eſſe ſecuram, vel utramque; denique vel neutros facere quantum poſſunt, vel utroſque quantum ſatis ad vitandum peccatum *formale*, ideoque ad Conſcientiæ ſecuritatem.

V I I.

Non eſt præceptum neque Naturale, neque Divinum, neque Humanum *formale*, & *explicitum* de ſequendis æque probabilibus, vel probabilioribus faventibus Legi.

Hoc eſt cujuſmodi illa ſunt; *Non furaberis: Non dices falſum teſtimonium*: *Diligite inimicos veſtros* &c.. Nam ſi adeſſet, Doctoribus omnibus eſſet notum, neque propterea amplius haberetur tam acris diſputatio de eo.

Cor. Hinc ſi adeſt, non poteſt eſſe niſi *virtuale*, & *implicitum*, cujuſmodi ſunt quæ per collectionem deducuntur (*a*). Cumque quæ deducuntur, vel *evidenter*, vel *opinative* deduci poſſint, & quæ colliguntur evidenter, clara, & certa ſint (*b*), atque ideo omnibus Doctoribus nota (*c*), ſequitur, ſi adeſt, eſſe tantum vel certum *reſpective*, nempe apud multos, hoc eſt in hypotheſi apud Probabilioriſtas, non apud omnes, cum certitudo *moralis* præſertim *imperfecta* poſſit eſſe ſolum reſpectiva (*d*): vel omnino opinativum. Quamquam *reſpective* certum non eſt in ſe, niſi purum putum opinativum (*e*). Et profecto res Probabiliſmi adhuc in opinione, & ſub Judice poſita eſt.

(a) *per Sch.Def.* 45.*n*.4.
(b) *per idem n*.5.
(c) *per Cor.* 1. *Ax*. 20.
(d) *per Sch.Def.* 5.*n*.6.
(e) *per idem*.

Si

V I I I.

Si adeſt præceptum de Probabilioriſmo, illud ad Naturæ Legem potiſſimum pertinet.

S C H O L I U M.

CUM autem Lex Naturæ, & *Ratio* recta idem ſit (*a*), Ratio vero recta idem ac Prudentia (*b*); ſi præceptum ad Legem Naturæ pertinet, ad Rationem rectam, ſeu Prudentiam pertinet.

1. Itaque quod Probabilioritatem ſpectat, ſi adeſt præceptum naturale eam ſequendi, maxime in hoc conſiſtit, quod Ratio recta, ſeu Prudentia dictat, ut ſequamur in praxi id, quo rationabilius putamus nos obligari, etſi rationabiliter etiam putemus non obligari, ſeu ut ſequamur Legem rationabilius obligantem, licet etiam rationabiliter non obligantem. Nam cum in Probabilioriſmo favente Legi duo tantum inveniantur (*c*), unde obligatio eum ſequendi oriri poteſt, nempe Legis favor, ubi ſecuritas peccati tum *formalis*, tum *materialis* (*d*), & ipſa Probabilioritas, ubi ſecuritas ſolum peccati *formalis* reperitur (*e*); & ad tutiora, ſeu Legis faventia *per ſe* non teneamur (*f*), atque etiam Probabilioritas favens libertati tuta ſit (*g*); conficitur, ſi Lege Naturæ ad probabiliora tenemur, teneri idcirco, quod prudentia dictat, nos ad id, quo teneri probabilius exiſtimamus, obligari. Itaque hoc uno ſenſu præceptum huiuſmodi, ſi adeſt, ad Naturæ Legem pertinebit.

(a) *per Sch.* 1. *Def.* 45. *n.* 1. & *Cor.* 1. *Ax.* 20.
(b) *per Cor.* 1. *Def.* 48.
(c) *per hypoth.*
(d) *per Sch. Def.* 24. *n.* 4.
(e) *per Cor.* 2. *Sup.* 5. 6.
(f) *per Ax.* 8.
(g) *per Cor.* 1. *Supp.* 5. 6.

2. Quod vero ſpectat probabilitatem æqua-

lem, illud non niſi ad obligationem ſequendi tutiora in dubio practico reduci poteſt, quam non niſi a recta Ratione proficiſci perſpicuum eſt. Nam hæc ipſa clare dictat, in practico dubio, in quo Intellectus neceſſario conſtituitur inter oppoſitas opiniones æque probabiles (*a*), tutiorem partem eſſe eligendum, ne animus diſcrimini peccandi ſe committat (*b*).

(a) *per Cor.* 8. *Ax.* 9. 10.
(b) *per Ax.* 7.

Quapropter ſi demonſtretur, rectam Rationem, ſeu Prudentiam non obeſſe, quin in utroque caſu opinio probabilis favens libertati licite eligi poſſit, jam corruet hujuſmodi præceptum e Naturæ Lege mutuatum.

I X.

Multæ ſententiæ probabiles evadunt probabiliores, & contra: quinimmo & probabiles, & probabiliores evadunt vel veræ, vel falſæ.

SCHOLIUM.

NEMPE detectis, vel adinventis majoribus, aut certis fundamentis, quibus earum probabilioritas, vel veritas, aut falſitas innoteſcit: quarum exempla obvia ſunt. Hoc autem non intelligitur de mutatione vera, reali, & objectiva, quaſi quæ opinio in ſe, & coram DEO eſt probabilis, aut probabilior, evadat in ſe, & coram DEO vel vera, vel falſa, cum hæc Metamorphoſis, ut liquet, dari non poſſit, ſed de putativa, & ſubjectiva. Itaque quod nunc Doctoribus habetur probabile, poſt fit ipſis probabilius, & contra; vel etiam verum, aut falſum, quando certa veritas, aut falſitas per certa principia iis innoteſcit.

Cor.

Cor. Hinc vel maxime liquet, majorem veroſimilitudinem, appropinquationem ad veritatem, atque conformitatem ad rectam Rationem, quæ juxta Probabilioriſtas in opinione probabiliore præ minus probabili continetur, non poſſe eſſe realem, & objectivam, ſed tantum ſubjectivam, & apparentem. Nam veritas realis, & recta Ratio in ſe mutari, aut omnino etiam deperdi non poteſt.

X.

Unaquæque Schola, & unuſquiſque Doctor in opinativis, ſive ſpeculativis, ſive practicis defendit ſuas ſententias de modo *probabilius*.

SCHOLIUM.

1. HOc conſtat ex Authorum uſu, ac praxi, ut periti ſciunt. Unde eſt, quod paſſim reperitur uſurpata ea vox *probabilius eſt* æque apud illos, qui partem affirmantem, ac qui negantem defendunt. Et ubi non eſt, jam ex rei natura intelligitur. Quod ſi aliquando reflexe defendunt alicujus propoſitionis probabilitatem, vel abſolutam, vel æqualem, vel majorem probabilitate ſententiæ oppoſitæ, id quoque faciunt, vel de modo *certum*, vel de modo *probabilius*. Perinde enim tunc eſt, ac reflexe dicere: *certum*, vel *probabilius eſt*, hanc ſententiam eſſe abſolute probabilem, vel æque probabilem, vel probabiliorem oppoſita.

2. Intelligitur autem Suppoſitio, cum Authores mentem ſuam depromunt circa aliquam materiam; ac ſententiam determinate edicunt, minime vero, cum circa illam problematici

 ſunt.

ſunt. Nam in hoc caſu utramque partem defendunt, ac defendi poſſe permittunt; unde non aſſumunt onus alterutram determinate defendendi, ſicuti contingit, cum unam partem determinatam tuentur. Etenim qui aliquam ſententiam abſolute defendit veluti probabiliorem, aſſumit onus firmiter ſuſtinendi eam propoſitionem, & ideo tunc ſententiam mutare non poteſt.

3. Id vero oritur ex natura diſputationis, & Intellectus ipſius. Cum enim hujus objectum ſit verum, potiſſimum reale, (*a*), in diſputando illud quærit, & perſequitur quantum poteſt, cumque in opinativis certo cognoſci, ſeu inveniri non poſſit (*b*), ad illud nititur quantum poteſt, ideoque nititur *probabilius*, quia inter modos quærendi in opinabilibus veritatem major eſſe non poteſt.

(a) *per Cor.* 1. *Def.*36.
(b) *per Supp.*4.

4. An autem Doctores, & Magiſtri, ſicut intendunt, ac ſolent ſemper defendere, ac docere probabiliora, ita etiam ſub culpa teneantur, non adeo certum eſt. Nonnulli enim affirmant, nonnulli inficiantur. Et quidem quod univerſim non obligentur, patet. Conſtat enim eorum exemplo, & praxi ita ſolere defendere, ac tradere opiniones probabiliores, ut tamen paſſim affirment, etiam oppoſitas minus probabiles ſuſtineri poſſe, uti præſertim Suppoſitione 19. apparebit. Quamquam & iſtud *ſuſtineri poſſe* defendi ſoleat de modo *probabilius*, ſicuti ſupra tetigimus. Itaque Doctores, & Magiſtri generatim tenentur quidem, etiam in ſpeculativis indifferentibus, ſemper tradere ſententias aptiores, & ſecuriores ad explicandam, ac defendendam Doctrinam Fidei, ne periculo erroris expo-

ponatur, non vero probabiliores; ſpeciatim autem tum ſolum, cum vel Præcepto, Contractu, Conventione, Voto, Juramento, aut alio vinculo aſtringuntur, vel cum communicare volunt, quod apud ſe determinate defendunt. Nam cum definite teneant probabiliora, ea ipſa etiam aliis debere tradere, ne eorum opus menti difformetur, ideoque ſit mendax, perſpicuum eſt. Unde fit, ut Doctores, Lectores, Magiſtri, Conſultores cum propriam mentem ſuper re qualibet aperiunt, probabiliora ſemper, immo & ſecuriora ſæpiſſime amplectantur. Cæterum ſi Probabilioriſtæ velint, hos omnes in docendo, reſpondendo, conſulendo teneri ſemper ſub culpa quovis titulo ad probabiliora, vel tutiora, etiam iſtud libenter dabimus, nam nullo modo nobis infeſtum eſt.

Cor. 1. Hinc ex duabus opinionibus probabilibus contradictoriis quælibet eſt probabilior apud eos, qui illam defendunt.

2. Hinc in opinativis unuſquiſque impugnat contrariæ ſententiæ probabilioritatem, non vero probabilitatem, quia nemo impugnare poteſt in Adverſario, niſi quod ipſe defendit (*a*). Ex quo fit, ut Doctores in impugnandis aliorum ſententiis de rebus opinativis utantur his locutionibus: *hoc non videtur*: *non convincit*: *non cogit*: *ſine præjudicio*: *hoc melius*, *verius*, *rationabilius*, *convenientius*, *probabilius dicitur*: *&c*, ut exercitatis notum eſt. Quibus verbis nihil aliud ſignificare volunt, quam ſe oppoſitam ſententiam, ejuſque probabilitatem nolle improbare, rejicere, condemnare, ſed ſolum eam non eſſe probabiliorem oſtendere. Nam cum aliquid tanquam improbabile rejicere, ac reprobare volunt, his contra voci-

(a) *per Can.* 4.

bus utuntur; *ſed hoc eſt falſum : eſt erroneum : eſt improbabile : repugnat ſcripturæ : definitioni Eccleſiæ : evidenti rationi : caret ratione, vel authoritate efficaci :* & hujuſmodi, ut infra fuſius dicetur. Quibus vocibus ſignificantur principia certa, per quæ oppoſitum improbatur. Nam probabilitas, non niſi certis principiis, præcipue *poſitive*, deſtrui poteſt (*a*).

(a) *per Cor. Sup.* 3.

3. Atque etiam hinc liquet, opinionem probabilem opinioni probabiliori comparatam non evadere improbabilem, vel falſam, uti Probabilioriſtæ paſſim venditant. Etenim ſi hoc eſſet, primum nulla daretur unquam vera reſpectiva probabilitas, & probabilioritas, ſed omnes ſententiæ etiam in rebus topicis eſſent certæ contra hypotheſim (*b*). Deinde Doctores oppoſitas ſententias ſemper improbarent, & condemnarent tanquam improbabiles, & falſas; quod non faciunt (*c*).

(b) *per Supp.* 4.

(c) *per Cor. præced.*

4. Hinc iterum vel maxime liquet, (quod magnopere animadvertendum, & alta mente retinendum eſt) probabilioritatem non eſſe abſolutam, & objectivam, ſed ſubjectivam, & reſpectivam, cum fere ſemper ex duobus contradictoriis unum uni, alterum alii probabilius videatur.

X I.

Doctores etiam Sancti complures habent Sententias morales faventes libertati, ideoque minus tutas præ oppoſitis tutioribus faventibus Legi.

Hoc patet potiſſimum in D. Thoma, qui centenas de moribus opiniones libertati faventes contra Antiquos docuit, ac propugnavit.

Do-

X I I.

Doctores etiam Sancti in Topicis inter ſeſe diſſentiunt, atque multas ſententias contradictorias de moribus defendunt.

Hoc patet in S. S. Raymundo, Antonino, Bonaventura, ac Thoma, in quibus complures hujuſcemodi ſententiæ viciſſim reperiuntur, ut peritis notum eſt. Ne exempla præſertim pro imperitis deſint, ſatis eſt unum aut alterum inter multa, ex his duobus poſtremis Doctoribus, afferre.

Itaque D. Thom. tenet pro lege, eſſe ſimoniam dare pretium Sacerdoti nolenti ſine eo puerum in neceſſitate baptizare, ſive ad emendum Sacramentum, ſive etiam ad redimendam vexationem. In 4. Sent. Diſt. 5. q. 2. a. 1. ad 5. q. ad 2.

Item non dari actus indifferentes in individuo, ideoque ſaltem virtualem omnium operum relationem in DEUM eſſe præceptum affirmativum. In 2. Sent. Diſt. 40. q. 1. a. 5.

D. vero Bonav. tenet pro libertate his contradictoria, nempe non eſſe ſimoniam dare in caſu hujuſmodi pretium ad redimendam vexationem. In 4. Sent. Diſt. 5. a. 2. q. 1. ad 6.

Item dari actus hujuſmodi indifferentes; ideoque talem operum omnium relationem eſſe in conſilio, non in præcepto. In 2. Diſt. 41. art. 1. qu. 3.

Contra vero D. Thom. tenet pro libertate, peccantem lethaliter ſive Laicum, ſive Religioſum non teneri per ſe ad confitendum ſtatim, data opportunitate. In 4. Diſt. 17. q. 3. a. 1. ad 4. q.

Item confeſſionem informem, ex capite alicujus fictionis, non eſſe ſub oligatione, fictione recedente, reiterandam. In 4. Diſt. 17. q. 3. a. 4. ad 1. q.

D. vero Bonav. tenet pro lege his contradictoria, ſcilicet Laicum mortaliter peccantem teneri per ſe ad confitendum ſtatim, habita commodiori oportunitate, Religioſum autem ſtatim ſine mora, data rationabili occaſione. In 4. Diſt. 17. p. 2. a. 1. q. 3.

Item confeſſionem hujuſmodi, ex quocumque fictionis capite, eſſe ſub peccato iterandam. In 4. Diſt. 17. dub. 4. Et Diſt. 21. p. 2. a. 1. q. 1.

XIII.

Quod in moribus licite defendi, ac doceri poteſt, licite etiam per ſe poteſt ad praxim deduci.

Nam moralis Doctrina traditur propter operationem (*a*). Additum eſt *per ſe*, quia fieri poteſt, ut hoc prohibeatur Voto, Juramento, Contractu, dubio practico &c. (*b*).

(a) *per Cor.* 2. *Def.* 35.
(b) *per Sch. Ax.* 5.

XIV.

Probabiliſmus non eſt ab Eccleſia in terminis reprobatus, & condemnatus, neque vetitum, ut doceatur, ac defendatur.

1. Hæc enim condemnatio, & prohibitio nuſquam comparet; cum præſertim, quod ſecundum ſpectat, Libri hac de re paſſim edantur, & ab Inquiſitoribus approbentur, vel Romæ ſub ipſos Pontificis oculos: quod ſi eſſet vetitum, fieri non poſſet; & a nemine defenderetur, ac doceretur. Quod vero primum attinet, ſunt quidem damnatæ multæ propoſitiones ad

Pro-

Probabiliſmi uſum ſpectantes, ut omnibus notum eſt, ſed in terminis nunquam damnatus eſt, licet ſemel, & iterum fuerit S. Sedi delatus, & accuſatus, quemadmodum Moraliſtæ norunt.

2. Porro propoſitiones, quas damnat Eccleſia, ſunt in ſe falſæ, tametſi antea probabiles a pluribus habeantur; quia nihil damnat, niſi per principia certa, quibus opponitur (*a*), hoc eſt niſi falſum (*b*). Cum autem quod habetur probabile, revera habeatur ut probabilius, tum quod probabilioritas eſt *ſubjectiva*, & *reſpectiva* (*c*), tum quod unuſquiſque ſuas ſententias tanquam probabiliores habere ſolet (*d*); hinc propoſitiones, quas proſcribit Eccleſia, apud Defenſores ſuos antea habentur probabiliores. Quare ſi ex condemnatione propoſitionum ad Probabiliſmi uſum attinentium, Probabiliſmum ipſum condemnare dicatur, Probabilioriſmum potius ſubjectivum, ac reſpectivum condemnare dicenda eſt. Sed, ut diximus, & ut inferius magis apparebit, non Probabiliſmum, ſed falſum damnat.

(a) *per Ax.* 24.
(b) *per Sch. Def.* 5. *n.* 6.
(c) *per Cor.* 4. *Supp.* 10.
(d) *per eand.*

Cor. Hinc licite in Scholis, & Libris a Doctoribus defendi, ac doceri poteſt. Licitum eſt enim, quod nullo præcepto prohibetur (*e*).

(e) *per Def.* 12.

X V.

Eſt aliquando obligatio ſequendi probabiliora, & tutiora.

Hoc patet in Miniſtro Sacramentorum, & Medico, qui tenentur ad tutiora, & Judice, qui ad probabiliora. Quod etiam de cæteris Officialibus Reipublicæ, & Magiſtris ipſis, &c. verum eſt, ſi, & quando vel Contractu, vel Stipendio, vel Lege lata, vel Jura-

ramento adſtringuntur gerere Rempublicam modo meliore. Immo hoc etiam ad privatos quoſcumque pertinet, cum Voto, Præcepto, Juramento, &c. obligantur (*a*).

(a) *per Sch. Ax.* 5.

XVI.

Sive in Speculativis, ſive in Practicis, ſive ad Fidem, aut Mores ſpectantibus, ſive indifferentibus, quod eſt aperte falſum, ſeu error, licite teneri, defendi, ac doceri non poteſt.

D. Thomas in ſecundo Scripto in 4. Sentent. Lib. 2. Diſt. 22., quæſt. 2. art. 2. . *Error vero dicit aſſenſum rationis firmatum in aliquid falſum; qui ſi firmatus non fuerit, non dicitur error ſecundum quoſdam, ſed falſa opinio . . . . . ſed quia qualiſcumque applicatio rationis ad falſum habet rationem inconvenientis, & mali, & non ſolum defectus boni, ideo probabilius dicitur a quibuſdam, quod nec error, nec falſa opinio in ſtatu innocentiæ potuit eſſe.*

Et in Quæſt. Diſput. quæſt. 3. de Cauſa peccati art. 7. . . . . *Error autem eſt approbare falſa pro veris, unde addit actum quemdam ſuper ignorantiam. Poteſt enim eſſe ignorantia ſine hoc, quod aliquis de ignotis ſententiam ferat. Et tunc eſt ignorans, & non errans. Sed quando jam falſam ſententiam fert de his, quæ neſcit, dicitur errare, & quia peccatum in actu conſiſtit, error habet manifeſte rationem peccati. Non enim poteſt eſſe ſine præſumptione, quod aliquis de ignoratis ſententiam ferat, & maxime in quibus periculum exiſtit.*

Ægidius in 2. par. 2. Diſt. 22. quæſt. 2. art. 2. Concl. 2. *Error ergo ſemper eſt peccatum, nam*

nullo

nullo modo poſſumus aſſerere falſa pro veris in quacumque materia.

Henricus Quodl. 12. quæſt. 25. *Error autem omnis eſt, aut peccatum in errante, aut a proprio peccato errantis cauſatus.*

Et S. Cyprianus apud S. Antoninum Par. 1. Summæ Tit. 10. cap. 10. *Qui poſt veritatem manifeſtam perſeverat prudens, & ſciens, ſcilicet in errore de aliqua materia, jam non in venia ignorantiæ peccat. Præſumptione enim, atque obſtinatione quadam nititur, cum a ratione ſuperatur.*

XVII.

In Practicis non ſolum errari poteſt ſicut in Speculativis, ſed etiam magis.

Ægidius in 2. Par. 2. Diſt. 39. quæſt. 3. art. 2. .... *Ideo omnibus modis, quibus poſſumus errare in ſpeculabilibus, ſic & in agibilibus; & adhuc magis, quia materia moralis, & agibilis, & conſcientialis eſt minus certa, & magis variabilis, quam ſpeculabilis. Et ideo vult Philoſophus 5. Ethic., quod de talibus oportet groſſe, & figuraliter veritatem oſtendere.*

Cor. Hinc in practicis minor certitudo, ſeu perſuaſio ſufficit ad Intellectum perſuadendum de veritate honeſtæ operationis, quam in ſpeculativis de rei veritate. Et magis proprie, & accomodate contingit *groſſe, & figuraliter* veritatem oſtendere, ſeu perſuadere in illis, quam in iſtis.

XVIII.

Doctores non ſolum in Practicis, ſed etiam in Speculativis ſive iis, quæ poſſunt ad Fidem per-

pertinere, ſive indifferentibus, verbis *ſecurum*, & *ſecurius* uſi ſunt.

Quod practica ſpectat res notiſſima eſt; quod ſpeculativa non ita nota. Sunt tamen plura exempla penes Scholarum Principes D. Thom., D. Bonav., Ægidium, Bacchonum, nec non Alb. Magn., ac Alex. Alenſem. Ne tædio Lectores afficiantur, nonnullis tantum ex D. Thoma, & D. Bonav. contenti erunt.

D. Thom. in 2. Scripto ſuper 4. Sentent. in 4. Diſt. 5. quæſt. unica art. 3. afferens duas ſententias in quæſtione: *An poteſtas creandi Creaturis communicari poſſit*: de negante ait. *Sed prima opinio ſecurior eſt, & communius tenetur*.

Quodl. 9. art. 2.. *Reſpondeo dicendum, quod ſecundum opinionem ſecundam, quam in 3. diſt. 6. Magiſter ponit, quæ eſt communis opinio modernorum, & aliis multo verior, & ſecurior*. Eſt autem quæſtio: *An in Chriſto ſint plures hypoſtaſes:* quam patet ad Fidem poſſe propius pertinere. Concluſio eſt negativa.

In 4. Sent. diſt. 43. quæſt. 1. art. 4. ad 1. quæſtiunculam. *Tamen hæc eſt ſecurior, & communior opinio, quod omnes morientur, & ex mortuis reſurgent*. Ex verbis ipſis liquet, quænam ſit quæſtio, & quomodo ad Fidem ſpectare poſſit.

S. Bonavent. in 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 2. *Hanc autem poſitionem præferendam credo priori, tum quia ſecurior, tum quia etiam rationabilior*. Quæſtio eſt: *An quod in juſtificatione infunditur, ſit aliquid creatum, vel increatum*. Concluſio eſt affirmativa, nempe infundi utrumque, ſcilicet *Spiritum Sanctum, ejuſque gratiam*.

Et diſt. 42. qu. 3. art. 1. *Tanquam rationabilius, & ſe-*

& ſecurius dicendum eſt cum Sanctis, quod DEUS de eo, quod fuit, non poteſt facere, quod non fuerit. Quæſtio eſt: *An DEUS poſſit quæcumque agenti creato impoſſibilia ſunt*. Concluſio eſt negativa.

Et in 4. Par. 1. diſt. 12. art. 2. quæſt. 1. *Hunc autem modum dicendi credo probabilem, & ſecurum*. Quæſtio eſt: *An accidentia Euchariſtiæ converti poſſint in alimentum*. Concluſio eſt affirmativa.

X I X.

In Topicis ſpeculativis, & practicis politicis opinio probabilis in conflictu vel æque probabilis, vel probabilioris etiam turioris: verbo Probabiliſmus licite, & ſine peccato teneri, & eligi poteſt.

Additum eſt *tutioris*, quia etiam in ſpeculativis hujus rei, ac vocis uſus reperitur (*a*). (a) *per Supp. præced.*

S C H O L I U M.

HÆc Suppoſitio jam certiſſima eſt, præſertim quod attinet ſpeculativa, omniumque Doctorum calculo, atque uſu comprobatur. Nam eorum Opera exemplis hujuſcemodi plena ſunt, ubi Lectoribus optionem dant ſequendi, & eligendi opinionem, quam maluerint, ſive ex æqualiter, ſive ex inæqualiter probabilibus inter ſe comparatis. Quamquam id ſit ſupervacaneum, tamen ne exempla ad imperitorum inſtructionem etiam in hanc rem deſint, aliquot ex D. Thoma, & D. Bonaventura afferenda ſunt; potiſſimum quod inæqualiter probabilia ſpectat. Quod etenim æque probabilia pertinet, id etiam vel ex eo liquet, quod cum

in eo caſu Doctores ſint problematici, utramque partem defendunt, ideoque etiam poſſe ſequi permittunt (*a*).

(a) *per Sch.Sup.* 10. *n.* 2.

1. D. Thomas in Quæſt. diſput. quæſt. 3. de Creatione art. 18. in quæſtione: *Utrum Angeli ſint creati ante Mundum viſibilem*: ponit duas opiniones cum ſuis rationibus, alteram Auguſtini aſſerentem ſimul cum Mundo corporeo, alteram Baſilii &c., affirmantem ante mundum fuiſſe creatos. Poſt ſubdit. *Hæc autem opinio cum fuerit Magnorum Doctorum, ſcilicet Baſilii, Gregor. Nazianz., & quorumdam aliorum, non eſt tanquam erronea reprobanda. Sed ſi diligenter conſideretur alia opinio, quæ eſt Auguſtini, & aliorum Doctorum, quæ etiam modo communiter tenetur, rationabilior invenitur. Unde dicendum, quod Angeli ſimul cum Creatura corporali ſunt creati*, (hanc ſequitur de more tanquam probabiliorem) *tamen ſine alterius ſententiæ præjudicio*.

Idem repetit 1. Par. Summæ quæſt. 61. art. 3. *Dicendum, quod circa hoc invenitur duplex Sanctorum Doctorum ſententia; illa tamen probabilior videtur, quod Angeli ſimul cum Creatura corporali ſunt creati ..... quamvis contrarium non ſit reputandum erroneum, præcipue propter ſententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta eſt in Doctrina Chriſtiana authoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præſumpſerit, ſicut Athanaſii documentis., ut Hieronymus dicit.*

Ut autem oſtendat, non obſtante Auguſtinianæ ſententiæ probabilioritate, contrariam teneri poſſe, in reſponſione ad tertium argumentum aperte ait. *Si vero contrarium teneatur &c.*

In

In 2. Sent. diſt. 4: quæſt. 5. art. 3. *Utrum Angeli fuerint creati in gratia* : hæc habet. *Dicendum, quod circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod Angeli non in gratia, ſed in naturalibus tantum creati ſunt : & hæc opinio eſt communior. Alii vero dicunt, Angelos in gratia creatos eſſe. Harum autem opinionum quæ vera ſit, non poteſt efficaci ratione deprehendi..... tamen ſecundum convenientiam ad alia ejus opera poteſt una pars alia probabilius ſuſtineri.* Hæc autem pars probabilior eſt opinio ſecunda, de qua ait. *Quæ opinio mihi magis placet abſque alterius partis præjudicio, quia huic poſitioni, præcipue quantum ad gratiam Angelorum, plures Sanctorum authoritates conſonare videntur.*

Ut autem indicet, oppoſitam nihilominus partem ſuſtineri poſſe, in reſponſione ad quintum Argumentum ait. *Qui autem aliam opinionem ſuſtinent, reſpondent ad authoritates &c.*

2. D. Bonavent. in 1. Diſt. 7. art. 1. quæſt. 1., quæ eſt: *An poſſe generare in divinis dicat quid, vel ad aliquid*: hoc eſt an ſit aliquid abſolutum, vel relativum? ponit tres ſententias. De ſecunda, quæ eſt Magiſtri, & affirmat, generare eſſe aliquid abſolutum ſimul, & relativum, ait. *Et iſta poſitio ſatis eſt probabilis, & ſatis bene videtur ſuſtineri poſſe.* De tertia vero, quæ aſſerit, generare eſſe aliquid tantum reſpectivum, dicit. *Et poſitio iſta ſine præjudicio videtur probabilior:* quam propterea de more ſequitur. Subdit enim. *Hanc ergo poſitionem ſuſtinendo &c.*

Ut autem oſtendat, Magiſtri nihilo ſecius ſententiam teneri poſſe, in reſponſ. ad 4. argument. inquit. *Si quis autem vult ſuſtinere*

poſi-

poſitionem Magiſtri, de facili poteſt ad omnes rationes in oppoſitum reſpondere.

Et in 4. Diſt. 43. dub. 4. in quæſt. *An electorum peccata in die judicii detegentur? Dicendum*, inquit, *quod quamvis fas ſit utramque partem opinari, rationabilior tamen eſt, quod omnia electorum peccata omnibus juſtis tunc patebunt*: Et hanc amplectitur.

Innumera alia ſpecialia exempla adhuc magis expreſſa, nihilque omnino ambiguitatis præferentia, tum ex his duobus, tum ex aliis Scholarum Principibus afferri poſſunt; nam omnes his, ut diximus, pleni ſunt. Sed hæc inter alia nunc potius attulimus, quia pro quibuſdam Corollariis deducendis aptiora viſa ſunt, ut infra apparebit.

Porro dictum eſt *ſpecialia*, & *nunc*, quia loca aliquot univerſalia, & præciſa, quibus aſtruitur, quamcumque opinionem probabilem etiam in conflictu generatim ſequi poſſe, neque a Doctoribus improbari, in ſecunda parte afferentur.

3. Cur autem in Topicis ſpeculativis neutri opinioni præjudicium inferri, & quælibet ſive magis, ſive minus probabilis licite ad libitum eligi poſſit, tres in univerſum rationes ſunt. 1., quia in opinativis nihil ex parte qualibet certi reperitur. 2. quia quævis opinio magnis rationibus, atque Authoritatibus nititur. 3. hinc conſequens, quia neutra opinio error eſt. Nam error non eſt, quod nulli principio certo opponitur (*a*), ſimulque magno fundamento fulcitur (*b*). Quod aliis quidem verbis, ſed eodem ſenſu idem eſt, ac dicere, quia quælibet opinio, magis licet, aut minus, vere tamen, & abſolute probabilis eſt, cum utrumque ad veram probabili-

(a) *per Sch. Def. 5. n. 6.*
(b) *per Cor. 3. Def. 26. 27.*

bilitatem requiratur (*a*). Has namque cauſas Doctores paſſim allegare ſolent.

(a) *per Def.* 26. 27., *&* Cor. 3. *earund.*

4. Et quidem primam his, ſimilibuſque verbis. *Hoc non eſt uſquequaque certum: ſuper hoc non habetur certitudo, neque per authoritates, neque per cogentes: neceſſarias: demonſtrativas: evidentes: efficaces rationes: quia neque ratio, neque authoritas, neque fides compellit: quia neque fide determinatur, neque ratione probatur: quia non eſt ab Eccleſia determinatum: quia veritas non eſt ita clara, & certa: quia Sancti in hoc nihil definierunt: quia hoc dicitur opinando, non aſſerendo*, &c.. Unde D. Thomas loco 3. ſupra allegato dixit. *Harum opinionum quæ vera ſit, non poteſt efficaci ratione deprehendi*; & inde eſt, quod affirmat, quamlibet ſuſtineri poſſe, etſi una probabilius ſuſtineatur. Et Scotus in 3. Diſt. 23. qu. unica. *In quæſtione iſta*, inquit, *primo dicam quod certum eſt ... ſecundo dicam aliud, quod non eſt ita manifeſtum ....., & eligetis partem, quam volueritis*: quæ verba repetit pluribus aliis in locis.

Et hæc quidem ſpeciatim. Generatim vero in 4. diſt. 1. quæſt. 4., & 5. §. *Ultimo arguitur* ait. *Sicut ſequenti rationem naturalem non ſunt ponenda plura, niſi quæ ratio naturalis concludit; ita ſequenti Fidem non ſunt ponenda plura, quam veritas Fidei requirat.*

5. Secundam iſtis. *Hæc opinio Magnorum Doctorum eſt*: (uti ſupra dixit primo loco D. Thomas): *Hæc poſitio parvipendenda non eſt, Magnorum enim eſt: quoniam videtur Auguſtini authoritas ſatis probabilem facere: propter authoritatem Auguſtini: Magiſtri* &c.: *Ad hoc ſunt rationes probabiles: iſta poſitio ſatis eſt probabilis:*

eſt bona: catholica: conſona pietati, &c. Contrariis vero verbis, cum judicare volunt, opinionem non eſſe probabilem. *Quia hoc nulla ratione, aut authoritate nititur: probari poteſt: hæc poſitio non eſt opinio, nec rationabilis ſententia, ſed error: quia repugnat Sacræ Scripturæ: determinationi Eccleſiæ: evidenti rationi: contra hoc authoritates Sanctorum ſunt expreſſæ: quia talis error nec fulcimentum habet ab authoritate, aut ab efficaci ratione: hæc non habet Magnum aliquem authorem, nec defenſorem*, &c.

6. Tertiam denique iſtis. *Non eſt reputanda tanquam erronea: non eſt error: non eſt erroneum: non eſt præjudicandum: ſine præjudicio:* qua præſertim ultima formula Doctores frequentiſſime utuntur. Unde Alb. Mag. in 4. diſt. 12. art. 10. ait .... *ſed tamen in rebus difficilibus nulli præjudicandum eſſe videtur, niſi ſoli errori, ubi ille apertus cognoſcitur.*

7. In ſumma a Doctoribus non reprobatur, niſi error manifeſtus, cujuſmodi eſt aſſertio, quæ nulla gravi ratione, aut authoritate nititur, ſimulque præſertim certo alicui principio opponitur; non autem reprobatur opinio quæcumque vere probabilis, ſed defendi, teneri, atque eligi poſſe permittitur. Itaque cum Authores affirmant aliquid, non *aſſerendo*, ſed *opinando*, vel *oppoſitum veluti errorem non reprobando*, partem, quam malueris, tenere integrum eſt.

8. *Opinando* vero affirmant, cum utuntur vocibus tum in 1. potiſſimum, tum in 3. Cauſa allegatis, vel præſertim ſequentibus. *Nullam reprobo: ſi ſuſtineatur oppoſita: qui vult oppoſitam ſuſtinere: utraque ſuſtineri poteſt: elige quam mavis*. Conſtat enim, his peculiaribus loquendi for-

formis ita clare, ac fortiter explicari electionis libertatem, ut clarius profecto, ac fortius explicari non poſſit. Item: *hoc videtur: non videtur: hoc non poteſt ſtare: videtur dubium: forte tenetur: forte aliter dici poteſt: vel dic: vel dici poteſt;* & hujuſcemodi. Unde D. Thomas Par. 1. quæſt. 100. art. 2. ad 2. in quæſt. ſpeculativa ait: *Ad ſecundum dicendum, quod Anſelmus hoc non dixit aſſerendo, ſed opinando. Quod patet ex ipſo modo loquendi, cum dicit. Videtur quod, &c.* Et quæſt. 89. art. 8. *Sed Auguſtinus hoc dubitando dicit. Unde præmittit, ut volet accipiat quiſquam, quod dicam.* Similia habet q. 90. a. 4. Et in 2. Sent. diſt. 4. q. 1. ff. *Sed hæc magis.*

9. Item *opinando*, non *aſſerendo* affirmant, cum etiam ſine iſtiuſmodi locutionibus, duas Sententias cum ſuis rationibus, atque reciprocis ſolutionibus afferunt, quia hoc pacto problematici ſunt (*a*). (a) *per Sch. Sup.* 10. *n.* 2.

10. Item cum duas, vel plures, ſive cum, ſive etiam ſine rationibus afferunt, ſive magnos, & approbatos Doctores, præſertim nominatim allegando, ſive non allegando, & nihil prætere de iis ſententiis cenſendo, vel de ſuo apponendo, ſed eas hoc modo relinquendo; vel in alterutram partem ſive expreſſe, ſive tacite tanquam vel probabilem, vel probabiliorem quomodolibet inclinando. Quæ omnia tum ex diſputationis ipſius natura, tum ex uſu Doctorum, ac praxi certiſſima ſunt, ut omnibus experiri licet.

Itaque ſive uno, ſive alio modo Doctores Sententias tractent in rebus incertis, & opinativis, partem quamlibet teneri, & ſequi poſſe permittunt, quamvis ipſi de more probabiliorem amplectantur.

11. Quod autem de Topicis ſpeculativis diximus, etiam de practicis politicis intelligendum eſt. Nam utrobique æqua libertas, atque optio permittitur.

Quapropter D. Thomas Opuſc. 20. de Regim. Principum lib. 4. in ea quæſtione: *An Mulieres Bellis ſint exponendæ:* poſtquam cap. 5. attulit rationes pro utraque parte, cap. 5. negantem amplectitur, atque ad contraria argumenta reſpondendo, hæc habet. *Sed quia motivum dictorum Philoſophorum* (hi autem ſunt Socrates, & Plato) *probabilitatem habuit, ſicut in argumentis apparet, ſolvendæ ſunt eorum rationes, & cum reverentia pertractandæ.*

Et cap. 7. in ea quæſtione. *An Regimen unius debeat eſſe perpetuum:* ubi diſputavit in utramque partem, negativam ſequitur contra Philoſophos præfatos, affirmatque, *eorum motivum videri conſonum rationi.*

Quod ſi de politicis hoc admittere nolint Probabilioriſtæ, nihil intereſt. Nam de ſolis ſpeculativis quod vel admittant, nobis etiam ſatis eſt.

COROLLARIA
19. Supp.

1. HINC in Topicis ſpeculativis (idem intellige etiam in practicis politicis: nam etiam de his omnia ſequentia Corollaria, utpote ex eadem Suppoſitione deducta, vera ſunt) opinio probabilis in conflictu probabilioris non amittit ſuam probabilitatem. Alioquin Doctores non affirmarent eligi poſſe.

2. Hoc non oritur ratione materiæ; quaſi ſit pro-

proprium materiæ ſpeculativæ, atque politicæ; quod probabilitas per probabilioritatem non elidatur; ſed oritur ratione ipſius probabilitatis; ſeu ratione motivorum, quibus continetur, quæ a contrariis motivis majoribus non enervata apta permanent ad Intellectum rationabiliter permovendum. Materiæ quippe conditio ad hoc indifferenter ſe habet, cum mens non ab ea, ſed a ratione moveatur (*a*).

(a) *per Cor.* 1. *Ax.*9.10.

Atque ex his duobus Corollariis iterum aperte liquet hallucinatio Probabilioriſtarum inculcantium, ſententiam minus probabilem in practicis amittere in conflictu probabilioris ſuam probabilitatem. Etenim ſive id exiſtiment oriri ratione probabilitatis ipſius, ſive ratione materiæ, patet magnopere decipi, quia utrumque in ſpeculativis falſum eſt, quibus moralia practica quoad hoc prorſus ſimilia ſunt (*b*). Ad hæc politica practica ſunt.

(b) *per Cor. Ax.* 11.

3. In ſpeculativis Antiquorum probabilitas non eſt ſola probabilioritas, ſeu quæ potioribus argumentis mentem convincat, ſed eſt quæ magnis fundamentis, etiam in conflictu probabilioris, nititur: verbo eſt eadem, ac Recentiorum nunc eſt. Probabilioriſtæ hoc quoque affirmare ſolent, nempe Veterum probabilitatem in practicis fuiſſe ipſam probabilioritatem: in quo, ut in cæteris, falli hinc aperte liquet. Nam eadem eſt ratio de utriſque (*c*).

(c) *per idem*.

4. In ſpeculativis Intellectus non fertur nativo pondere in probabilius, tanquam in eo quieſcere habeat. Etiam iſtud in practicis neceſſario fieri ajunt Probabilioriſtæ; unde ob id ſimiliter decipiuntur. Neque rationes opinionis probabilioris neceſſario cogunt Intellectum ad aſ-

ſentiendum abſolute huic parti præ oppoſita minus probabili, ita ut nullo modo poſſit ad illius aſſenſum determinari. Nam ſi ita foret, eidem in conflictu aſſentiri, eamque eligere non poſſet.

5. In ſpeculativis æque probabilibus Intellectus non remanet neceſſario ſimpliciter ſuſpenſus in dubio ſpeculativo, quin poſſit in alterutram contradictionis partem determinari. Alias non poſſet alterutram eligere, eique aſſentire, ſed ſemper in æquilibrio anceps, & ſine aſſenſu remaneret.

6. Hæc determinatio Intellectus ad partem probabilem in conflictu æque probabilis, vel probabilioris non fit a ſolo Intellectu, & actibus *directis*, ſed ab Intellectu cum imperio Voluntatis, & actibus *reflexis*. Etenim cum ad actus *directos* ſuapte natura neceſſario, & non libere moveatur (*a*); & a probabilioribus magis, quam a probabilibus neceſſario determinetur, inter vero æque probabilia ſuſpenſus maneat (*b*); ſequitur hanc determinationem ab eo fieri ex imperio Voluntatis eam opinionem eligentis. Quæ electio, an fiat uno, aut alio modo ex parte Intellectus, una, aut alia de cauſa ex parte Voluntatis ex iis, quas aſſignavimus Corollario 14. Ax. 9. 10. n. 3., & Schol. 1. eorundem n. 3. nihil refert, quia perinde eſt.

(a) *per Cor.* 9. *Ax.* 9. 10.

(b) *per Cor.* 8. *eorund.*

7. Hæc electio in ſpeculativis non eſt temeraria, & imprudens, alioquin fieri licite non poſſet, neque a Doctoribus permitteretur. Unde patet, Voluntatem in ſpeculabilibus poſſe non ſolum *phyſice*, ſed etiam *moraliter*, ſeu virtuoſe, prudenter, vel ſaltem non imprudenter Intellectum ad quamlibet contradictionis partem

tem

tem determinare. Prudens autem iſthæc electio eſſe non poteſt, niſi quia eſt rationabilis; hujuſmodi autem non eſt, niſi quia ex parte Intellectus adeſt judicium probabile, hoc eſt nixum rationibus magnis; ex parte vero Voluntatis cauſa aliqua gravis ex alias aſſignatis. Quamquam etiam primum ſine ſecundo ſatis eſt. Voluntas enim prudenter eligere poteſt, quod ei tanquam rationabile ab Intellectu proponitur. Unde illa Doctorum locutio: *quia utraque opinio rationabilis; probabilis; bona; Catholica* &c., quibus nonniſi prudens electio ſignificatur.

Atque etiam exhinc patet, *probabile* per ſe eſſe idem ac *prudens*, ideoque *probabilius* idem ac *prudentius*, ut in Schol. Cor. Def. 20. innuimus.

8. In ſpeculativis a comparativo ad poſitivum, etiam in diverſis ſubjectis, ex Doctorum mente, ac praxi valet conſecutio. Ex. ca. valet: *hæc opinio eſt probabilior, & ſecurior: ergo oppoſita eſt probabilis, & ſecura*. Dictum eſt autem *ex Doctorum mente, ac praxi*, quia *ſimpliciter*, & *per ſe* non valet (*a*). Itaque intelligitur, illationem præſertim valere, cum Authores quæſtionem examinantes, atque pro utraque parte rationes, vel authoritates afferentes, *opinando*, non *aſſerendo* unam partem eligunt tanquam probabiliorem, utentes aliqua ex locutionibus in Scholio ſuperiori commemoratis. Tunc enim ex his cenſendi formulis legitime deducitur, opinionem oppoſitam etiam probabilem, & ſecuram eſſe, ideoque a Doctoribus non improbari, ſed permitti, ut licite eligi poſſit.

(a) *per Can.* 12.

9. In ſpeculativis licet opinari ſive probabilius, ſive tantum probabiliter uſque ad certam

cognitionem, ſeu uſque ad ſcientiam veritatis; ac proinde ut Intellectus teneatur alicui parti determinate aſſentire, requiritur veritas, ſeu certitudo. Hoc enim colligitur ex locutionibus ſupra in prima cauſa allegatis. Quare Alb. Mag. In 1. Sentent. Diſt. 2. a. 6. *Errare*, inquit, *eſt errorem defendere*; *ſed opinari contingit uſque ad ſcientiam contradictorii ſine periculo*. Hoc autem affirmat in quæſtione: *An in materia Trinitatis periculoſius erratur*: qua nihil in Theologia delicatius, ut liquet, eſſe poteſt. Itaque ſcientia, quæ in ſpeculativis debet Intellectum ad unam potius, quam ad aliam partem cogere, atque determinare, non eſt ſcientia, aut certitudo improprie ſumpta, hoc eſt major probabilitas, ſed vera, & propria ſcientia, aut certitudo, pro rei tamen natura, qua de agitur; atque ideo cum hæc adeſt, aliter ſentire integrum non eſt, cum vero abeſt, cui parti malueris, ſive probabiliori, ſive minus probabili aſſentire integrum eſt.

10. Hinc in ſpeculativis, etiam ad Fidem pertinentibus, licet opinari ſive probabilius, ſive probabiliter uſquequo conſtet eſſe de fide: quod etiam Scotus ſupra generatim laudatus indicavit: ac propterea non eſt obligatio credendi, niſi quod certo, & explorato de fide eſt. Id quod etiam liquet ex formulis Fidei, quæ ab Eccleſia ad profitendum aliquando proponuntur, in quibus non niſi certa Fidei dogmata continentur.

11. In ſpeculativis non idcirco eligi poteſt opinio minus probabilis in conflictu, quod ea per inventionem majorum rationum de ſtatu puræ probabilitatis extracta, probabilior oppoſi-

ta

ta fieri poſſit: verbo quod poſſit eligi non *ſimpliciter*, & *in ſenſu compoſito*, ſed in hypotheſi, & in *ſenſu diviſo*, ſcilicet quod appareat probabilior. Nam primo id nunquam vel ſomniarunt Doctores in ſexcentis locis, ubi hujuſmodi libera electio permittitur. Tum ea permittitur, cum ſimul aſſeritur oppoſita pars probabilior, eaque propterea eligitur. Ait enim D. Thomas. *Una pars poteſt alia probabilius ſuſtineri:* & porro ab eo probabilior ſuſtinetur. Et D. Bonav. *Quamvis fas ſit utramque partem opinari, tamen rationabilior eſt, &c.*. Et: *ſiquis vult ſuſtinere* &c.: oppoſita autem ſimul probabiliora eſſe, aut apparere non poſſunt (*a*). (a) *per Ax.* 2. Deinde quia eligi permittitur, quia *rationabilis; bona; catholica;* quamvis oppoſita rationabilior, melior affirmetur. Tandem quia a Doctoribus aperte dicitur, ſolum manifeſtum errorem eligi non poſſe, minus vero probabilem opinionem, etiam in conſpectu probabilioris, manifeſtum errorem non eſſe. Quamquam ſi id etiam verum eſſet, nempe quod minus probabilis opinio in conflictu eligi poſſit, propterea quia probabilior fieri, & evadere poteſt, nihil obeſt, ut in calce ſubſequentis Corollarii apparebit.

12. Hinc in ſpeculativis per eam locutionem: *ſine præjudicio*: non ſignificatur ſemper: *ſine præjudicio ſententiæ melioris:* (ſeu probabilioris, nam hac etiam expreſſione cum illo addito multoties Authores utuntur): quaſi ſignificetur, ideo non eſſe inferendum præjudicium ſententiæ minus probabili in conflictu, quia fortaſſe in ſe, & abſolute probabilior eſt, aut eſſe poteſt; ſed ſignificatur, ei non eſſe præjudi-

judicandum , qua probabilis eſt : hoc eſt non tantum in *ſenſu diviſo* , verum etiam in *ſenſu compoſito* . Hæc enim vera Doctorum ea locutione utentium univerſim intentio eſt . Dicit enim D. Thomas: *ſine alterius ſententiæ præjudicio*: cum ſimul aſſerit de oppoſita: *rationabilior invenitur:* ac propterea addit: *Si contrarium teneatur*. Ad hæc dicat, ei non eſſe præjudicandum , quia *erronea* non eſt . Etenim ſi error , & non probabilis in eo conflictu haberetur , jam a Doctoribus poſitive reprobaretur . Quod generaliter Alb. Mag. aſſeruit , ut ſupra vidimus . Itaque ea frequens Doctorum formula : *ſine præjudicio* : in *ſenſu compoſito* intelligenda eſt , ac proinde ex ea legitime colligi poteſt , opinionem minus probabilem in conflictu , vel æque probabilis, vel etiam probabilioris ab Authoribus non improbari, ſed ejus electionem admitti tanquam licitam , modo adſint conditiones Corollario . 8. aſſignatæ.

Quamquam etiamſi ſignificatio iſtius locutionis non eſſet hujuſmodi, nihil refert. Nam ſive non ſit præjudicandum ſententiæ minus probabili, quia vere probabilis eſt, ſive quia probabilior fortaſſe in ſe eſt, aut per inventionem majorum rationum eſſe poteſt, ad inſtitutum perinde eſt : neque Probabiliſtæ amplius requirunt. Cujuslibet enim opinionis proprium eſt, ut probabilior aut abſolute evadere poſſit, aut ſaltem apparere (*a*), cum probabilioritas non *abſoluta*, ſed *reſpectiva* ſit (*b*) , & unuſquiſque ſuas ſententias defendere ſoleat tanquam probabiliores (*c*) . Satis eſt, ut qui unam opinionem ſequitur, quia ſibi probabilior eſt , oppoſitæ , quæ ſimul probabilior apparere ſibi non po-

(a) *per Cor.* 1. *Supp.*10.
(b) *per Cor.* 4. *ejuſd.*
(c) *per eand.*

poteſt, propterea quod contradictoria nequeunt eſſe ſimul probabiliora (*a*), præjudicare nolit. (a) *per Ax.* 2.

13. In ſpeculativis voces illæ *: veroſimilius : probabilius : propinquius veritati : rectæ Rationi conformius :* (ſi etiam hæc ultima locutio uſurpata inveniatur) non ſunt uſurpatæ a Doctoribus de veritate reali, & objectiva, ſed ſolum de veritate apparenti, & ſubjectiva; vel ſi etiam de veritate reali uſurpatæ ſunt, hoc nihil obſtat, quo minus id, quod eſt tantum *veroſimile : probabile : propinquum veritati : rectæ Rationi conforme :* in conflictu *vero ſimilioris*, &c. ſequi poſſit. Etenim ſi *probabilius* in eo conflictu iis fuiſſet idem, ac reale verum, non reliquiſſent integrum, ut *minus probabile* eligi poſſet. Veritas enim realis indiviſibilis eſt (*b*): & falſum cognitum, cujuſmodi eſſet opinio minus probabilis in eo conflictu (*c*), licite ſequi non poteſt (*d*). Unde etiam hinc liquet, probabilem opinionem probabiliori comparatam eſſe rectæ Rationi conformem, non difformem, alioqui a Sapientibus non daretur optio, ut ea eligi poſſet, ſed potius reprobaretur. (b) *per Cor. Def.* 2. (c) *per Sch. Def.* 5. *n.* 6. (d) *per Supp.* 16.

14. In ſpeculativis, etiam ad fidem pertinentibus, opinio probabilis in noto conflictu eſt tuta a periculo *formalis* erroris, non etiam *materialis*; & ideo licite poſſumus tenere, & ſequi aliquid cum periculo erroris *materialis*. Nam cum ea opinio ſit incerta (*e*), poteſt eſſe reipſa falſa: & ſi non eſſet tuta ab errore *formali*, ſequi non poſſet, cum nequeat defendi error *formalis* (*f*). Immo eſt æqualiter tuta ab errore, atque opinio probabilior, licet hæc aliunde, nempe ex parte materiæ, ſecurior ſupponatur, quia illa eſt æqualiter incerta, ac iſta (*g*), ac (e) *per Cor.* 2. *Def.* 26. 27. (f) *per Supp.* 16. (g) *per Cor.* 2. *Def.* 26. 27.

ac proinde æqualiter poteſt eſſe falſa: & major ſecuritas ab errore ſe tenet ex parte materiæ, non opinionis (*a*).

15. Hinc in ſpeculativis aliquid licite teneri, & eligi poteſt cum periculo peccati *materialis*, non *formalis*. Etenim cum tenere errorem *formalem* ſit *formale* peccatum (*b*); opinio vero probabilis non ſit error *formalis* (*c*), ſed tamen eſſe poſſit, utpote incerta (*d*); conficitur, ſi ea in conflictu probabilis, vel probabilioris tutioris licite teneri poteſt, poſſe licite teneri aliquid cum periculo peccati *materialis*, non *formalis*, quandoquidem periculum erroris *materialis*, & peccati *materialis* in hypotheſi idem eſt, ſicuti periculum erroris *formalis*, & peccati *formalis*, quia error formalis peccatum eſt (*e*). Itaque in ſpeculativis, etiam ad fidem pertinentibus, non tenemur ſequi probabiliora, ac tutiora ad hoc, ut neque *materialiter* erremus, aut peccemus, ſed ſufficit ſequi probabilia, ac tuta, ad hoc ſaltem, ut non erremus, ſeu peccemus *formaliter*.

16. Hinc non eſt Lex per ſe ulla univerſalis, neque Naturalis, neque Divina, neque Humana obligans ad ſequenda in ſpeculativis, etiam ad fidem ſpectantibus, vel æque probabilia, vel probabiliora ſecuriora. Nam aliter non poſſent teneri tantum probabilia minus tuta iis comparata.

Dictum eſt *per ſe*, & *univerſalis*, quia fieri poteſt, ut peculiare aliquod præceptum reperiatur vetans electionem hujuſmodi minus probabilium (*f*).

17. Hinc denique in ſpeculativis, etiam ad fidem pertinentibus, datur ignorantia *invincibi-*

lis

(a) *per Sch.Def.* 24. *n.*7.
(b) *per Sup.*16.
(c) *per Cor.* 3. *Def.*26. 27.
(d) *per Cor.* 2. *earund.*
(e) *per Supp.*16.
(f) *per Sch.Ax.* 13.

lis tum *phyſice*, tum *moraliter*, quia veritas neque ſciri poteſt, neque eſt obligatio eam ſciendi; ob idque ab errore *formali*, & a peccato *formali* probabilia ſequentes excuſantur. Nam ſi veritas certo a Doctoribus ſciretur, aut facile diſputando ſciri poſſet, aut eſſet obligatio eam ſciendi, contrarium teneri non poſſet; quia tunc foret, vel aperte falſum, vel falſum eſſe facile cognoſci poſſet, & falſum ſine culpa in qualibet materia (*a*), præſertim a Doctoribus (a) *per* rem ex profeſſo diſcutientibus teneri non poteſt. *Supp.*16.

Hæc omnia Corollaria, licet vel ſuperflua, vel parum ad rem eſſe videantur, acriter tamen Lector mente retineat. Nam quanta iis inſit vis, & quiſnam eorum ſit futurus uſus, ſuo loco apparebit.

X X.

Omnes cujuſque Scholæ opiniones ſunt in ſe, & abſolute probabiles, non vero probabiliores.

Nam quod ad primum ſpectat, nituntur Doctore Magno, ac rationibus magnis: quo probabilitatis utriuſque, nempe intrinſecæ ſimul & extrinſecæ natura, ac robur continetur (*b*). Im- (b) *per* mo multis Doctoribus nituntur. Sub unoquoque *Sch.Def.* enim Principe complures militant, quos inter 29. *n*.1. multi Sapientes ſunt, ut Docti norunt. Quod præſertim verum eſt de Scholis D. Thomæ, & Scoti, quæ celebriores ſunt. (c) *per*

Quod ad ſecundum, primum Probabilioritas *Cor.* 4. non *abſoluta*, ſed *reſpectiva* eſt (*c*). Deinde inter *Sup.*10. has Scholas complures ſententiæ contradictoriæ (d) *per* ſunt (*d*): contradictoria autem probabiliora ſi- *Sup.*12. mul eſſe non poſſunt (*e*). (e) *per*

Cor. Hinc iterum liquet, probabilitatem, *Ax.*2. ſive

ſive abſolutæ, ſive reſpectivæ probabilioritati collatam non amitti, ac evaneſcere. Nam hoc pacto ſententiæ contradictoriæ, quæ in Doctoribus reperiuntur, forent temerariæ, & improbabiles: ac propterea Schola quælibet poſſet alterius opiniones ſibi adverſantes, tanquam hujuſmodi rejicere, ac reprobare. Unaquæque etenim Schola ſuas ſententias defendit veluti probabiliores (*a*): & nonnullæ ex contradictoriis poſſunt eſſe reipſa abſolute probabiliores (*b*). Quod ſi hoc aſſerere, & facere nefas eſt, conficitur, minorem probabilitatem per majorem ſive abſolutam, ſive reſpectivam non enervari.

(a) *per Supp.* 10.
(b) *per Sch. Def.* 29. *n.* 1.

XXI.

Doctrina D. Thomæ, præſertim Theologica, eſt ab Eccleſia *electiva* approbatione, minime *definitiva*, aut mere *permiſſiva*, poſitive approbata.

XXII.

Eſt approbata univerſim, & ſigillatim, ita ut quælibet D. Thomæ ſententia ſeorſum accepta ſit poſitive approbata, & nulla ſit, quæ non ſit poſitive approbata.

XXIII.

Eſt approbata abſolute, & in ſe, non reſpective, ſeu ad mentem, ac judicium opinantis. Primo enim hoc fieri non poteſt, ut conſideranti liquet. Deinde hæc foret approbatio inutilis, deriſoria, & ridicula.

XXIV.

Non eſt approbata univerſim, & ſigillatim velu-

veluti ſpeculative vera, ac certa, ita ut quælibet D. Thomæ ſententia ſit ſpeculative vera, & certa, & nulla ſit, quæ non ſit hoc modo vera, ac certa.

XXV.

Eſt approbata univerſe, & ſigillatim tanquam vera, & certa practice, ita ut quælibet D. Thomæ practica ſententia practice vera, & certa abſolute, & in ſe ſit, ſeu tuta, tutiſſima in praxi, & nulla ſit ſeorſim accepta, quæ non ſit tuta, tutiſſima abſolute, & in ſe.

XXVI.

Non eſt approbata generatim, & ſigillatim veluti probabilior, ita ut quælibet ejus ſententia peculiariter accepta ſit abſolute, & in ſe probabilior, ac de qualibet vere dici poſſit: hæc eſt abſolute, & in ſe probabilior.

XXVII.

Eſt approbata univerſim, & ſpeciatim tanquam probabilis, ita ut quælibet D. Thomæ ſententia ſeorſim accepta ſit in ſe, & abſolute probabilis, & nulla ſit, de qua vere dici non poſſit: hæc eſt in ſe, & abſolute probabilis.

XXVIII.

Etiam D. Bonav. Doctrina ab Eccleſia *electiva* approbatione æqualiter quoad ſubſtantiam, non vero quoad modum approbata eſt.

Hæ octo Suppoſitiones tum apud Probabiliſtas, tum apud Probabilioriſtas certæ ſunt. Vide ſis Piccinardum de approbatione Doctrinæ S. Thomæ, ex cujus Doctrina, quæ eſt Thomiſtarum,

rum, hoc eſt nunc Probabilioriſtarum communis, formatæ ſunt.

Monumenta autem hujuſce approbationis, præter alia, ſequentia ſunt.

1. Quod attinet ad D. Thomam. Joannes XXII. in Bulla Canonizationis: *Redemptionem miſit Dominus*: de ejus operibus dicit. *Non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit*.

Urbanus V. in Brevi ad Toloſanos: *Laudabilis DEUS*. *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti D. Thomæ Doctrinam tanquam benedictam*, (alii legunt *veridicam*) *& Catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare*.

Pius V. in Bulla erectionis Canonicatus S. Petri in Vaticano pro Præbenda Theologali: *In eminenti*. *Attendentes D. Thomæ* ..... *Doctrinam Theologicam ab Eccleſia Catholica receptam, aliis magis tutam, & ſecuram exiſtere &c.*

Et in Bulla: *Mirabilis DEUS*: eam vocat *certiſſimam Chriſtianæ Doctrinæ Regulam*.

Clemens VIII. in primo Brevi ad Deputatos Neapolitanos: *In quo nos*: D. Thomam appellat *Divinæ voluntatis Angelicum Interpretem*.

Et in ſecundo Brevi ad eoſdem: *Sicut Angeli*: de ejus Libris ait. Quod eos *ſine ullo prorſus errore conſcripſit*.

Paulus V. in Brevi: *Splendidiſſimi*: ait, *ejus Scriptorum Clypeo Eccleſiam hæreticorum Tela feliciter elidere*.

Alexander VII. in Brevi ad Doctores Lovanienſes: *Litteras*: eos exhortatur his verbis.... *de reliquo non dubitamus quin* ..... *ſanam, & incorruptam* .... *Doctrinam ſemper amplexuri, & adverſus* ..... *defenſuri ſitis; nec non præ-*

præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ inconcuſſa, tutiſſimaque Dogmata ſequi ſemper, ut aſſeritis, & impenſe revereri velitis, quorum profecto Sanctorum Virorum penes Catholicos univerſos ingenia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, novi præconii commendatione non egent. ...

Item Patribus Dominicanis anno 1655. in Capitulo congregatis ſignificavit ſe cupere, ut a Theologis contra laxas opiniones tum præſertim emergentes remedium pararetur *per genuinam Doctrinam* (alii referunt *ex ſeveriori, & tuta Doctrina*) D. Thomæ.

Ita teſtantur Vincent. Baron., & Gonet. in Procemio diſput. de Probabilitate.

Idem feciſſe etiam Clementem VIII. cum Patribus Societatis habetur, ut dicitur, in eorum Congregatione Generali quinta Decret. 56.

Denique Benedictus XIII. in Brevi: *Demiſſas preces*: 1724. ſuperiores fere omnes approbationes, & elogia complexus, hæc de Doctrina S. Thomæ habet. *Quando quidem Omnipotentis DEI Providentia factum eſt, ut Angelici Doctoris vi, & veritate Doctrinæ, non ſolum innumeræ, quæ vel ipſius ætate, vel antea graſſatæ ſunt, ſed multæ etiam, quæ deinceps exortæ ſunt, hæreſes confuſæ, & convictæ diſſiparentur .... Sanctorum Auguſtini, ac Thomæ inconcuſſa, tutiſſimaque Dogmata .... Pergite porro Doctoris veſtri Opera Sole clariora, ſine ullo prorſus errore conſcripta, innoffenſo pede decurrere, & per certiſſimam illam Chriſtianæ Doctrinæ Regulam, Sacroſanctæ Religionis veritatem, incorruptæque Diſciplinæ Sanctitatem tueri, ac vindicare.*

Vide ſi lubet has Bullas, & Brevia per exten-

ſum (excepto hoc ultimo) apud eumdem Piccinardum, aut Lucarinum, aut alios.

2. Quod vero ſpectat ad D. Bonaventuram.

Sixtus IV. in Bulla Canonizationis vocat ejus ſcripta *Divina*, aitque ita ſcripſiſſe, *ut in eo Spiritus Sanctus locutus videatur*.

Sixtus vero V. in Bulla, qua ipſum Doctorem Eccleſiæ declaravit, repetit primum eadem verba, deinde proſequitur, dicens. *Doctrinam ipſius S. Bonaventuræ a ſupradictis prædeceſſoribus noſtris Clem. IV. Greg. X., & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maxime ſpectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, graviſſimorum Virorum authoritate teſtificatam, & commendatam, & eximio Doctore dignam, nos quoque in Domino laudamus, & commendamus, ac . . . ipſum S. Bonaventuram . . . inter præcipuos, & primarios, qui Theologicæ facultatis Magiſterio excelluerunt, habendum, & reverendum eſſe decernimus, & declaramus . . . . atque . . . Opera . . . omnia . . . . ut aliorum Eccleſiæ Doctorum, qui eximii ſunt, non modo privatim, ſed publice in Gymnaſiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Diſputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus, omnibus aliis Eccleſiaſticis ſtudiis, Chriſtianiſque Exercitationibus, citari, proferri, atque, cum res poſtulaverit, adhiberi volumus, ac decernimus*.

Præterea in eadem Bulla proteſtatur, ſe Collegium inſtituiſſe, in quo *ex hujus præcipue eximii, devotique Doctoris Operibus, & Commentariis ſacra Theologia publice explicaretur*.

Hoc autem Collegium eſt Romæ in Conventu Sanctorum Apoſtolorum Patrum Conventualium.

Ut in ſummam horum duorum Doctorum Elo-

Elogia, & approbationes colligantur.

Doctrina D. Thomæ *ſpecialiter infuſa, benedicta, veridica, catholica, ab Eccleſia recepta, aliis magis tuta, & ſecura, certiſſima Chriſtianæ Doctrinæ Regula, inconcuſſa, tuta, tutiſſima, fine ullo prorſus errore eſt.*

Ad hæc magnum Eccleſiæ deſiderium, & exhortatio, ut eam Doctrinam amplectamur, revereamur, ſequamur, ad praxim reducamus.

Sancti vero Bonav. Doctrina *Divina*, ac veluti a Spiritu Sancto dictata, ab Eccleſia pluries *laudata, ſpectata, adhibita, digna eximio Doctore, & graviſſimorum Virorum authoritate teſtificata, & commendata* eſt.

Inſuper authoritative uſurpari decernitur ab Eccleſia in omnibus ſacris Exercitationibus: ac proponitur, ut explicetur, ac doceatur.

SCHOLIUM I.

IN hac Eccleſiæ approbatione duo præſertim, quod ad inſtitutum ſpectat, peculiari animadverſione digna ſunt.

1. Primum, horum Doctorum Doctrinam fuiſſe approbatam, antequam Probabiliſmus naſceretur, aut ſaltem radices ageret, ut patet de Joanne XXII., Urbano V., Pio V., & Sixto IV., ac Sixto V.. Nam explicitus Probabiliſmus circa. 1577. ortus eſt.

2. Secundum, Doctrinam præſertim D. Thomæ, quæ ſæpius, expreſſius, & ſolemnius approbata eſt, nunquam probabiliorem fuiſſe appellatam. Nullus enim Pontificum eam hoc nomine vocavit, nec illi quidem, qui in ipſo Probabiliſmi vel jam nati, & undique gliſcen-

tis, ut Clem. VIII., vel decreſcentis, ut Benedict. XIII., tempore, ſed etiam in ipſo calore, ut Alex. VII., eam approbarunt; quo tempore maxime e re erat ita illam appellare. Et præſertim Alex. VII., qui multas opiniones de moribus laxas confixit, contraque alias plures tum emergentes remedium parari magnopere cupiebat ex Doctrina S. Thomæ. Quod optimo conſilio factum Lector infra cognoſcet. Itaque *ſpecialiter infuſam*, *benedictam*, *tutam*, *tutiſſimam*, *veridicam*, *Catholicam*, *ab Eccleſia receptam*, *aliis magis ſecuram*, *inconcuſſam*, *certiſſimam Chriſtianæ Doctrinæ Regulam*, *ſine ullo prorſus errore conſcriptam* legimus, *probabiliorem* non legimus.

3. Neque vero Lectorem movere debent hujuſmodi tam ſpeciales, tamque efficaces loquendi formulæ, quibus approbata eſt, quaſi vero inde inferri oporteat, illam majori approbatione, quam in Suppoſitionibus aſſerui, fuiſſe approbatam.

Nam omnium illarum formularum ſenſus, & ſignificatio aliud in ſumma non eſt, quam quod, ſi de morum Doctrina loquamur, ſit certa, & vera practice, ſeu tuta, tutiſſima in praxi, atque ſine ullo prorſus errore practico; ſi vero loquamur de Doctrina ſpeculativa, quod ſit vera, certa, & ſine ullo prorſus errore ex iis, quos nunc conſtat Eccleſiæ errores eſſe, non vero ex iis, quos errores eſſe conſtare poteſt, cum hujuſmodi ſit natura electivæ approbationis (*a*). Quod quamquam ab aliquibus in dubium ponatur, qui exiſtimant, aliquos ſpeculativos errores, etiam ex nunc cognitis, in D. Thomæ Doctrina eſſe, nihil refert. Hoc loco enim ratio ſolum Doctrinæ moralis habetur: & quod de Doctrina ſpeculativa dixi, ſine difficulta-

(a) *per Sch. Def.* 50. *n.*2.

te

te tam a nobis, quam a Probabilioriſtis veluti Suppoſitio admitti poteſt.

Illud igitur ſignificant potiſſimum hæ locutiones: *infuſa*, *veridica*, *catholica*, *recepta ab Eccleſia*, *inconcuſſa*, *ſine ullo prorſus errore conſcripta*, *certiſſima Chriſtianæ Doctrinæ Regula*: quibus abſoluta, & infallibilis veritas aſtrui videtur. Quamvis hæc præſertim ultima formula etiam alium ſenſum aptiorem habet, nempe quod ſit certiſſima Regula Chriſtianæ Doctrinæ, hoc eſt, non Fidei, ſed Doctrinæ ſcholaſtico, ac probativo modo procedentis. Quod veriſſimum eſt, & de D. Thomæ non ſolum, ſed etiam de D. Bonav. Theologia Sixtus V. in ſuperiori Bulla præfata aſſeruit. Quare D. Thomæ Doctrina quo modo tantum in Suppoſitionibus expreſſimus, non alio excellentiori, ab Eccleſia approbata eſt.

Conſule Piccinardum eumdem Opere laudato.

4. Sed quamquam hæ Suppoſitiones certæ ſint, & ab omnibus tum Probabilioriſtis, tum Probabiliſtis non ægre, ut dixi, admittantur, ad commoditatem tamen illorum, qui in his rebus parum verſati ſunt, & ad Doctrinæ complementum libet earum aliquas, quæ difficultatem præ cæteris ingerere videntur, breviter demonſtrare. Sunt autem. 21. 24. 26. 27.

Itaque quod ſpectat ad 21., D. Thomæ Doctrina tantum *elective* approbata eſt. Etenim ſi foret approbata *definitive*, ea eſſet Canonica, & infallibilis, omneſque ejus ſententiæ tam practicæ, quam ſpeculativæ eſſent definitæ, ac de Fide, quod conſtat eſſe non poſſe: tum quod omnes ſententiæ his contradictoriæ, quas defendunt alii Doctores (*a*), eſſent non ſolum fal-

(a) *per Supp.* 12.

falſæ, ſed etiam hæreticæ; cum Contradictoria
ſimul vera (multò minus de Fide) eſſe non poſ-
(a) *per* ſint (*a*): atque ideo eſſent falſæ, & hæreticæ
Ax. 1. etiam ſententiæ his contradictoriæ D. Bona-
(b) *per* venturæ (*b*), quas tamen Eccleſia etiam ap-
Sup. 12. probavit (*c*); unde, & falſum, & hæreticum
(c) *per* approbaſſet, quod eſſe non poteſt (*d*): tum de-
Sup. 28. nique, quod nulla ſententia D. Thomæ verſa-
(d) *per* retur in materia Topica, & opinativa contra
Ax. 25. hypotheſin (*e*).
26. 5. Quæ Doctrina etiam ad demonſtrationem
(e) *per* Supp. 24. omnino facit, cum eadem abſurda
Sup. 12. etiam ſequantur, ſi ponatur Doctrina D. Thomæ eſſe approbata præ aliis tanquam ſpeculative vera, & certa, ut conſideranti patet.

6. Quod ad 26., non ſunt approbatæ omnes ſententiæ D. Thomæ univerſim, & ſigillatim veluti probabiliores. Primo enim nullus Pontificum hoc expreſſit, etiam cum id maxime debuiſſet, ut ſupra diximus. Deinde probabilio-
(f) *per* ritas non abſoluta, ſed reſpectiva eſt (*f*): Sen-
Cor. 4. tentiæ vero D. Thomæ abſolute, & in ſe ap-
Sup. 10. probatæ ſunt (*g*). Tum nulla ſententia con-
(g) *per* tradictoria opinionibus ejus abſolute probabilior
Sup. 23. fieri poſſet, ideoque ſententiæ non immutaren-
(h) *per* tur (*h*), cum contradictoria, præſertim in ſe,
Supp. 9. & abſolute, ſimul prababiliora eſſe non poſ-
(i) *per* ſint (*i*). Rurſus aliquæ opiniones revera pro-
Ax. 2. babiliores ſunt opinionibus aliquibus D. Thomæ, ut docti ſciunt. Tandem omnes tenerentur ſequi ſententias D. Thomæ; quod neque Probabilioriſtæ admittunt, vel admittere poſſunt: & nullus Doctor poſſet defendere, & multo magis practicare prudenter ſententiam aliquam practicam contradictoriam ſententiis

D.

D. Thomæ tanquam probabiliorem, cum tamen omnes Doctores ſuas ſententias veluti probabiliores tueantur (*a*). Fieret inquam primum, quia juxta Probabilioriſtas tenemur ad reſpectiva, & multo magis ad certo abſoluta probabiliora; quod potiori jure verum erit, ſi hujuſmodi ſint declarata per Eccleſiæ judicium (*b*). Fieret ſecundum, quia poſt tale judicium nemo poſſet ſine Eccleſiæ contemptu exiſtimare propriam ſententiam contradictoriam probabiliorem, cum contradictoria ſimul eſſe nequeant probabiliora (*c*).

(a) *per Sup.* 10.

(b) *per Sch.* 2. *Def.* 26. 27. *n.* 4.

(c) *per Ax.* 2.

Atque hinc liquet, cur Eccleſia Doctrinam D. Thomæ probabiliorem non dixerit, ut ſupra notavi.

7. Quod tandem ad 27., omnes Sententiæ D. Thomæ ſunt approbatæ veluti in ſe, & abſolute probabiles. Tum quod omnes opiniones cujuſque Scholæ ſunt in ſe probabiles (*d*). Tum quod præter certum, probabiliſſimum, probabilius, & probabile nihil aliud eſt, quod ab Eccleſia approbari poſſit (*e*); & tutum, cujuſmodi D. Thomæ Doctrina approbata eſt (*f*), in moribus faventibus libertati, non niſi aut certum, aut probabiliſſimum, aut probabilius, aut ut minus probabile eſſe queat (*g*). Quare Doctrina D. Thomæ electiva, non definitiva approbatione, non tanquam certa, & vera ſpeculative, aut tanquam probabilior, ſed tantum ut probabilis univerſim, & ſigillatim in ſe, & abſolute approbata eſt. Quod erat demonſtrandum.

(d) *per Sup.* 20.

(e) *per Cor.* 2. *Ax.* 25. 26.

(f) *per Sup.* 25.

(g) *per Cor.* 1., & 2. *Ax.* 25. 26.

SCHOLIUM II.
ad Supp. 26. 28.

1. THOMISTÆ apud eumdem Piccinardum Lib. 2. quæſt. 2. art. 3., & quæſt. 4. art. 3., cum videant ex una parte Sanctos Thomam, & Bonaventuram pares eſſe in Eccleſiæ exiſtimatione, nempe ambos declaratos Sanctos, ambos Patres, & Doctores Eccleſiæ, ambos Primarios, & Præcipuos inter eos, qui Theologica facultate excelluerunt, amborum Doctrinam approbatam; ex alia vero tot, tamque peculiares pro D. Thoma approbationes; unanimi conſenſu arbitrantur inter utrumque Doctorem, interque utramque approbationem diſcrimen aliquod eſſe oportere.

Itaque quod ad perſonam attinet, ſtatuunt D. Thomam eſſe declaratum, & approbatum, non ſolum inter Primarios, & Præcipuos Scholaſticæ Theologiæ Magiſtros, verum etiam omnium Theologorum Principem: quod vero ad Doctrinam, affirmant utriuſque Doctrinam eſſe quidem *quoad ſubſtantiam* (ita enim ipſi loquuntur) non autem *quoad modum* æqualiter approbatam; ideoque ſi non in ſubſtantia, ſaltem in modo inæqualitatem aliquam inter utramque eſſe ponendam. Hanc autem modi inæqualitatem explicant in eo ſitam eſſe, quod S. Thomæ Doctrina eſt ſpecialiter approbata de defectu erroris, de certitudine, & veritate, de peculiari infuſione, de majori ſecuritate, ſenſu ſupra explicato: Doctrina vero S. Bonav. ſolum approbata eſt generaliter, ſine ulla ſpeciali expreſſione, unde deſumi poſſit gradus certitu-

titudinis, veritatis, ſecuritatis. Adduntque propterea, Doctrinam D. Thomæ eſſe approbatam, non tantum veluti abſolute probabilem, ſed etiam tanquam probabiliorem, non quidem in univerſum *determinate*, ac *definite*; ita ut quælibet ſententia ſit peculiariter, & definite veluti probabilior approbata, ſed in univerſum *indeterminate*, *&* *indefinite*, *ac plerumque* (hoc enim vocabulo utitur Piccinardus, aliis Joan. a S. Thoma, cæterique) ita ut majori ex parte ſint revera approbatæ tamquam probabiliores (ſic enim illud *plerumque* intelligo, & explico), certo tamen ſciri non poſſit, quæ ſint *determinate* probabiliores; ideoque ſit nulla, de qua certo affirmari poſſit. Hæc eſt approbata ut abſolute, & in ſe probabilior.

Hæc eſt concors, & unanimis de approbatione Doctrinæ S. Thomæ, præſertim comparata approbationi Doctrinæ S. Bonaventuræ, Thomiſtarum ſententia.

2. Nos per ea verba, *quoad ſubſtantiam*, putamus eſſe intelligendam omnimodam ſubſtantialem approbationis æqualitem, ſcilicet in infuſione, veritate, certitudine, ſecuritate; per ea vero, *quoad modum*, quandam accidentariam inæqualitatem, ſitam dumtaxat in ipſa forma commendationis, & approbationis, ideoque alteram ab altera in eo ſolo diſcriminari, quod D. Thomæ Doctrina expreſſiori, & ſpecialiori ſermonis forma, ſeu illuſtriori, ac ſolemniori, ut ita dicam, pompa approbata eſt, cætera utramque convenire. Quapropter utraque, vel tantum ut abſolute probabilis, vel etiam ut probabilior eodem modo, eodemque plane ſuperiori ſenſu approbata eſt. Id quod facile poteſt demonſtrari.

3. Et-

3. Etenim primo etiam Doctrina D. Bonav. *Divina* & fere a Spiritu Sancto dictata dicitur (*a*): quo immunitas ab errore, veritas, certitudo, ſecuritas, licet non explicite, implicite tamen continetur.

(a) *per* *Sch.* 1. *huj.n.*2.

4. Præterea eſt non mere *permiſſive* tantum, ſed *elective* etiam approbata (*b*): electiva autem approbatio hujuſmodi eſt, qua immunitas ab omni errore jam cognito ſignificatur (*c*): Igitur eſt æqualiter immunis ab errore, ac Doctrina D. Thomæ.

(b) *per* *Sup.* 28.
(c) *per* *Sch.Def.* 50. *n.* 2.

5. Rurſus decernitur, ut ea defendatur, publicetur, propagetur, & in omnibus Eccleſiaſticis functionibus cum authoritate citetur, & adhibeatur (*d*). Igitur ſecura eſt. Quis enim ſibi perſuadeat, Pontifices propoſituros in Eccleſia ad docendum, arguendum, exhortandum Doctrinam, quæ ſecura non eſt? Quare hæc etiam tuta, ac illa S. Thomæ eſt, hoc eſt in praxi non minus ſecurus eſt, qui amplectitur opinionem S. Thomæ, quam qui S. Bonaventuræ.

(d) *per* *Supp.* 28. *n.* 2.

6. Præterea hæc eſt etiam in ſe, & abſolute probabilis. Tum quia omnis cujuſque Scholæ Doctrina abſolute talis eſt (*e*). Tum quia quod approbatur ab Eccleſia, ut minimum probabile eſt (*f*). Tum quia tutum debet eſſe ſaltem hujuſmodi, cum falſum in favorem libertatis tutum eſſe non poſſit (*g*). Tum denique, quia Doctrina iſta nititur authoritate magna, & rationibus magnis: quo univerſa, ſeu tam intrinſeca, quam extrinſeca probabilitas continetur (*h*). Neque vero quemquam eſſe puto, qui hoc inficiari velit, aut poſſit. Nam quis audeat aſſerere, etiam hujus tam eximii Pa-

(e) *per* *Sup.* 20.
(f) *per* *Cor.* 1. *Ax.* 26.
(g) *per* *Sch.Def.* 24.*n.*10.
(h) *per* *Sch.Def.* 29. *n.* 1.

Patris, atque Eccleſiæ Doctoris Doctrinam non eſſe ſaltem probabilem?

7. Quod tandem ſpectat ad Probabilioritatem, qua S. Thomæ Doctrina præ ceteris, modo explicato, ut volunt Thomiſtæ, approbata eſt, non video, qui hoc intelligi, aut cum veritate ſtare, quidve ad peculiarem ejuſdem commendationem, atque approbationem conferre poſſit. Si enim nunquam certo conſtare poteſt, quænam ſententia ſpeciatim accepta ſit in ſe, & abſolute probabilior, & ut talis ab Eccleſia approbata, quid intereſt? nam hoc pacto, non obſtante adeo ingenti Eccleſiæ approbatione, nemo unquam ſecurus eſt, ſe ſequi, aut in ſpeculatione, aut in praxi ſententiam aliquam abſolute probabiliorem D. Thomæ, ideoque in hoc Eccleſiæ approbatio ſibi ſupervacanea eſt. Quare conficitur, vel D. Thomæ Doctrinam non eſſe tanquam probabiliorem, modo explicato, approbatam, ſed ſolum veluti probabilem; vel etiam D. Bonavent. Doctrinam, utpote etiam *elective* approbatam, ſimili prorſus ratione veluti probabiliorem eodem modo approbatam eſſe. Qua propter in ſubſtantia utraque convenit quoad omnia, excepta accidentali approbationis forma; ipſaque approbationis ſubſtantia utrinque eodem prorſus modo intelligenda, & explicanda eſt. Q. e. d.

8. Dicet fortaſſe quiſpiam. Si ita eſt: quid igitur aliis præſtat Doctrina D. Thomæ, & quamobrem ab Eccleſia tam frequenter, & tam ſolemniter approbata eſt?

Si de illa comparate ad D. Bonav. Doctrinam loquamur, jam diximus, in forma approbationis præſtare, eique præ hac fuiſſe ab Eccle-

cleſia adjectam majorem commendationis, & approbationis celebritatem. Si vero de aliorum Doctorum quorumcumque Doctrina non approbata ſermo eſt, S. Thomæ, ſicut etiam S. Bonav. Doctrina præſtat in eo, quod Eccleſia ſuo judicio, ac authoritate certos nos facit, omnes iſtorum duorum ſententias eſſe abſolute probabiles, & in praxi tutas, ſeu omni cujuſcumque erroris tum ſpeculativi jam cogniti, tum practici ſuſpicione carere. Quod de aliis Doctoribus non approbatis certo, ac authentico Eccleſiæ teſtimonio nondum exploratum eſt.

9. Atque hæc obiter dicta ſint, ut Thomiſtarum ſententiam de majori approbatione Doctrinæ D. Thomæ præ S. Bonav. Doctrina, non ſine examine aliquo exciperemus. Cæterum quia non niſi omnino certa, & a Probabilioriſtis ipſis admiſſa in hoc Opere ſumenda ſunt (*a*), idcirco in Supp. 28. diximus, D. Bonav. Doctrinam eſſe æqualiter *quoad ſubſtantiam* approbatam. Porro hanc ſubſtantialis approbationis æqualitatem libenter accipimus in hoc ſolum eſſe poſitam, quod etiam ipſa ſit in ſe abſolute probabilis, & tuta (hoc enim contenti ſumus): quod utrinque tanquam certum habendum eſt.

(a) *per Præm.4.*

Quod eſt autem ad Thomiſtarum ſententiam, liberaliter iis damus, D. Thomam Theologorum omnium Principem eſſe: damus etiam, ejus Doctrinam præ Doctrina D. Bonav. etiam approbatam *indefinite*, *indeterminate*, *plerumque* veluti probabiliorem. Sat nobis eſt, ut dicebamus, etiam hanc ſaltem abſolute probabilem, & in praxi tutam approbatam eſſe. Quod ſi hoc ipſum ægre ferant, & dare nolint, nihil refert. Nam neque iſtuc ab invitis extorquebimus.

Sit

Sit igitur ſola Doctrina D. Thomæ, ut libet, nempe ut liberaliter dedi, approbata, Doctrina vero D. Bonaventuræ nullo modo approbata: Vel hoc unum nobis denique ſatis eſt.

Cor. Hinc evidenter liquet, poſſe licite, & ſine peccato ab omnibus per ſe amplecti, & ad praxim deduci omnes ſententias de moribus D. Bonav., & D. Thomæ. Tuta enim per ſe ſunt licita (*a*), & quæ approbat *elective* Eccleſia licita ſunt (*b*). Quod præſertim de ſententiis D. Thomæ verum eſt, quem eſſe in moribus ſequendum Pontifices ſupra tam clare, tamque cupide voluere. Quis enim audeat vel ſuſpicari non poſſe licite ad praxim deduci, quod deduci Eccleſia tam ardenter cupit, hortatur, injungit.

(a) *per Ax.* 5.
(b) *per Ax.* 23.

Dictum eſt *per ſe*, quia fieri poteſt, ut aliqua Sententia D. Thomæ, aut D. Bonav. ad praxim deduci nequeat ob peculiare vinculum Juramenti, Voti, Contractus, Præcepti (*c*) &c.

(c) *per Sch. Ax.* 5.

SCHOLIUM.

QUAMQUAM eſt incredibile, poſt tot luculentas Eccleſiæ approbationes, atque declarationes, ea præſertim a me ratione deductas, reperiri quemquam adeo præfractæ frontis, ut auſit, ut dixi, affirmare, non poſſe ad praxim deduci ſententias omnes faventes libertati D. Bonav., & D. Thomæ ab eo, qui oppoſitas faventes Legi putet vel æque probabiles, vel probabiliores; tamen ut omnes obſtinatæ mentis nimio partium ſtudio in tranſverſum actæ conatus elidantur, ſimulque omnis elabendi aditus præcludatur, ac præſertim, ut tam imma-

immanis aſſertionis hujus abſurditas, ab imperitis potiſſimum, cognoſcatur, libet in eorum utilitatem hoc Corollarium latius diducere, & explicare.

Eſto igitur. Non poſſint ſemper, & ab omnibus *per ſe* practicari omnes ſententiæ faventes libertati D. Bonav., & D. Thomæ, ſed quæ ſolum, a quibus ſolum, tum ſolum, cum ſunt vel abſolute, vel reſpective probabiliores.

Igitur ſi de abſoluta probabilioritate loquamur, nulla unquam ad praxim deduci poteſt. Nulla etenim ſententia, vel ipſius D. Thomæ, eſt determinate, certo, abſolute probabilior, & ut hujuſmodi ab Eccleſia approbata (*a*). Et univerſim Doctrina aliqua ita approbari non poteſt, cum probabilioritas non ſit objectiva, & abſoluta, ſed ſubjectiva, ac reſpectiva (*b*).

(a) *per* *Sch.* 2. *Sup.* 28. *n.* 1.

(b) *per* *Cor.* 4. *Supp.* 10.

Si vero de relativa, igitur Doctrina horum Sanctorum non eſt approbata ab Eccleſia abſolute, & in ſe, ſed ad judicium, & mentem opinantis (*c*): atque ideo non D. Thomæ, & D. Bonav. Doctrinam, ſed judicia, ac ſententias opinantium Eccleſia approbaverit.

(c) *per* *Supp.* 23.

Igitur approbavit æqualiter, non ſolum horum Sanctorum Doctrinam, ſed etiam cujuſque alterius Scholæ, aut Doctoris, vel etiam privati cujuslibet, cum Schola quælibet, Doctor, aut privatus quilibet habeat ſententias ſuas tanquam probabiliores (*d*): verbo Probabilioriſmum ſubjectivum approbavit.

(d) *per* *Supp.* 10.

Igitur erit tutum, tutiſſimum, quod fallaci cujuſque judicio committitur, non quod certo Eccleſiæ judicio continetur: ac proinde quod privatus quilibet habet ut probabilius, ab Eccleſia condemnari non poſſet, quandoquidem damna-

mnari nequit, quod eſt tutum, tutiſſimum. Et immerito plures propoſitiones condemnaverit, utpote quæ a ſuis aſſertoribus veluti probabiliores habentur (*a*).

(a) *per Sup.* 10.

Igitur eadem Doctrina nunc eidem erit tuta, nunc non erit, cum opinanti idem nunc probabilius, nunc vero tantum probabile videri poſſit (*b*).

(b) *per Sch. Def.* 26. 27. *n.* 4.

Igitur Doctrina, præſertim D. Thomæ (nam idem etiam de dotibus, & Elogiis Doctrinæ D. Bonav. intelligendum eſt) erit *Catholica*, *benedicta*, *aliis ſecurior*, *tutiſſima*, *inconcuſſa*, *Chriſtianæ Doctrinæ Regula*, *ſine ullo prorſus errore*, nempe *quæ*, *cum*, *ſi*, & *quibus* probabilior videbitur, *quæ* vero, *cum*, ~~*ſi*, & *quibus*~~ vel æque, vel minus probabilis videbitur, erit ſecus.

Igitur conditionatæ, & ideo fruſtraneæ, ac ridiculæ Eccleſiæ exhortationes, injunctiones, & vota. Quare cum Pontifices dixerunt. *Volumus . . . ,* & *injungimus . . . ut dicti D. Thomæ . . . Doctrinam . . . ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare*. Et. *Nec non S. Thomæ inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, & impenſe revereri velitis*. Et. *Pergite porro . . . .* &c. ita dixiſſe explicandi ſunt. Heus vos. *Sectemini*, *ampliate*, *ſequimini*, *reveremini* D. Thomæ Doctrinam, ſcilicet non omnem, aut ſemper, ſed ſolum eam, *quæ*, & *quando* vobis probabilior videtur; *quæ* vero, & *quando* probabilior non videtur, parvi facite, abjicite, derelinquite. O præclarum Doctrinæ Angelicæ Privilegium! O dignas Eccleſia exhortationes!

Igitur cum D. Thomæ Doctrinam approbavit, & ſequi hortata eſt, ac injunxit, vel præceptum univerſale ſequendi Probabilioriſmum igno-

igno-

(a) *per Supp.* 8. (b) *per Schol.* 1. *Sup.* 28. *n.* 2. (c) *per idem n.* 7. (d) *per Cor.* 4. *Sup.* 10.

ignoravit, ideoque ignoravit quod naturæ Lege notum eſt (*a*); vel ſi non ignoravit, omiſit hortari, & injungere id præceptum, cum nunquam dixerit eam Doctrinam probabiliorem (*b*); vel ſi illud præceptum injunxit, injunxit, ut omnes habeant cunctas D. Thomæ ſententias tanquam probabiliores: quod tamen nec fecit (*c*), nec porro fieri poteſt, quia Probabilioritas utpote ſubjectiva, & reſpectiva (*d*), pendet non e rei natura, ſed ex mente opinantis; vel denique hortata eſt ad peccatum, & peccatum injunxit, quia injunxit, ut univerſim, & ſemper reducamus ad praxim ſententias omnes, & ita etiam faventes libertati D. Thomæ, inter quas ſunt, *quæ*, & *aliquando* ſine læthali practicari non poſſunt, nempe *quæ* non videntur, & tum, *cum* non videntur nobis probabiliores.

Num hæc conſecutionum monſtra legitima ſint, & neceſſario admittenda ab eo, qui affirmet, non poſſe ab omnibus, & ſemper per ſe practicari ſententias omnes faventes libertati D. Bonaventuræ, & D. Thomæ, Lector ipſe viderit.

XXIX.

Opinio probabilis in conflictu probabilioris non amittit ſuam probabilitatem.

Hæc eſt propria, ac principalis Suppoſitio Probabiliſtarum, ſupra quam totius vertitur cardo diſputationis. Nam cæteræ utriſque communes ſunt.

Cor. Hinc denique tanquam e proprio, ac nativo loco evidentiſſime liquet, turpius multo, quam credi poſſit, hallucinari Probabilioriſtas, cum Probabiliſtis contra illos diſputantibus

bus paſſim negant ſuppoſitum, videlicet negant, opinionem probabilem poſitam in probabilioris conſpectu probabilem remanere. Quos propterea toties in hoc Opere perſtrinxi, quia valde miror, quomodo id ab iis negari poſſit. Nonne enim quæſtio de Probabiliſmo reflexa eſt (*a*)? nonne reflexa quæſtio directam ſupponit (*b*)? Nonne in omni quæſtione unum ſupponitur, & aliud quæritur (*c*)? Nonne comparativum in eodem ſubjecto poſitivum ſupponit (*d*)? Quomodo ergo opinio, de qua quæritur, erit minus probabilis præ oppoſita magis probabili, ſi poſitive probabilis non eſt? Nonne tandem ad Probabiliſtas ſpectat quæſtionis ſtatum, ac ſenſum exponere, omniaque eo pertinentia ſupponere, ac determinare, ad Probabilioriſtas vero his omnibus acquieſcere, & ſtare (*e*)? Et expoſtulabunt nobiſcum, ſi illis exprobraverimus, neque quæſtionem ipſam intelligere, nedum apte tractare poſſe? Quis enim ferre queat Viros contra dialecticas Leges adeo turpiter peccantes, & de cauſæ nihilominus victoria palam non ſolum, ſi Superis placet, gloriantes, verum etiam Probabiliſtas tanquam Moralis corruptores, animarumque ſeductores conviciis, atque ſcommatibus traducentes? Nam ſi probabilis opinio in conflictu probabilioris amplius probabilis non eſt, neque quæſtio de Probabiliſmo amplius in mundo eſt. Tunc enim non erit iſta quæſtio: *an minus probabilis in conflictu probabilioris licite eligi poſſit*: Sed iſta: *an minus probabilis in eo conflictu remaneat probabilis*. Quæ quantum ab illa diverſa ſit, etiam lippis, atque tonſoribus liquet. Quæ profecto quæſtio, ſi ſtatim in limine determinata

(a) *per Supp.* 1.
(b) *per Can.* 2.
(c) *per Can.* 1.
(d) *per Can.* 12. *n.* 2.
(e) *per Can.* 4.

juxta Probabilioriſtarum ſententiam ſupponatur, nempe ſi ſupponatur, minus probabilem opinionem in probabilioris concurſu non eſſe amplius probabilem, jam manus illico dabunt Probabiliſtæ. Numquam enim ſomniarunt, poſſe licite eligi opinionem non probabilem in conſpectu probabilioris; cum hoc ipſum etiam contradictionem includat, ut ex verbis ipſis patet.

At enim Auguſtinus contrarium aperte docet Lib. 3. contra Creſconium Grammaticum Donatiſtam cap. 73. 74. 75. 76. 77., & Lib. 4. cap. 55., ubi totus in eo eſt, ut oſtendat, non ex eo, quod aſſeritur aliquid *probabilius*, oppoſitum quoque debere eſſe *probabile*, legitime inferri poſſe. Vide integrum locum in calce Operis, ubi, ne nimia ejus prolixitate curſus hic ſermonis interrumpatur, cum aliis quibuſdam monumentis commodius poſitus eſt. Atque iſte locus is eſt a nobis Cor. 4. Def. 26. 27. ſpecialiter indigitatus, quem Probabilioriſtæ inſignem palmarem, decretorium, evidentem, ideoque inſolubilem putant.

Sed hunc nihilo ſecius locum non modo infirmiſſimum, verum etiam ad rem minime eſſe, multis liquet. Ut enim omittam, *probabile* hic fortaſſis in alieno ſenſu accipi ab Auguſtino, ut cap. 75. indicare videtur: primo nomen *probabilius* pro *probabiliter*, hoc eſt non pro comparativo, ſed pro poſitivo ipſo a S. Doctore fumitur, ut cap. 74. ipſe fatetur. Quid igitur mirum, ſi affirmet, ex to *probabilius* ex una parte, *probabile* ex parte altera, recte inferri non poſſe? In hac etenim uſurpatione complexio ex uno extremo ad alterum oppoſitum illegitima eſt (*a*).

(a) *per Can.* 12. *n.* 1.

Præ-

Præterea agit Auguſtinus de Hæreſi, & Schiſmate Donatiſtarum, & præcipue de cauſa Maximianenſium, uti ex toto Opere, ſed præſertim ex Lib. 1. cap. 4., ex Lib. 3. cap. 76., ex integro Lib. 4., & ex Lib. 2. Retract. cap. 26. conſtat: quæ omnia jam erant certa, comperta, publice conteſtata, finita. Unde nomen *probabilius* aut *probabiliter* in ſignificatione potius certitudinis, ac veritatis, quam ſtrictæ, & rigoroſæ probabilitatis hoc loco ſumitur, ſicut exigit rei natura, & ex laudato cap. 75. etiam colligi poteſt. Contra autem certitudinem probabilitas dari non poteſt (*a*). Quid hæc ad quæſtiones Probabiliſmo contentas, de quibus ſermo eſt, obſcuras illas quidem, & omnino incertas (*b*) attinent? Lege diligenter omnia, & perpende.

(a) *per Sch. Sup.* 3.
(b) *per Sup.* 4.

Deinde an hoc, etiam cum vel ex aperta Doctorum aſſeveratione, vel ex alio capite oppoſitum certo habetur, locum, aut vim habere poteſt? Nam *probabile* etſi *probabiliori* comparatum *probabile* tamen remanete, atque ex iſto illud legitime deduci poſſe, cum aliis multis locis, tum præſertim tota Supp. 19. evidentiſſime demonſtratur. Niſi ſi velimus, Doctores omnes, & potiſſimum Scholæ Principes, Auguſtino cætera addictos, eidem hac in re ad unum repugnare.

An denique etiam contra ipſius quæſtionis naturam, atque diſputantium ſuppoſitionem? Quippe iterum dico. Probabiliſtæ in hac quæſtione jam ſupponunt, minus probabilem opinionem probabiliori collatam vere probabilem remanere. Quod ſi ſtatuatur ſecus, profitentur ſe vel ſtatim ſubmittere faſces, vel nullam am-

plius cum Probabilioriſtis quæſtionem habere.

Ex quo poſtremo rurſus patet, cujuſmodi ſint vel eæ authoritates, ideoque argumenta, in quibus evidentiam Adverſarii conſtituunt, ac inſolubilitatem.

Apage igitur nugas. Minus igitur probabilis opinio, de qua famoſa quæſtio procedit, utcumque comparata ſemper vere, & abſolute probabilis eſt, idque tanquam certiſſimum ab utraque parte ſupponendum eſt., ſiquidem diſputatio non inepta, aut etiam nugatoria futura eſt. Ad hoc autem, ut vere ſit probabilis, quattuor conditiones requiruntur. Ut ejus motiva ſint magna: ut ab oppoſitis majoribus non elidantur, ac enerventur. Hoc enim contingere poteſt. Ut nullo certo principio opponatur: ut motiva oppoſitæ opinionis probabilioris apte ſolvantur. Quæ quattuor conditiones jam ſupponuntur locum habere in controverſa minori probabilitate.

PROPOSITIO I.

PROBABILITAS favens libertati, ſive abſoluta, ſive comparata, aut æquali probabilitati, aut probabilioritati, ſive abſolutæ, ſive reſpectivæ faventi Legi, tuta, tutiſſima: immo æqualiter, ac probabilitas pro Lege, & probabilioritas ipſa ſive abſoluta, ſive reſpectiva, ſive pro Lege, ſive pro Libertate, tuta, tutiſſima eſt.

SCHO-

SCHOLIUM.

INTELLIGITUR Propoſitio ita, ut ſit æque tutus in Conſcientia qui ſequitur probabilem pro libertate, ac qui æque probabilem pro Lege, vel probabiliorem ſive abſolutam, ſive reſpectivam, ſive pro Libertate, ſive pro Lege, nec ille iſto minus tutus ſit, quantum ſpectat ad rationem probabilitatis. Nam quod pertinet ad favorem Legis, jam patet, tutius ſemper agere, qui ſequitur opinionem ſive probabilem, ſive utcumque probabiliorem Legi faventem.

Propoſitio quinque partes habet, quæ omnes ex approbatione Doctrinæ Sanctorum Thomæ, & Bonav. demonſtrandæ ſunt. Cum autem ſtatui poſſint tres hypotheſes circa hanc approbationem juxta ea, quæ ſupra docuimus, idcirco ſecundum omnes demonſtrabuntur. Eſt autem prima, quod utraque Doctrina horum Doctorum ſit æqualiter approbata; vel tantum ut abſolute probabilis, vel etiam *plerumque* ut probabilior: 2. quod D. Bonaventuræ ſit approbata dumtaxat veluti abſolute probabilis, D. Thomæ vero etiam *plerumque* ut abſolute probabilior. 3. etiam in hypotheſi, quod ſola D. Thomæ Doctrina ſit approbata, & ut abſolute probabilis, & etiam *plerumque* ut abſolute probabilior.

Demonſtratur 1., & 2. pars juxta priorem hypotheſim in primo ſenſu.

Omnes Sententiæ D. Thomæ, & D. Bonav. (intellige nunc de practicis opinativis: nam ſolum de iſtis quæſtio eſt) ſunt abſolute probabiles, & ut tales approbatæ (*a*): nulla eſt ap- pro-

(a) *per Sup.* 27. 28.

probata ut abſolute probabilior (*a*): ergo omnes abſolute æque probabiles (inſpecta ſcilicet Eccleſiæ approbatione). Multæ ſunt contradictoriæ, hoc eſt aliæ faventes libertati, aliæ Legi (*b*). Ergo multæ contradictoriæ ſunt abſolute æque probabiles. Omnes ſunt tutæ, tutiſſimæ abſolute, & in ſe, & ut tales approbatæ (*c*). Igitur multæ contradictoriæ abſolute æque probabiles ſunt per ſe tutæ, tutiſſimæ, & ita approbatæ. Ergo probabilitas pro libertate, ſive abſoluta, ſive comparata æquali probabilitati pro Lege tuta, tutiſſima eſt.

Demonſt. 3., & 4. pars juxta eandem hypotheſim in 2. ſenſu.

Omnes ſunt approbatæ ut abſolute probabiles (*d*): plures ex utraque parte ut abſolute probabiliores (*e*): ita tamen ut certo ſciri non poſſit, quænam determinate ſint approbatæ, ut abſolute probabiliores (*f*). Multæ ſunt contradictoriæ, hoc eſt aliæ faventes Legi, aliæ Libertati (*g*). Igitur aliquæ ex utrinque approbatis tanquam abſolute probabilioribus poſſunt eſſe ex iſtis contradictoriis; cum nulla certo aſſignari poſſit, veluti approbata tanquam probabilior, ut diximus, & ideo quælibet ceu probabilior ſumi poſſit. In qua hypotheſi illæ, quæ ſtatutis ex una parte tanquam abſolute probabilioribus ſunt ex altera parte contradictoriæ, nequeunt eſſe abſolute probabiliores, quia contradictoria abſolute probabiliora ſimul eſſe non poſſunt (*h*). Illæ igitur in hac hypotheſi erunt tantum abſolute probabiles. Omnes ſunt tutæ, & ut tales approbatæ (*i*). Ergo aliquæ tantum in ſe probabiles comparatæ cum contradictoriis abſolute probabilioribus ſunt tu-

(a) *per* 1. *hypoth. in* 1. *ſenſu.*
(b) *per Sup.* 12.
(c) *per Sup.* 25. 28.
(d) *per Sup.* 27. 28.
(e) *per* 1. *hypoth. in* 2. *ſenſu.*
(f) *per Schol.* 2. *Sup.* 26. 28. *n.* 1.
(g) *per Sup.* 12.
(h) *per Ax.* 2.
(i) *per Sup.* 25. 28.

tu-

tutæ. Ergo Probabilitas favens Libertati comparata Probabilioritati abſolutæ faventi Legi tuta eſt.

Idem facilius demonſtratur de Probabilioritate reſpectiva.

Etenim unuſquiſque Doctor habet ſuas ſententias tanquam probabiliores (*a*). Ergo omnes ſententiæ D. Thomæ, & D. Bonav. ſunt ſingulis reſpective probabiliores. Multæ ſunt contradictoriæ, hoc eſt aliæ faventes Legi, aliæ Libertati (*b*). Hæ utrinque contradictoriæ non poſſunt eſſe ſingulis ſimul probabiliores, quoniam contradictoria nequeunt eſſe ſimul probabiliora (*c*). Igitur hæ contradictoriæ ſunt ſingulis tantum probabiles. Iſtæ contradictoriæ tantum minus probabiles ſunt in ſe tutæ, quandoquidem omnes tutæ approbatæ ſunt (*d*). Ergo Probabilitas pro Libertate comparata probabilioritati reſpectivæ pro Lege tuta eſt.

(a) *per* Supp. 10.
(b) *per* Sup. 12.
(c) *per* Ax. 2.
(d) *per* Supp. 25. 28.

Demonſt. 5. pars juxta eandem hypotheſim in utroque ſenſu.

Omnes ſunt æqualiter tutæ, tutiſſimæ (*e*), (nempe attenta Eccleſiæ approbatione). Omnes ſunt vel abſolute probabiles juxta primum ſenſum, vel etiam plures utrinque abſolute probabiliores juxta ſecundum. Omnes utrinque reſpective probabiliores (*f*). Multæ contradictoriæ, hoc eſt aliæ faventes Libertati, aliæ Legi (*g*). Igitur fieri poteſt, ut nonnullæ vel ex utrinque æque probabilibus, vel etiam ex utrinque probabilioribus ſint ex his contradictoriis, cum certo nequeat ſciri, quænam ſint peculiariter abſolute probabiliores (*h*); ideoque quælibet veluti aut tantum æque probabilis, aut etiam ut probabilior ſumi poſſit. In qua

(e) *per eaſdem*.
(f) *per* Supp. 10.
(g) *per* Sup. 12.
(h) *per* Schol. 2. Sup. 26. 28. n. 1.

hypotheſi illæ, quæ ſtatutis ex una parte tanquam probabilibus ſunt ex altera parte contradictoriæ, poſſunt eſſe vel æque probabiles, vel probabiliores, quia contradictoria, & æqualiter,
(a) *per* & inæqualiter probabilia eſſe poſſunt (*a*); illæ
Ax. 3. vero, quæ ſtatutis tanquam probabilioribus, neque abſolute, neque reſpective queunt eſſe probabiliores, quia contradictoria nec abſolute,
(b) *per* nec reſpective poſſunt ſimul eſſe probabiliora (*b*).
Ax. 2. Iſtæ igitur ex altera parte contradictoriæ, erunt tantum abſolute minus probabiles. Omnes, inquam, ſunt æqualiter tutæ, tutiſſimæ, & ita approbatæ. Ergo contradictoriæ, ſive probabiles æqualiter, ſive inæqualiter, ſive abſolute, ſive reſpective, tutæ æqualiter, tutiſſimæ ſunt. Ergo Probabilitas favorabilis Libertati eſt æqualiter tuta tutiſſima, ac æqualis Probabilitas, vel Probabilioritas ſive abſoluta, ſive reſpectiva favorabilis Legi; nec non Probabilioritas, ſive abſoluta, ſive relativa favorabilis Libertati.

Hæc omnia eodem modo demonſtrantur juxta ſecundam hypotheſim, nempe ſi ſtatuatur D. Bonaventuræ Doctrina approbata tantum ut abſolute probabilis, D. vero Thomæ etiam *plerumque* ut abſolute probabilior.

Cum enim in utroque ſint ſententiæ faventes
(c) *per* tum Legi, tum Libertati (*c*): & plures inter il-
Sup. 11. los contradictoriæ (*d*): atque ex his promiſcue
(d) *per* omnibus ex parte D. Thomæ poſſint eſſe multæ,
Sup. 12. vel ex abſolute tantum probabilibus, vel etiam ex abſolute probabilioribus, quia certo ſciri non
(e) *per* poteſt, quænam ſint determinate abſolute proba-
Schol. 2. biliores (*e*); ideoque quælibet vel ut tantum
Sup. 26. abſolute probabilis, vel etiam ut abſolute pro-
28. *n.* 1. babilior ſumi poſſit: & omnes ſint reſpective pro-

probabiliores (*a*) : ex parte vero D. Bonavent. omnes tantum abſolute probabiles (*b*). Cumque denique omnes ex utraque parte ſint æqualiter tutæ tutiſſimæ (*c*); ſi aliqua ſententia D. Bonav. favens Libertati comparetur cum oppoſita D. Thomæ favente Legi, evidenter ſequitur, 1. Probabilitatem abſolutam Libertati faventem eſſe tutam : 2. eſſe tutam, non ſolum comparatam æquali probabilitati, ſed etiam probabilioritati faventi Legi: 3. abſolutæ : 4. reſpectivæ : 5. tandem eſſe æqualiter tutam, ac æqualem probabilitatem faventem Legi, nec non probabilioritatem, ſive abſolutam, ſive reſpectivam favorabilem ſive Legi, ſive Libertati.

Demonſt. tota Propoſitio ſimul juxta 3. hypotheſ.

Omnes ſententiæ D. Thomæ ſunt æqualiter tutæ, tutiſſimæ (*d*): Omnes ſunt abſolute probabiles (*e*): Multæ abſolute probabiliores (*f*): Plures faventes tum Legi, tum Libertati (*g*). Ex his multæ eſſe poſſunt ex abſolute probabilioribus, cum ſciri nequeat, quænam ſint determinate abſolute probabiliores, ideoque quælibet ceu probabilior abſolute ſumi poſſit (*h*). Omnes reſpective probabiliores (*i*). Igitur multæ abſolute tantum probabiles faventes Libertati ſunt tutæ, & æqualiter tutæ, ac abſolute probabiles, & probabiliores ſive abſolute, ſive reſpective favorabiles Legi, nec non probabiliores ſive abſolute, ſive reſpective favorabiles Libertati. Ergo 1. Probabilitas abſoluta pro Libertate eſt tuta: 2. æque tuta, ac æqualis probabilitas pro Lege, & Probabilioritas, ſive abſoluta, ſive reſpectiva, ſive pro Lege, ſive pro Libertate. Sunt multæ aliis Doctoribus contradictoriæ (*k*); & fieri poteſt, ut nonnul-

(a) *per Sup.* 10.
(b) *per hypoth.*
(c) *per Sup.* 25. 28.
(d) *per Sup.* 25.
(e) *per Sup.* 27.
(f) *per hypoth.*
(g) *per Sup.* 11.
(h) *per Sch.* 2. *Sup.* 26. 28. *n.* 1.
(i) *per Sup.* 10.
(k) *per Sup.* 12.

læ

læ ex his contradictoriis ſint ex faventibus Libertati, ſimulque ex tantum abſolute probabilibus, cum non omnes faveant Legi (*a*), neque ſint abſolute probabiliores (*b*); ideoque quælibet ut ſolum abſolute probabilis ſumi poſſit, quia neſcitur, quænam abſolute probabilior determinate ſit (*c*). In qua hypotheſi contradictoriæ ex altera parte ſunt neceſſario faventes Legi (*d*) & vel æque probabiles, vel probabiliores ſive abſolute, ſive ſaltem reſpective, quia unuſquiſque ſuas ſententias defendit tanquam probabiliores (*e*): & contradictoria ſive æqualiter, ſive inæqualiter probabilia ſimul eſſe poſſunt (*f*). Sunt autem etiam illæ ſententiæ D. Thomæ faventes libertati, ſimulque tantum abſolute probabiles comparatæ cum his oppoſitis faventibus Legi, ſive æque probabilibus, ſive probabilioribus, vel abſolute, vel reſpective, tutæ, quandoquidem omnes, inquam, æqualiter tutæ tutiſſimæ ſunt (*g*). Ergo 3. eſt tuta probabilitas favens Libertati comparata probabilitati faventi Legi; nec non probabilioritati faventi pariter Legi, 4. ſive abſolutæ, 5. ſive reſpectivæ.

Et ut rem adeo ſubtilem, & implicatam clarius adhuc explicemus, & demonſtremus, aliquod exemplum, potiſſimum juxta 3. hypotheſim, quæ ad rem ſtrictior eſt, aſſumamus.

Conſtat inter ſententias de moribus D. Thomæ plures eſſe faventes Legi, plures Libertati (*h*). Multas aliis contradictorias (*i*); & omnes abſolute probabiles (*k*); & æqualiter tutas tutiſſimas (*l*). Ad hæc omnes reſpective probabiliores (*m*). Ex his omnibus, vel nulla eſt in ſe, & abſolute probabilior juxta 1., vel plures quidem abſolute probabiliores juxta 2., & 3.

hypo-

(a) *per Sup.* 11.
(b) *per Sch.* 2. *Sup.* 26. 28. *n.* 1.
(c) *per idem.*
(d) *per Sup.* 12.
(e) *per Sup.* 10.
(f) *per Ax.* 3.
(g) *per Sup.* 25.
(h) *per Sup.* 11.
(i) *per Sup.* 12.
(k) *per Sup.* 27.
(l) *per Sup.* 25.
(m) *per Sup.* 10.

hypotheſim; ita tamen, ut neſciatur, quænam ſint determinate probabiliores (*a*). Sed nos liberaliter demus, omnes omnino eſſe certo abſolute probabiliores præter duas, alteram faventem Legi, alteram Libertati, quæ ſint tantum abſolute probabiles: ſitque hæc una favens libertati ea v. g., quæ negat obligationem confitendi circumſtantias ſolum notabiliter aggravantes in eadem ſpecie, quam liquet tenuiſſe D. Thomam. Quo poſito, huic contradictoria favens Legi, ſeu aſſerens obligationem confitendi eas circumſtantias neceſſario erit, vel æque probabilis, vel probabilior abſolute, aut reſpective (*b*). Fac eſſe vel æque probabilem, vel probabiliorem, ſive abſolute, ſive reſpective, ut lubet. Revera enim iſta eſt, vel abſolute probabilior, vel hujuſmodi multo pluribus nunc videtur, ut notum eſt, qui propterea eam tuentur veluti probabiliorem. Nunc ſic. Iſta D. Thomæ ſententia favet Libertati (*c*): iſta eſt tantum abſolute probabilis (*d*): ejus contradictoria favet Legi (*e*), & eſt vel æque probabilis, vel probabilior abſolute, aut reſpective (*f*): iſta cum hac contradictoria comparatur (*g*): iſta eſt in ſe tuta tutiſſima (*h*): iſta eſt æqualiter tuta, ac illa tantum abſolute probabilis favens Legi, & reliquæ omnes D. Thomæ ſententiæ faventes Libertati, & Legi ſive abſolute, ſive reſpective probabiliores; quandoquidem omnes in ſe æqualiter tutæ tutiſſimæ approbatæ ſunt (*i*). Ergo Probabilitas favens Libertati, ſive abſoluta, ſive comparata, vel æquali probabilitati, vel probabilioritati, ſive abſolutæ, ſive reſpectivæ faventi Legi tuta, tutiſſima eſt: immo æqualiter tuta, tutiſſima, ac æqua-

(a) *per Sch.* 2. *Sup.* 26. 28. *n.* 1.
(b) *per Ax.* 3.
(c) *per hypoth.*
(d) *per hypoth.*
(e) *per hypoth.*, & *Sup.* 12.
(f) *per hypoth.*, & *Ax.* 3.
(g) *per hypoth.*
(h) *per Sup.* 25.
(i) *per eandem.*

æqualis probabilitas favens Legi, nec non probabilioritas vel abſoluta, vel reſpectiva favens, ſive Legi, ſive Libertati. Quod erat demonſtrandum.

ALITER

In Topicis, & Opinativis ad Conſcientiæ ſecuritatem Probabilitas ſatis eſt (*a*), cum veritas, & certitudo haberi non poſſit (*b*). Probabilitas debet eſſe vera, realis, & poſitiva (*c*): Probabilioritas univerſe non eſt realis, objectiva, & poſitiva, ſed tantum apparens, ſubjectiva, ac reſpectiva (*d*). Ergo dempto hoc exceſſu tantum apparenti, ac reſpectivo, remanet ſola Probabilitas poſitiva, ideoque ea ſola & in ſe, & utcumque comparata tuta, & æqualiter tuta eſt, quippe quæ in re, non multiplex, ſed una fere ſemper, eademque eſt. Q. e. d.

(a) *per Cor.* 3. *Sup.* 5., *&* 6.
(b) *per Supp.* 4.
(c) *per Sch.* 2. *Def.* 26. 27. *n.* 1.
(d) *per Cor.* 4. *Sup.* 10.

ALITER

Prudens, & prudentius eſt tutum, & æqualiter, cum proprie & rigoroſe ſit hujuſmodi *bonum*, ac *melius* (*e*), & prudens ſit idem ac *bonum* (*f*), ideoque prudentius idem ac *melius*: Probabilitas ſive abſoluta, ſive quomodolibet comparata eſt *prudens*, Probabilioritas *prudentius* (*g*). Igitur eſt per ſe tuta, & æqualiter. Q. e. d.

(e) *per Sch. Def.* 24. *n.* 9.
(f) *per Cor.* 1. *Def.* 15.
(g) *per Cor.* 6. *Def.* 26. 27. *&* *Cor.* 5. *Ax.* 17.

SCHLIUM I.

DICTUM eſt de to *bonum*, & *melius*, quod *proprie*, & *rigoroſe* ſitæ qualiter tutum, quia *melius* aliquo modo dici poteſt tutius to *bonum*, ſicuti laudato Scholio Def. 24. n. 9. admonuimus. Ubi

Ubi etiam notandum eſt, cum dicimus *bonum* & *melius* proprie æquali ſecuritate contineri, id intelligi de ſecuritate in genere ſuo, hoc eſt de ſecuritate vel *ſimpliciter*, vel *ſecundum quid*. Quare *bonum* & *melius* certo eſt proprie, & rigoroſe æqualiter tutum *ſimpliciter*; *bonum*, & *melius* opinative, ſicuti eſt probabile, & probabilius, eſt proprie æqualiter tutum *ſecundum quid*. Unde patet, quo ſenſu intelligenda ſint ea verba Schol. ejuſdem n. 9. *quod eſt bonum*, *aut melius eſt per ſe ſimpliciter tutum*. Nam non de *bonum* aut *melius* opinative, ſed de *bonum*, & *melius* certe intelliguntur. Porro jam liquet ex re ipſa, totam Propoſititionem de æquali ſecuritate *ſecundum quid* eſſe intelligendam.

Aliis etiam modis Propoſitio demonſtrari poteſt, uti ea, quæ in toto Opere antecedenter diximus, expendenti, & conferenti liquet. Sed hæ demonſtrationes etiam pluſquam ſatis ſunt.

SCHOLIUM II.

JAM vides, opinor, Lector, totam hujus Propoſitionis vim in hoc conſiſtere, quod Probabilitas poſitiva ſit in ſe tuta. Hinc enim conſequitur, illam ſive ſit pro Lege, ſive pro Libertate, ſive uno, ſive alio modo comparetur, ſemper hujuſmodi eſſe. Unde tota Propoſitio ſine tot ambagibus breviſſime, & facillime demonſtrari poterat ope trium tantum Suppoſitionum, nempe. 25. 27. 28. (vel etiam ſolum. 25. 27., loquendo de ſola Doctrina D. Thomæ), quibus aſtruitur, omnes ſententias D. Thomæ, & D. Bonav. abſolute probabiles, & tutas tutiſſimas eſſe. Sed ut res tota veluti

ſub

ſub oculos poneretur, ſimulque omnes Probabilioriſtarum cavillationes, ac evaſiones præcluderentur, libuit eam ſub omnibus reſpectibus, quibus conſiderari poteſt, demonſtrare. Hoc autem ſine adminiculo aliorum principiorum, ideoque ſine prolixitate, & obſcuritate aliqua fieri non poterat, ut ſpeculanti patet.

Cor. 1. Hinc evidenter liquet, nihil conferre ad Conſcientiæ ſecuritatem, an major, minorve ſit Probabilitas, cum utraque ſit æqualiter tuta, tutiſſima.

2. Opinativa eſſe tuta, tutiſſima, quia Probabilitas quæcumque ſemper opinativa eſt (*a*).

(a) *per Def.* 26. 27.

3. Eſſe tutum in praxi tutiſſimum, quod exponit periculo materialis peccati; quia ſententiæ faventes Libertati Sancti Bonav., & S. Thomæ, ſive tantum probabiles, ſive probabiliores, utpote incertæ, & æqualiter (*b*), huic periculo exponunt.

(b) *per Cor.* 2. *earumd.*

4. Omnes ſententias D. Thomæ, & D. Bonav. univerſim eſſe tutas, tutiſſimas, qua probabiles, non qua probabiliores; ideoque qua probabiles tantum ab Eccleſia eſſe approbatas.

5. Omnes ſententias de Moribus cujuſque Scholæ Claſſicæ eſſe tutas, tutiſſimas, quia ſunt probabiles (*c*). Et generatim eſſe hujuſmodi opiniones cujuſque Doctoris, quæ vere, & abſolute certo ſunt probabiles.

(c) *per Sup.* 20.

6. Eſſe tutum tutiſſimum, quod eſt *veroſimile*; *minus appropinquans veritati*; *minus Rationi rectæ conforme*, *præ vero ſimiliori*; *magis appropinquante veritati*; *magis rectæ Rationi conformi*, ſi ex Probabilioriſtarum ſententia probabile illo, probabilius iſto modo definiatur. Et probabile non poſſe eſſe difforme Rationi rectæ, quia cum hujuſmodi ſit malum (*d*), tutum eſſe non poteſt (*e*).

(d) *per Def.* 15.

(e) *per Sch. Def.* 24. *n.* 10.

7. Eo-

7. Eccleſiam ipſam *virtualiter*, & *implicite* facto ipſo approbaſſe *electiva* approbatione licitum uſum Probabiliſmi. Etenim in approbatione Doctrinæ D. Thomæ, & D. Bonav., vel etiam ſolius D. Thomæ, juxta triplicem hypotheſim a nobis ſtatutam, & explicatam approbavit, & declaravit tutam, tutiſſimam Probabilitatem, ſive poſitivam, ſive quomodolibet comparatam; ad hæc illam ad praxim deduci ſe velle ſignificavit, atque injunxit: quo Probabiliſmus evidenter ipſiſſimus continetur.

Sed quid ſola *virtuali*, & *implicita* approbatione *electiva* opus eſt, cum etiam *electivam formalem*, & *expreſſam* habeamus? Nota eſt Epiſtola Encyclica ſummi Pontificis feliciſſime modo regnantis BENED. XIV. ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Ordinarios Italiæ occaſione controverſiæ: *an quidam contractus* (ad uſuras pertinet) *validus judicari debeat*: 1. Novemb. an. 1745. emanata. In hac exponens Pontifex, quid in hujuſmodi quæſtionibus reſolvendis *executioni*, priuſquam reſolvantur, *demandari* velit, ff. *ſecundo loco* hæc habet . . . *ſuis*, inquit, *privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicentur, deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent*: (Mirum ſane, ac valde mirum, quod Pontifex adeo doctus, atque controverſiæ de Probabiliſmo hoc præſertim tempore non ſolum recrudeſcentis, verum etiam Probabilioriſmi nimium ſe extollentis, ac pene triumphantis omnino conſcius, oblata maxime omnium opportunitate, non dixerit, *eas partes ſuſcipiant*,

quas

quas intelligent tutiores vel æque probabiles, vel utcumque probabiliores; aut etiam minus tutas, ſed utcumque probabiliores: vel tutiores *tum ratione*, *tum auctoritate* vel æque, vel magis; ſeu etiam minus tutas, ſed magis *confirmatas*; ſed ſimpliciter dixerit, *plane confirmatas*). *Quod ſi*, pergit, *diſputatio inſurgat*, *dum contractus aliquis in examen adducitur*, *nullæ omnino contumeliæ iis configantur*, *qui contrariam ſententiam ſequuntur*, *neque illam gravibus cenſuris notandam aſſerant*, *ſi præſertim ratione*, ac *præſtantium virorum teſtimoniis minime careat* &c.

Nunc iis verbis, *plures Scriptores examinent*, *qui magis inter cæteros prædicentur*: *& eas partes ſuſcipiant*, *quas tum ratione*, *tum auctoritate plane confirmatas intelligent*: formalem, & expreſſam (non quidem in terminis, ut ajunt, formalibus, ſed æquipollentibus) (*a*) Probabiliſmi ipſiſſimi noſtri approbationem contineri perſpicuum eſt, quandoquidem iis verbis Probabiliſmi non ſolum natura, ac definitio ipſa, verum etiam ejuſdem cum Probabilioriſmo comparatio approbata continetur. Quod tamen ut manifeſtius adhuc cognoſcatur, exemplo aliquo explicandum eſt. Pro quo duo præmonenda ſunt.

(a) *per Sch. Def.* 50. *n.* 5.

Alterum, adverbium *plane*, in quo vis tota hujuſce loci conſiſtit, triplicem apud Latinos, ut Lexicographi advertunt, ſignificationem habere. Uſurpatur enim vel pro *aperte*, *manifeſte*; vel pro *certo*; vel pro *penitus*, *omnino*. Alterum, adverbium *omnino* primo non eſſe *comparativum*, ſed *abſolutum*, & *poſitivum*, ut liquet, ideoque pro adverbiis comparativis *æque*, *magis*, *minus* uſurpari nullo modo poſſe: deinde nominibus *qualitatis*, aut ſimilis rei, quæ incre-

crementum, ac decrementum per ſe ſuſcipere quomodolibet poteſt, applicatum, ſignificare quidem formam in ſubjecto *totam*, ſed non *totaliter*, ut Scholæ voce utar, ita nempe, ut vel in aliis ſubjectis æqualis, vel ſive in aliis, ſive in uno eodemque minor ſemper, aut major eſſe non poſſit. Sic v. g. *omnino dulce*, aut *ſanctum*, primo non ſignificat *comparative* vel *æque*, vel *magis*, vel *minus dulce*, aut *ſanctum*, ſeu aliquem vel æqualem, vel majorem, vel minorem in ſubjecto gradum dulcedinis, aut ſanctitudinis, ſed ſolum *abſolute*, & *poſitive dulce*, aut *ſanctum*: deinde ſignificat quidem dulcedinem, aut ſanctitatem *totam* in ſubjecto, ſed non *totaliter*, ita ſcilicet, ut vel æqualis in aliis ſubjectis, vel ſive in aliis, ſive in uno, eodemque dulcedo, aut ſanctitas major, aut minor eſſe non poſſit. Unde *omnino dulce*, aut *ſanctum* de omnibus tam æqualibus, quam quomodocumque inæqualibus *dulcibus*, aut *ſanctis* invicem comparatis, ſicuti de uno, eodemque in quolibet dulcedinis, aut ſanctitudinis gradu *dulci*, aut *ſancto* æque vere, & recte dici poteſt.

Quæ doctrina in re probabilitatis potiori adhuc ratione locum habet. Tum quod probabilioritas univerſe non *realis*, & *abſoluta*, ſed *apparens*, & *reſpectiva* eſt (*a*): tum quod nullum per ſe determinatum, ac fixum ſtatum habet, ſed major ſemper, ac major ad uſque certitudinem eſſe poteſt (*b*). Itaque *omnino probabile*, multo magis primo non ſignificat *comparative* vel *æque*, vel *magis*, vel *minus probabile*, ſeu aliquem relativum vel æqualem, vel majorem, vel minorem probabilitatis gradum, ſed ſolum *abſolute*, & *poſitive probabile*: tum ſignificat quidem

(a) *per Sch.* 2. *Def.* 26. 27. *n.* 4.
(b) *per idem.*

probabilitatem *totam* in ſubjecto, ſed non *totaliter*, ita nimirum, ut vel æqualis in aliis ſubjectis, vel ſive in aliis, ſive in uno, eodemque major, aut minor eſſe non poſſit. Quapropter *omnino probabile*, multo magis de omnibus tam æqualibus, quam quomodolibet inæqualibus probabilibus invicem comparatis, ſicuti de uno, eodemque in quovis probabilitatis gradu *probabili*, æque vere, ac recte dici poteſt.

Sit igitur ex. c. Steſichoro Confeſſario propoſita quæſtio: *num pœna conventionalis ſit juſtus titulus ab uſuræ labe eximens mutuantem*: & ipſe privatim juſtum, licitumque putet.

Sintque *plures Scriptores*, *qui magis inter cæteros prædicentur*, ut veteres v. g. D. Thom. Bonav. Raym. Antonin. Scotum nunc omittam, & pro noſtri temporis, quo etiam loquitur Pontifex, more agam, Genettus, Natal. Alex., Gonet &c., Sanchez, Laym., Navar., Bonac. &c. Hi enim procul dubio tum a Probabilioriſtis, tum a Probabiliſtis promiſcue *magis inter cæteros prædicantur*.

Sint itidem eorum ſententiæ, præcipue circa quæſtionem, qua de loquimur, *tum ratione*, *tum auctoritate plane* (hoc eſt *certo*; *aperte*; *omnino*, ſeu *abſolute*, & *poſitive* (*a*)) *confirmatæ*. Profecto enim magnorum Doctorum opiniones hujuſmodi ſunt (*b*). Hæ erunt, & intrinſece, & extrinſece *plane* (hoc eſt *certo*; *aperte*; *omnino*, ſeu *abſolute*, & *poſitive* (*c*) probabiles. Nam eſſe *tum ratione*, *tum auctoritate plane* (hoc eſt *certo*; *manifeſte*; *omnino*, ſeu *abſolute*, & *poſitive*) *confirmatum*: & eſſe tum intrinſece, tum extrinſece *plane* (hoc eſt *certo*; *aperte*; *omnino*, ſeu *abſolute*, & *poſitive*) probabile idem eſt,

(a) *per præm. hujus*
(b) *per Schol. 2. Def. 26. 27. n. 2.*
(c) *per præm. hujus.*

cum

cum iſta ſit definitio ipſa hujuſcemodi probabilitatis (*a*); & definitio, ac definitum convertantur, idemque omnino eſſentialiter ſint (*b*).

(a) *per* *Sch.Def.* 29. *n.*1.
(b) *per* *Can.*8.

Ad hæc ſint hi Doctores diſſentientes in hac quæſtione inter ſe ſe, hoc eſt alii quidem pro libertate eam pœnam juſtam, ac licitam, alii vero pro lege injuſtam, & illicitam faciant. Sane enim Doctores etiam magni contradictorias de moribus opiniones habent (*c*).

(c) *per* *Sup.*12.

Sit denique ſententia pro lege vel tantum *tum ratione, tum auctoritate* æque *confirmata*, hoc eſt & intrinſece, & extrinſece æque probabilis (*d*), ac oppoſita pro libertate; vel etiam ſive reſpective, ſive abſolute magis *confirmata*, hoc eſt ſive reſpective, uti apud ſingulos opiniones jam eſſe ſolent (*e*), ſive etiam in ſe, & abſolute probabilior (*f*).

(d) *per* *Sch.Def.* 29. *n.*1.
(e) *per* *Sup.*10.
(f) *per* *Sch.Def.* 29. *n.*1.

His ſuppoſitis, quid Steſichoro, priuſquam in hac quæſtione *reſponſum reddat*, fieri, ut recte agat, *demandat* Pontifex? Primum *ſuæ privatæ opinioni ne nimis adhæreat*. Tum ut hos *plures Scriptores examinet*. Ut igitur Steſichorus ſummo Antiſtiti obſequatur, *privatæ opinioni ſuæ*, qua eam pœnam juſtam putat, *non nimis adhæret*, ſed hos omnes *Scriptores* diligenter evolvens *examinat*. At cum inter ſe diſſentientes inveniat (*g*), quid ei demandat? Num ut quænam *partes* ſint *tum ratione, tum auctoritate* vel æque, vel magis *confirmatæ*, hoc eſt vel æque probabiles, vel probabiliores (*h*), *intelligat*? minime. Num ut in dubio remaneat, ſi ambas *partes tum ratione, tum auctoritate* æque *confirmatas*, hoc eſt æque probabiles (*i*) *intelliget*: vel dubium deponat *ſuſcipiendo* tutiores, hoc eſt legi faventes? nequaquam. Num

(g) *per* *hypoth.*
(h) *per* *Sch.Def.* 29. *n.*1.
(i) *per* *idem n.* *eod.*

ut ſaltem *ſuſcipiat* tutiores, *quas intelliget tum ratione, tum auctoritate* magis *confirmatas*, hoc eſt quomodolibet probabiliores (*a*)? multo minus. Num denique ut etiam minus tutas, ſeu faventes libertati, ſed *quas intelliget tum ratione*, *tum auctoritate* magis *confirmatas*, hoc eſt quomodocumque probabiliores (*b*)? ne id quidem. Horum etenim nihil *demandat*, imo diſtinguit, aſſerit, ac ne leviter quidem innuit Pontifex optimus maximus. Solum namque *demandat*, ac dicit, ut *ſuſcipiat eas partes*, *quas tum ratione*, *tum auctoritate intelliget plane* (hoc eſt *certo; aperte; omnino*, ſeu *abſolute*, & *poſitive confirmatas* (*c*). Tales igitur Steſichorus, & non alias vult *partes ſuſcipere*. Sed cum *partes* ambas, nempe tam tutiores, ſeu legi, quam minus tutas, ſeu libertati faventes *intelligat tum ratione*, *tum auctoritate plane* (hoc eſt *certo; manifeſte; omnino* (*d*)) *confirmatas* (*e*), hoc eſt *certo; aperte; omnino* tum intrinſece, tum extrinſece probabiles (*f*); & *omnino probabile* non ſignificet vel *æque*, vel *magis*, vel *minus probabile*, ſed ſolum *abſolute*, & *poſitive probabile*, ideoque de omnibus tam æqualiter, quam utcumque inæqualiter *probabilibus* invicem comparatis, atque de uno eodemque in quovis probabilitatis gradu *probabili*, æque vere, ac recte dici poſſit (*g*): quamquam tutiores *intelligat tum ratione*, *tum auctoritate* vel æque, vel magis *confirmatas* (*h*) hoc eſt vel æque, vel etiam magis tum intrinſece, tum extrinſece probabiles, ſeu probabiliores (*i*); pro approbatione tamen, exhortatione, injunctione, ac licentia ſibi a Pontifice facta minus tutas *ſuſcipit*; ideoque approbante, injungente, exhortante, & annuente Antiſtite maximo

(a) *per idem n. eod.*
(b) *per idem n. eod.*
(c) *per præm. hu.*
(d) *per eand.*
(e) *per hypoth.*
(f) *per Sch. Def. 29. n. 1.*
(g) *per præm. huj.*
(h) *per hypoth.*
(i) *per Sch. Def. 29. n. 1.*

mo opinionem probabilem *ſuſcipit* minus tutam opinioni tutiori ſive æque probabili, ſive vel abſolute, vel reſpective probabiliori comparatam.

Attente perpendat Lector totum hoc Corollarium, diligenter illud cum ſuperiori Propoſitione conferendo, & obſtupeſcet.

SCHOLIUM I.

ETIAM ex hoc Pontificis maximi Bened. XIV. loco plura in rem noſtram colliguntur. 1. Probari ab illo Probabiliſmum potius certum, & abſolutum, quam Probabilioriſmum reſpectivum, atque ideo conſcientiæ, ac morum ſecuritatem magis in illo, quam in iſto conſiſtere poſſe. *Demandat* enim, ut aliorum (nempe præſtantium Doctorum) potius opiniones & *ratione*, & *auctoritate plane confirmatas*, hoc eſt certo, & abſolute tum intrinſece, tum extrinſece probabiles (*a*) amplectamur, quam *privatis* noſtris *adhæreamus*, etſi videantur nobis probabiliores (*b*). Unde Probabilioriſmus potius hujuſmodi, quam verus Probabiliſmus in Scientia morali omnium laxitatum origo, & fons eſt. Ex eo etenim, quod Scriptores *privatis ſuis opinionibus nimis adhærent*, ſententiæ laxæ, & improbabiles exoriuntur. 2. Recte, & ſecure agere, qui magnorum Doctorum opiniones ſequuntur, hoſque eſſe, qui ſententiis conferre ſolent probabilitatem. 3. Ad licite, tuteque aliquam opinionem amplectendam non oportere, ut cognoſcas, eſſe vel æque probabilem, vel probabiliorem oppoſita, ſed eſſe ſatis, ſi cognoſcas, fore certo, abſolute, & poſitive probabilem. 4. Inter opiniones æque probabiles non

(a) *per Sch. Def.* 29. *n.* 1.

(b) *per Sup.* 10.

conſtitui neceſſario Intellectum in dubio practico; aut inter inæqualiter probabiles ad probabiliorem determinari, ita ut in partem quamlibet & *phyſice*, & *moraliter*, ſeu licite flecti non poſſit. 5. Certam probabilitatem eſſe tutam, tutiſſimam regulam morum. 6. Perperam agere, & committere in Pontificis voluntatem, qui contumeliis traducunt Scriptores alioqui magnos, ſibi adverſantes, eorumque ſententias gravibus cenſuris inurunt; quod Probabilioriſtæ, moralis ſcilicet rigidæ, ſine ulla tamen religione erga Probabiliſtas, eorumque opinationes paſſim facere ſolent. 7. Denique non poſſe improbari opiniones vere probabiles, ſeu quæ nituntur legitima ratione, ac auctoritate, ſed ut ſummum quomodocumque improbabiles, ſeu quæ idoneis rationibus, ac auctoritatibus omnino deſtituuntur.

8. Hinc Probabiliſmus nequit eſſe *virtualiter* ab Eccleſia condemnatus, vel in Proœmio Decreti Alex. VII, vel in Propoſitionibus. 1. 2. 4., potiſſimum 3. Innocentii XI, ut Probabilioriſtæ contendunt, ac ſe demonſtrare arbitrantur; quia contra nedum *virtualiter*, ſed etiam *formaliter* approbatus eſt.

9. Hinc denique patet, *modum opinandi*, qui Alex. VII tempore irrepſerat, *alienum ab Evangelica ſimplicitate*, *Sanctorumque Patrum Doctrina*, quique in præfatis, aliiſque bene multis Propoſitionibus confixus eſt, non eſſe veram, realem, objectivam, poſitivam ſolidam probabilitatem, ſed levem, ſubjectivam, & apparentem. Cumque probabilitas apparens, & ſubjectiva ſit probabilioritas (*a*); ſi Eccleſia Probabiliſmum condemnavit, ut Adverſarii volunt, reſ-

(a) *per Cor.* 4. *Sup.* 10.

reſpectivum potius Probabilioriſmum condemnaſſe dicenda eſt. Damnavit enim eas Propoſitiones, quæ a ſuis Aſſertoribus probabiliores habebantur, cum unuſquiſque ſuas tueatur ſententias veluti probabiliores (*a*). Ex quo etiam conſequitur, veram, ac realem ſolidam probabilitatem, quam licitam aſtruunt Probabiliſtæ, probabilioritate ipſa ſubjectiva, & reſpectiva, quam tanti faciunt Probabilioriſtæ, & ad praxim innoxie deduci poſſe affirmant, tutiorem in moribus, ut etiam in ſuperiori Scholio advertimus, viam eſſe, magiſque ab iſta, quam ab illa, laxitatis timeri poſſe.

(a) *per eand.*

SCHOLIUM II.
ad Cor. 7. Propoſit. 1.

QUONIAM *hoc loco Lectorem ad ſtuporem commovi, volo, ut adhuc magis obſtupeſcat. Ajo igitur, quod ad Eccleſiam ſpectat, illam non ſolum Probabiliſmum modo explicato approbaſſe, ſed etiam, quod ad Thomiſtas, ſeu Dominicanos attinet, illos 1. teneri ſub mortali amplecti, defendere, ac docere Probabiliſmum, 2. Probabiliſmum reipſa ad praxim deducere, 3. Sub mortali non poſſe ſequi in praxi omnes ſententias morales faventes Libertati D. Thomæ. Hæc tria paradoxica, ſat ſcio, Lectoribus videbuntur, non minus quam quæ de Angulo ſemicirculi, & contingentiæ in Geometricis dicuntur, veteribus Geometris viſa ſunt. Sed eſſe tamen planas, & obvias, atque ex ipſamet Propoſitione prima ſponte profluentes veritates, ex ſequentibus demonſtrationibus certiſſime cognoſcerent.*

Hæ autem ope unius Lemmatis, & duarum Suppoſitionum abſolventur.

LEMMA.

THOMISTÆ *ſub mortali tenentur ſequi, defendere, ac docere omnes ſententias D. Thomæ. Nam ad id Juramento aſtringuntur. Hoc autem Juramentum ſolent emittere, cum poſt emenſa ſtudia veluti inaugurantur, atque ad Doctrinale aliquod munus apti, & idonei inſtituuntur, ac declarantur. Emittunt autem ſimul cum Profeſſione Fidei, quæ ex forma, & juſſu Pii IV. ab omnibus Magiſtris, Lectoribus &c. facienda eſt. Porro ipſa Juramenti formula hujuſmodi eſt.* Item (*ajunt in calce*) juro me nunquam diſceſſurum a Doctrina D. Thomæ. *Vel brevius.* Item juro in verba D. Thomæ.

SUPPOSITIO I.

HOc *Juramentum fertur in Sententias D. Thomæ conſideratas, ut abſolute, & in ſe, ac potiſſimum ut ab Eccleſia approbatas, minime vero conſideratas reſpective, ſeu juxta mentem opinantis.*

SCHOLIUM.

NE *Lector in intelligentia hujuſce Supp. hallucinetur, ſenſus illius eſt, Thomiſtas jurare defenſionem Doctrinæ D. Thomæ juxta gradum certitudinis, & ſecuritatis, quem habet in ſe, & præſertim in Eccleſiæ approbatione, minime vero juxta gradum, quem habet, vel habere po-*

poteſt in eorum mente. Ille enim gradus utpote realis, ac objectivus certus, firmus, ac immobilis eſt, iſte vero utpote ſubjectivus, & reſpectivus incertus (a), *varius, ac mutabilis eſſe poteſt. Fieri etenim poteſt, ut Sententiæ D. Thomæ Thomiſtis non ſolum vel tantum probabiles, vel probabiliores, vel etiam certæ, quinimo ut etiam aliquæ aliquibus improbabiles, ac falſæ; ſed etiam eædem nunc probabiles, nunc probabiliores videantur* (b). *Tametſi cum eas exercite defendunt, defendant ſaltem de modo* probabilius, *propterea quia unuſquiſque ſuas opiniones hoc modo defendere ſoleat* (c). *Quod a Lectoribus non confundi, ſed exacte diſtingui velim. Nam aliud eſt jurare defendere aliquid, vel tanquam probabilius, vel quia eſt in ſe probabilius, aliud defendere, cum defenditur, veluti probabilius. Illud enim ex natura ipſius Juramenti, ac vi, iſtud ex natura diſputationis, atque Intellectus ipſius repetendum eſt* (d). *Itaque Thomiſtæ etſi, ut cæteri, habeant ſuas ſententias, ſeu D. Thomæ ſaltem ut probabiliores, non tamen eas jurant ſub hoc certitudinis gradu, quem ii habent in mente, ſed ſub illo, quicumque ſit, quem eæ habent in ſe.*

(a) *per Cor.* 4. *Sup.*10.

(b) *per Sch.* 2. *Def.*26. 27. *n.*4.

(c) *per Sup.*10.

(d) *per Schol. ejuſd.*

Primo namque eorum Juramentum generale eſt, nihilque de probabilitate, probabilioritate, aut certitudine diſtinguit, ut ex allegatis formulis patet. Tum hoc Juramentum reſpectivum nihil peculiare ad Thomiſticæ Doctrinæ commendationem conferret, ut conſideranti liquet. Deinde eſſet incertum, inconſtans, ac varium, cum hujuſmodi ſit ſubjectivus certitudinis gradus; uti diximus. Præterea eſſe poſſet vinculum iniquitatis, tum nempe, cum aliqua ſententia D. Thomæ Thomiſtæ alicui improbabilis, & falſa videretur, cum falſum ſine cul-

pa

(a) per Sup. 16. *pa defendi non poſſit* (a). *Denique ita inſinuant vel ipſæ Patrum Dominicanorum Conſtitutiones, Diſt. 2. cap. 74. pag. 303., ubi Lectoribus injungitur, ut D. Thomæ Doctrinam ſequantur. Injungitur etenim idcirco, quod ea ſit* excellentiſſima, ſana, admirabilis, firmiſſima, *ac* ſolidiſſima, *& ut talis* a Sede Apoſtolica *approbata, cujuſmodi profecto eſſe non poteſt niſi in ſe, non in mente opinantis, ut toto Sch. Cor. Sch. 2. ad Sup. 26. 28. demonſtravimus, præſertim n. 4. Ajunt namque.* Eſt enim excellentiſſima hæc Doctrina, ſana præ cæteris, culta a Doctioribus Viris, Ordini Noſtro utilis, ſalutaris univerſæ Eccleſiæ, & toti terrarum Orbi admirabilis, ac denique CHRISTI SALVATORIS Noſtri judicio comprobata.

Et poſtea adhuc expreſſius. Cum præclariſſima Doctoris Angelici S. Thomæ Aquinatis Doctrina in toto Orbe terrarum tanquam lux Solis eluceat, & ut firmiſſima, ac ſolidiſſima Doctrinarum omnium a Sede Apoſtolica, & a principalibus Eccleſiæ Doctoribus cum teſtimonio Epiſcopi, atque Univerſitatis Pariſienſis honorifice approbata fuerit, & divinis laudibus ornata, imponimus, &c.

Ubi advertendum eſt, hæc dicta fuiſſe anno 1342. *in Capitulo apud Carcaſonam celebrato, quo tempore nondum erant emanatæ omnes illæ ſpeciales commendationes ſuperius allegatæ. Quid vero de eadem Doctrina nunc dicendum eſt?*

SUPPOSITIO II.

THOMISTÆ *in praxi reipſa ſequuntur ſententias faventes libertati D. Thomæ tanquam tutas*

tutas tutiſſimas abſolute, & in ſe, ac præſertim ut tales ab Eccleſia approbatas, non vero ut tales in mente opinantis.

SCHOLIUM.

NON *affirmat Suppoſitio ad id teneri, cum poſſint ad libitum etiam oppoſitas aliorum ſententias faventes legi practicare, ſed ſolum affirmat, cum juxta libertatem operantur in iis, in quibus ſunt opiniones huic faventes D. Thomæ, illos de facto dirigere ſuam conſcientiam, & operari ſecundum eas opiniones. Nam cum Doctrina moralis doceatur, ac tradatur propter operationem* (a), *fit conſequenter, ut eam in praxi ſequaris, quam in ſpeculatione ſequeris. Quapropter ſi Thomiſtæ docent, ac tradunt tanquam propriam doctrinam D. Thomæ, imo ad id etiam Juramento conſtringuntur, eamdem etiam ad praxim deducunt: cum præſertim certi ſint, ſe hac ſaniorem, ac ſecuriorem practicare non poſſe.*

(a) *per* Cor. 2. *Def.* 35.

Porro intelligitur Suppoſitio eodem modo, ac præcedens. Nempe eos re ipſa in praxi ſequi illas ſententias juxta gradum firmitatis, ſecuritatis, ac certitudinis, quem habent in ſe, ſeu quia ſolidæ, tutæ in ſe ſunt, præſcindendo a gradu, quem in eorum mente habent, vel habere poſſunt, ſeu quia ſibi videntur certæ, probabiles, vel probabiliores; & etiam præſcindendo ab eo, quod a ſe defendantur tanquam, ut minus, probabiliores. Quod ita enim habeantur, ac defendantur oritur ex natura diſputationis, & Intellectus ipſius (b), *& etiam a Thomiſtis ipſis, ſicut ab aliis, licite per ſe practicari poſſent, tametſi ut tales neque haberentur, neque defenderentur, quandoqui-*

(b) *per Sch. Sup.* 10. *n.* 3.

quidem licite per ſe ab omnibus practicari poſſunt (a).

(a) *per Cor.Sch. 2.Supp. 26. 28.*

PROPOSITIO I.

THOMISTÆ *ſub mortali tenentur amplecti, defendere, ac docere Probabiliſmum.*

Demonſtratur. Thomiſtæ ſub læthali tenentur amplecti, defendere, ac docere omnes ſententias morales faventes Libertati (de his enim quæſtio intelligitur) D. Thomæ (b) *: & quidem abſolute, & in ſe, ac præſertim ut ab Eccleſia approbatas* (c) *: Sunt omnes abſolute, & in ſe probabiles, & ut tales approbatæ* (d) *: Non omnes univerſim, & ſigillatim abſolute, & in ſe probabiliores, ac veluti hujuſmodi approbatæ* (e) *; ſed ut ſummum approbatæ quidem generatim, ſed* indefinite, & plerumque *ita, ut quænam determinate ſint abſolute, & in ſe probabiliores, ſciri omnino non poſſit* (f) *. Igitur ſub mortali tenentur amplecti, & defendere nonnullas ſententias faventes Libertati tantum probabiles. Hæ cum faventibus Legi, vel æque probabilibus, vel probabilioribus ſive abſolute, ſive reſpective comparantur* (g)*. Ergo tenentur defendere, amplecti, ac docere aliquas ſententias faventes libertati tantum probabiles comparatas æque probabilibus, vel probabilioribus, ſive abſolute, ſive reſpective faventibus Legi; ideoque Probabiliſmum. Q. e. d.*

(b) *per Lemma.*
(c) *per Supp.* 1. *Sch.huj.*
(d) *per Sup.* 27.
(e) *per Sup.* 26.
(f) *per Sch.*2.*ad Sup.*26. 28.*n.*1.
(g) *per Prop.* 1. *Demonſ.* 5.

Recole exemplum opinionis de Circumſtantiis notabiliter aggravantibus Prop. 1. *Demonſtrat.* 5., *quo res clare continetur.*

PRO-

PROPOSITIO II.

THOMISTÆ *reipſa Probabiliſmum in praxi ſequuntur.*

Demonſtratur. Thomiſtæ de facto ſequuntur in praxi omnes ſententias D. Thomæ faventes Libertati, & quidem ut abſolute, & in ſe, & ut ab Eccleſia approbatas (a). *Inter has ſunt aliquæ tantum aſolute probabiles comparatæ oppoſitis faventibus Legi, ſive æque probabilibus, ſive probabilioribus, vel abſolute, vel reſpective* (b). *Ergo de facto has in praxi ſequuntur; proindeque ſequuntur Probabiliſmum. Q. e. d.*

(a) *per Supp.* 2. *Sch.huj.*
(b) *per Prop.* 1. *Dem.* 5.

PROPOSITIO III.

THOMISTÆ *nequeunt ſine mortali ſequi in praxi omnes ſententias D. Thomæ faventes Libertati.*

Demonſtratur. Thomiſtæ non poſſunt deducere ad praxim ſententias faventes Libertati tantum probabiles oppoſitis faventibus Legi, vel æque probabilibus, vel probabilioribus, ſive abſolute, ſive reſpective comparatas, ſunt enim Probabilioriſtæ (c). *Inter ſententias faventes Libertati D. Thomæ ſunt aliquæ abſolute, & in ſe tantum probabiles hoc pacto comparatæ* (d), *eaſque cum in praxi ſequuntur, ſequuntur ut abſolute, & in ſe* (e). *Igitur has ſine læthali in praxi ſequi non poſſunt. Q. e. d.*

Cor. 1. *Atque hinc ſequitur, poſſe Thomiſtas, & non poſſe licite contradictoria, nempe practicare & non practicare ſententias faventes libertati D. Thomæ. Poſſunt, quia quæ licite defendi, ac doceri in moribus per ſe poſſunt, poſſunt etiam per*

(c) *per hypoth.*
(d) *per Prop.* 1. *Dem.* 5.
(e) *per Supp.* 2. *Sch.huj.*

(a) per Sup. 13. (b) per Lemma. (c) per hypoth.

ſe licite practicari (a) : *Thomiſtæ vero non ſolum licite defendunt, ac docent ſententias præfatas D. Thomæ, ſed etiam ad id Juramento tenentur* (b). *Non poſſunt, quia præcepto obligantur ad æque probabilia, ac probabiliora faventia Legi, ſive abſolute ſive reſpective, utpote Probabilioriſtæ* (c).

2. *Eccleſiam eos hortari ad id, & injungere quod ſine peccato mortali facere non poſſunt. Hortatur enim, & injungit, ut ſequantur omnes ſententias D. Thomæ, inter quas aliquæ ſunt, quas ſine peccato ſequi non poſſunt, nempe faventes libertati tantum probabiles, modo ſupra explicato comparatæ.*

Hæc immania abſurda coguntur devorare, & concoquere Probabilioriſtæ.

3. *An rem magis acu tetigerit, & melius egerit Bartholomæus de Medina primus aſſertor, ac propugnator Probabiliſmi, aliique Thomiſtæ, qui per integrum ferme ſæculum illum ſecuti ſunt* (*nam per octoginta annos, & amplius omnes Doctores Thomiſtas, qui poſt Medinam hac de re ſcripſerunt, Probabiliſmum tenuiſſe, omnibus nunc in comperto eſt*) : *an vero cæteri Thomiſtæ, qui poſt id tempus ab ejus inſtituto, ac ſententia receſſerunt.*

Cæterum hæc admirabilia, quæ toto hoc Scholio deduximus, nihil, ſi velit, monetur Lector, &, ut lubet, accipiat. Nam ea ad cauſam principem nihil attinent, ut liquet, & a nobis, non vere ad aſtruendum, & perſuadendum, quamquam id verum eſt, ſed ſolum ad vim approbationis doctrinæ D. Thomæ, nec non ad efficaciam demonſtrationis oſtendendam tradita ſunt.

PROPOSITIO II.

AD Conſcientiæ obligationem requiritur in omni Lege certa Præcepti exiſtentia, ac promulgatio.

SCHOLIUM.

QUOD ad promulgationem ſpectat, intelligitur Propoſitio ubi, & eo modo, quo illa diverſa ab exiſtentia reperitur juxta ea, quæ docuimus in Scholio Def. 46. n. 3.

Quod vero ad Præceptum intelligitur de præceptis ſive *formalibus*, ſive *virtualibus*.

Item intelligitur primum de præcepto in ſe, & a parte rei, ut nempe eſt externa Regula Conſcientiæ, deinde etiam ex parte operantis, & ut eſt interna Regula, & applicatio illius, cum iis tamen conditionibus, & ea ratione, quam explicuimus in Scholio Def. 44., præſertim n. 5.

Et quidem de Præceptis *formalibus* in Lege Divina, & Humana Propoſitio liquet ex Cor. Ax. 19. Etenim in his exiſtentia, & promulgatio *authentica* eſt.

De *formalibus* vero, ac *virtualibus* in Lege naturæ ex Ax. 20., ejuſque Corollario primo. Nam cum in hac Lege exiſtentia, & promulgatio idem ſit (*a*); Et hæc Lex principiis practicis, atque *abſolute conſonis* ad hæc principia, & concluſiones exinde evidenter demonſtratas tanquam præceptis *explicitis*, ac *formalibus*; Concluſionibus autem ipſis demonſtratis tanquam præceptis *implicitis*, & *virtualibus* comprehenda-

(a) per *Sch. Def.* 46. n. 3.

datur: quæ omnia evidentia, & certa ſunt; perſpicuum eſt, præceptorum tum *formalium*, tum *virtualium* in Lege naturæ exiſtentiam, atque promulgationem certam eſſe.

Quare ſolum de *virtualibus* in Lege Divina, & Humana demonſtranda eſt. Quod ex mox dictis facile, & breviter fieri poteſt.

Etenim in præceptis *formalibus* ad Conſcientiæ obligationem requiritur certa exiſtentia, ac promulgatio per primam partem. Ergo, & in *virtualibus*. Nam in utriſque par omnino conditio, & ratio eſt. *Virtuale* enim *formali* æquipollet, immo cum in lucem eruitur idem omnino, ac *formale* eſt, quia æqualiter ac illud obligat, & æqualiter novum onus, & quidem aliquando gravius inducit (*a*). Verbo, quoad obligationem, nulla inter utrumque differentia eſt. Quapropter utriuſque certa exiſtentia, ac promulgatio requiritur. Q. e. d.

(a) *per Schol.* 1. *Def.* 45. *n.* 4.

SCHOLIUM.

PROBABILIORISTÆ reſpondere poſſunt, nimium ex hac demonſtratione probari. Probatur enim, ſicut præceptorum formalium promulgatio *authentica* eſt, ita præceptorum quoque virtualium *authenticam* ponendam eſſe: quod per Nos tamen falſum eſt (*b*).

Sed demonſtrationis vis non cadit etiam ſupra promulgationis *authenticitatem*, ſed ſolum ſupra certitudinem. Unde ſicuti certa eſt præceptorum formalium promulgatio, ita & virtualium eſſe debet, cum par utrorumque ſit obligatio (*c*), licet non certa eodem modo. Eo prorſus pacto, quo Ax. 18. ex D. Thoma docuimus, Menſuram

(b) *per Sch. Def.* 46. *n.* 4.

(c) *per Schol.* 1. *Def.* 45. *n.* 4.

ram debere eſſe quidem certam, non tamen *omni modo*, *ſed ſecundum quod eſt poſſibile in genere ſuo*. Itaque utriuſque præcepti tum formalis, tum virtualis promulgatio certa eſſe debet ob rationem ſimilis obligationis allatam, ſed non omni, eodemque modo: unde formalis quidem *authentica*, quia ibi ita rei natura patitur, virtualis autem *non authentica*, quia hic rei natura non patitur, eſt.

Cor. Hinc in quacumque Lege ad Conſcientiæ obligationem non ſufficit quantumvis probabilis vel probabilior præcepti exiſtentia, aut promulgatio, quia hujuſmodi nequidem certa moraliter (*a*); ſed omnino incerta, & æqualiter incerta eſt (*b*).

(a) *per Supp.*4.
(b) *per Cor.* 2. *Def.*26. 27.

PROPOSITIO III.

LIBERTAS, ejuſque certa poſſeſſio non tollitur per incertam poſſeſſionem præcepti; bene vero certa poſſeſſio præcepti per incertam poſſeſſionem libertatis.

SCHOLIUM.

SENSUS eſt, non tolli moralem hominis libertatem circa uſum licitæ, ac permiſſæ alicujus operationis per quamcumque probabilitatem de pravitate operationis illius: tolli vero certam præcepti obligationem per quamcumque veram probabilitatem libertatis de licito uſu operationis ipſius.

Intelligitur autem prima pars juxta eamdem doctrinam, & conditiones traditas in Scholio Def. 44. & ſecunda pars in hypotheſi, in qua

P con-

contra Legis certitudinem probabilitas dari poteſt juxta doctrinam Scholii Suppoſitionis tertiæ. Et de præcepto tum formali, tum virtuali.

Demonſtratur prima pars. Libertas, ejuſque poſſeſſio non tollitur niſi per Legis exiſtentiam, atque ſufficientem promulgationem (*a*): legis exiſtentia, & ſufficiens promulgatio debet eſſe certa (*b*). Ergo libertas, ejuſque poſſeſſio non tollitur per incertam præcepti poſſeſſionem.

Demonſtr. 2. pars. Certa præcepti poſſeſſio non niſi certa exiſtentia, ac promulgatione continetur (*c*). At probabilitate libertatis tollitur exiſtentiæ, & promulgationis certitudo; quia contra probabilitatem certitudo eſſe, aut remanere non poteſt (*d*). Ergo certa præcepti poſſeſſio per incertam libertatis poſſeſſionem tollitur. Q. e. d.

(a) *per Cor. Ax.* 22.
(b) *per præced.*
(c) *per eamd.*
(d) *per Schol. Supp.* 3.

SCHOLIUM.

ATQUE hæc eſt differentia inter utrumque, & ratio cur primum fieri poſſit, ſecundum non poſſit. Nempe cum libertas præcepti exiſtentiam, atque promulgationem ſuapte natura præcedat (*e*), ea antequam præceptum exiſtat, & ſufficienter promulgetur, in certa ſuæ operationis poſſeſſione eſt (*f*). Cumque lex, ut auferat libertatem, debeat eſſe certo exiſtens, ac promulgata (*g*), priuſquam id certo fiat, libertas ſemper in poſſeſſione remanebit. Nunc cum contra certam legis exiſtentiam, vel promulgationem accedit probabilitas, aufertur exiſtentiæ, vel promulgationis certitudo (*h*), ideoque aufertur ea conditio ex parte Legis, quæ ad tollendam libertatem omnino ne-

(e) *per Ax.* 22.
(f) *per Cor. ejuſd.*
(g) *per Cor. Ax.* 19.
(h) *per Schol. Supp.* 3.

neceſſaria eſt. Unde libertas in ſui poſſeſſione perſeverat. Itaque contra libertatem dari non poteſt prævalens probabilitas, bene vero contra Legem, quia hoc non Legis, utpote poſterioris, ſed libertatis, utpote prioris, privilegium eſt.

PROPOSITIO IV.

UT Præceptum Conſcientiam obliget debet eſſe certum.

Intelligitur Propoſitio eodem modo, quo Propoſitio ſecunda; hoc eſt ſecundum doctrinam, & cum iis conditionibus Scholii Def. 44., & de præcepto quocumque cujuslibet Legis.

Demonſtratur multipliciter.

1. Lex, & præceptum eſt Regula externa, ac Menſura moralis obligationis (*a*): Regula, & menſura debet eſſe certa (*b*) (ſcilicet in genere ſuo, & ſaltem moraliter (*c*)); ergo præceptum ad obligationem Conſcientiæ debet eſſe certum.

(a) *per Ax.* 18. (b) *per Cor.* 1. *ejuſd.* (c) *per Cor.* 2. *Ax.* 18.

ALITER

2. Libertas non tollitur niſi per certum præceptum (*d*): præceptum tollit libertatem (*e*); ergo certum eſſe debet.

(d) *per Prop. præced.* (e) *per Ax.* 21.

ALITER

3. Præceptum obligans non niſi ejus exiſtentia, ac promulgatione continetur (*f*): exiſtentia, ac promulgatio certa eſſe debet (*g*); ergo præceptum obligans debet eſſe certum.

(f) *per Ax.* 19. (g) *per Prop.* 2.

ALITER

4. Probabilitas nonniſi certitudine auferri poteſt (*a*). In hypotheſi nempe Schol. Def. 44. n. 3. eſt probabilitas contra præceptum. Ergo non niſi præcepti certitudine tolli poteſt; ideoque ut in ea hypotheſi præceptum conſcientiam obliget, debet eſſe certum.

(a) *per Sch. Sup.* 3.

ALITER

5. Intellectus ſpeculativus non cogitur veritate aliqua ſpeculativa, niſi evidens, & certa ſit (*b*); ergo neque Intellectus practicus veritate aliqua practica, ſeu obligatione, niſi pariter certa ſit. Nam Intellectus ſpeculativus, & practicus eadem omnino potentia eſt (*c*): & utriuſque objectum idem verum ſola ratione diverſum (*d*): & quidquid uni competit, competit etiam alteri (*e*).

Immo in practicis multo minus cogitur, cum minor adhuc perſuaſio requiratur (*f*). Quapropter adhuc minus Intellectus practicus poterit obligari, niſi præcepti obligatio certa ſit.

(b) *per Cor.* 9. *Sup.* 19.
(c) *per Ax.* 11.
(d) *per Cor.* 1. *Def.* 35.
(e) *per Cor. Ax.* 11.
(f) *per Cor. Sup.* 17.

SCHOLIUM.

NE ullus ſit cavillationi locus, ſenſus hujus demonſtrationis eſt, quod ſicut poſſumus in ſpeculativis licite opinari uſque ad ſcientiam veritatis, neque tenemur unam potius, quam aliam partem neceſſario admittere; ita in practicis poſſumus licite opinari circa Conſcientiæ obligationem uſque ad ſcientiam illius; ideoque non tenemur admittere obligationem, niſi certa ſit.

Por-

Porro ſi quæ ſunt, quæ pro diſparitate a ſpeculativis ad practica quomodolibet afferri poſſunt, ea omnia in Corollariis præſertim Supp. 19. præoccupata reperiuntur.

ALITER

6. Nihil tenemur credere, niſi ſit certo de fide (*a*). Igitur nihil tenemur obſervare, niſi ſit certo præceptum. Etenim obligatio de credendis, & agendis par eſt, immo eadem eſt, quia æquali præcepto tenemur credere quidquid de fide credendum proponitur, ac obſervare quidquid faciendum præcipitur. (*b*)

(a) *per* Cor. 10. *Sup.* 19.

(b) *per* *Sch. Ax.* 15.

SCHOLIUM.

SENSUS hujus demonſtrationis eſt idem ac præcedentis, nempe quod ſicut in rebus etiam ad fidem pertinentibus licet utrinque opinari uſque dum aliquid ſit ad credendum certo & clare propoſitum, ideoque quamquam id aſſeratur eſſe de fide, & utcumque probetur, tamen non teneor ei aſſentire, & credere, niſi conſtet eſſe de fide, ſeu non teneor cum, & donec incertum, & opinabile eſt: ita in rebus pertinentibus ad mores licet utrinque opinari, quouſque præceptum clare, & certo propoſitum ſit, ideoque etſi aliquid affirmetur præceptum, & quomodocumque probetur, tamen non teneor illud admittere, & adimplere, niſi conſtet eſſe præceptum, ſeu non teneor cum, & donec incertum, & opinabile eſt. Quod tamen juxta doctrinam, & conditiones Sch. Def. 44. n. 6.: & Sch. Ax. 5.: & Sch. Supp. 3. intelligendum eſt. Cujus diverſita-

ſitatis ratio, & cauſa eſt, quod fides pendet ex ſola veritate, & infallibilitate DEI revelantis, mores autem etiam ex conſcientia, opinione, ac perſuaſione ipſius operantis. (*a*) Unde eſt, quod certitudo fidei, ſeu objectorum ejus eſt ſuprema, & infallibilis, ideoque major etiam metaphyſica, ac mathematica ipſa certitudine, & evidentia, quamquam illa ob ſui obſcuritatem, & inevidentiam Intellectum omnino non cogat, ſicut iſta. Certitudo vero, & evidentia de veritate ſolius fidei noſtræ, ideoque de credibilitate eorum, quæ fide continentur, eſt tantum moralis, & quidem non *perfecta*, cujuſmodi eſt hujus propoſitionis: *exiſtit Roma*: quæ adeo ad aſſenſum cogit, ut nemini dubium relinquat, ſed *imperfecta*. Conſurgit enim ex quibuſdam motivis, ut vocant, *Credibilitatis*, jam notis, quæ licet ſatis, ac ſuperabundanter Viros prudentes, & cordatos perſuadere valeant, ac certos, & ſecuros reddere, non tamen omnes cogunt, ſicut certitudo moralis perfecta ſupradicta, ut experientia liquet. Ex quo fit, quod tam de objectis ipſis fidei, quamvis in ſe certiſſimis, ac infallibilibus, quam de illorum credibilitate dubium quandoque, licet omnino imprudens, oriri ſoleat, ac poſſit. Oritur enim illinc ob inevidentiam, uti diximus, & obſcuritatem, hinc ob moralem tantum *imperfectam* evidentiam, ac certitudinem. Quæ omnia etiam pluries alias, nempe Schol. Def. 5. n. 1. & 5.: & Cor. 6. 7. 12. 13. Ax. 9. 10.: & Schol. Cor. 16. Ax. eorundem num. 1. jam a nobis tacta ſunt.

(a) *per idem.*

Sicut igitur non tenemur credere, niſi quod eſt

eſt certo de fide ; ita neque obſervare, niſi quod eſt certo præceptum.

Nam ſicut menſura, & regula morum eſt lex divina(*a*); ita & menſura, ac regula fidei veritas, & revelatio divina(*b*): unde utraque & ſemper eadem eſt, & vel certa apud nos, vel incerta ex æquo eſt. (a) *per Ax.* 18. (b) *per Sch.Def.* 5. *n.*1.

Et ſicut, & quo modo illa obligat, ne aliquid efficiatur ipſi contrarium; ita, eodemque modo iſta obligat, ne aliquid contrarium ipſi credatur, quandoquidem & fidei, & morum æqualis obligario eſt (*c*). (c) *per Sch.Ax.* 15.

Et ſicut in opinativis morum adeſt periculum temere aſſerendi, & eligendi falſum practicum, ſeu aliquid falſo licitum, ideoque efficiendi aliquid ei oppoſitum, quod DEUS præcepit; ita in opinativis fidei adeſt periculum aſſerendi, & eligendi falſum ſpeculativum (v. g. de Incarnatione, de Trinitate &c.: nam de his ſpeculativis comparate ad practica nunc intelligimus, cum alioqui etiam complura practica ſimul de fide ſint) ſeu credendi aliquid ei oppoſitum, quod DEUS revelavit: quia in omnibus opinativis, utpote æqualiter incertis (*d*), periculum ex æquo hujuſmodi reperitur. Quod ſane periculum in utriſque facile ex æquo vitari poteſt vel per ſuſpenſionem, illinc operationis, hinc aſſenſus, vel per electionem partis tutioris, nempe illinc partis legi, hinc partis certæ, & cognitæ veritati faventis (*e*). (d) *per Cor.* 1. *Def.* 7. (e) *per Sch.Def.* 24. *n.*4.

Reliqua omnia utriſque communia, videlicet quod in utriſque veritas inveniri abſolute non poteſt, atque ideo non eſt obligatio eam inveniendi, verbo quod in utriſque ignorantia

invincibilis continetur : quod in utriſque non eſt obligatio vitandi errorem, ſeu culpam materialem, ſed ſufficit vitare formalem, in quo ſufficiens conſcientiæ ſecuritas habetur : quod in utriſque dubium ex æquo oritur, & Intellectus ad unam partem, nempe ad probabiliorem neceſſario determinatur : quod tandem in utriſque poteſt Voluntas non ſolum *phyſice*, ſed etiam *moraliter*, ſeu prudenter, vel ſaltem licite dubium deponere, & Intellectum ad partem quamlibet determinare &c.; hæc, inquam, omnia vide deducta, inter ſe collata, & applicata, tum in Corollariis Supp. 19., tum aliis multis in locis: nam ea refricare ſuperfluum eſt.

Immo in opinativis morum, multo magis poteſt Voluntas licite, & prudenter dubium practicum deponere, & Intellectum ad partem quamcumque determinare, quam in opinativis fidei, quia multo plures, & graviores rationes, atque cauſas habere poteſt in illis (*a*), quam in iſtis.

Quod ſi in dubio practico de peccato pars tutior ex præcepto eligenda eſt (*b*) (quæ unica inter res fidei, & morum differentia eſſe poteſt) non abſolute, ſed conditionate tantum, nempe dubitatione permanente, minime ea prudenter depoſita, (prudenter autem deponi poteſt (*c*)) eligenda eſt (*d*).

In ſumma tam de credendis, quam de agendis eadem omnino ratio eſt. Quocirca ſicut non teneris credere, niſi quod eſt certo de fide; ita nec adimplere, niſi quod eſt certo præceptum.

Quinimmo minus adhuc tenemur in moribus, quam in fide; tum quod fidei reſpectus no-

(a) *per Schol.* 1. *Cor.* 16. *Ax.* 9. 10. *n.* 3.

(b) *per Ax.* 7.

(c) *per Cor.* 7. *Ax.* 17.

(d) *per Ax.* 7.

nobilior, quam morum, ac neceſſitas major eſt; tum quod res fidei rebus morum periculoſiores ſunt (*a*). Q. e. d. (a) *per Sch. Ax.*

Cor. Hinc præceptum incertum, ſeu opinativum, ideoque probabile, vel probabilius conſcientiam non obligat; unde non obligat, ſi non certo, ſed tantum opinative quomodolibet eſt vel exiſtens, vel promulgatum, quia tam exiſtentia, quam promulgatio certa ad vim præcepti requiritur (*b*). (b) *per Prop. 2.*

SCHOLIUM.

HÆc quarta Propoſitio ut purum Corollarium Propoſitionis ſecundæ ſub ea collocari poterat, quia cum præceptum ejus exiſtentia, ac promulgatione contineatur, ſi ad Conſcientiæ obligationem certa exiſtentia, & promulgatio requiritur, jam patet, certum præceptum requiri. Sed quia multimodis demonſtrari poterat, ut factum eſt, ſeorſim tanquam Propoſitio poſita eſt.

PROPOSITIO V.

IN Probabiliſmo defectus exiſtentiæ Legis, vel ſufficientis ejus promulgationis reperitur.

SCHOLIUM.

SEnsus eſt, in iis, in quibus verſatur Probabiliſmus, vel reipſa non exiſtere Legem obligantem, vel ſi exiſtit, ſaltem non eſſe ſufficienter promulgatam.

Intelligitur autem Propoſitio, ne æquivoca-

tio-

tioni locus pateat, de exiſtentia, ac promulgatione quomodo explicuimus Cor. 5. Supp. 4.

Demonſtratur. Probabiliſmus eſt dumtaxat de præceptis *virtualibus*, & quidem opinativis (*a*). Horum, vel exiſtentia, vel promulgatio eſt incerta (*b*). Exiſtentia, & ſufficiens promulgatio Legis obligantis debet eſſe certa (*c*). In Probabiliſmo igitur defectus exiſtentiæ Legis obligantis, vel ejus ſufficientis promulgationis reperitur. Q. e. d.

(a) *per Cor.* 2. *Supp.* 4.
(b) *per Cor.* 3. *ejuſd.*
(c) *per Prop.* 2.

PROPOSITIO VI.

IN Probabiliſmo certa libertatis poſſeſſio continetur.

Intelligitur quo modo deduximus, & explicavimus in Cor. Ax. 22.

Demonſtratur. Ibi eſt certa poſſeſſio libertatis, ubi præcepti certitudo non invenitur, cum illa nonniſi per certum præceptum auferatur (*d*): in Probabiliſmo Præcepti certitudo non reperitur (*e*). In eo igitur certa poſſeſſio libertatis continetur. Q. e. d.

(d) *per Prop.* 3.
(e) *per Supp.* 4.

ALITER

Ubi non adeſt exiſtentia certa Legis obligantis, ejuſque ſufficiens promulgatio, ibi certa poſſeſſio libertatis reperitur (*f*). In Probabiliſmo non eſt certa exiſtentia, vel ſaltem promulgatio ſufficiens Legis obligantis (*g*). Ergo in illo adeſt certa poſſeſſio libertatis. Q. e. d.

(f) *per Cor. Ax.* 19.
(g) *per Sch. Sup.* 4.

SCHOLIUM.

PROBABILIORISTÆ tertiam, quintam, & ſextam Propoſitiones tantum abeſt, ut demon-

monſtrationes exiſtiment, quin potius puros paralogiſmos manifeſtam principii petitionem continentes putent. Ajunt enim, in Probabiliſmo jam ſupponi exiſtentem, ac ſufficienter promulgatam Legem obligantem; ideoque ablatam poſſeſſionem libertatis.

Sed hæc in vulgari methodo utcumque vera fortaſſis eſſe poſſint, in noſtra certe non poſſunt. Nam quomodo Legis *exiſtentia*, *promulgatio*, *libertatis poſſeſſio*, a nobis accipiatur, & ad uſum demonſtrationis adhibeatur, ex Schol. Def. 46., ex Supp. 4. Cor. 5., ex Ax. 22., ejuſque Schol. 1., aliiſque locis ſatis liquet. In qua quidem acceptione, etiam Probabilioriſtas nobiſcum convenire, atque propterea nihil eſſe æquivocationis, aut ſuppoſitionis, aut falſitatis, quod ab illis notari, minus contra nos objectari poſſit, ex ibidem dictis manifeſtum eſt.

PROPOSITIO VII.

NON eſt Præceptum per ſe, & univerſale vetans uſum opinionis probabilis faventis libertati in conflictu, vel æque probabilis, vel probabilioris faventis Legi; verbo vetans Probabiliſmum: neque eſſe poteſt.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt *per ſe*, hoc eſt ex natura rei, & *univerſale*, quia *per accidens*, ſeu aliunde, & peculiare eſſe poteſt, ſcilicet Voto, Juramento, Contractu, Superioris juſſu, Dubio practico, Conſcientia erronea (quamquam hæc deponi & debet, & poteſt) quemadmodum Cor. 16. Supp. 19. de Probabiliſmo in ſpeculativis, de *tutis* Schol.

Schol. Ax. 5., & de uſu opinionum D. Bonav., & D. Thom. Cor. Supp. 28., ac de aliis rebus alibi admonuimus.

Demonſtratur prima pars tripliciter.

1. Non eſt Præceptum hujuſmodi in ſpeculativis, & practicis politicis (*a*). Igitur nec in practicis moralibus. Eſt enim eadem omnino ratio in utriſque. Nam Intellectus ſpeculativus, & practicus eadem omnino potentia eſt (*b*). Unde quidquid convenit *per ſe* uni, convenit etiam alteri; atque ideo quod Ratio *per ſe*, dictat, præſcribit, exigit erga unum, etiam dictat, præſcribit, *per ſe* exigit erga alterum (*c*).

(a) *per Cor.* 16. *Supp.* 19.
(b) *per Ax.* 11.
(c) *per Cor. ejuſd.*

SCHOLIUM.

NE, Lector, hic a me tædio afficiaris applicando ſingula peculiariter ſingulis, Tu ipſe perpende, & applica omnia Corollaria ejuſdem Suppoſitionis 19. Nam in illis omnes excogitabiles Probabilioriſtarum reſponſiones, diſtinctiones, exceptiones, differentias, cavillationes, verbo evaſiones, quibus Probabiliſmus aſtrui poteſt illicitus in practicis, non vero in ſpeculativis, ex æquo præocupatas demonſtrative, atque præcluſas invenies.

Quinimmo ſi non adeſt præceptum hujuſmodi in ſpeculativis, multo major ratio eſt, cur eſſe non debeat in practicis. Nam ad habendam veritatem practicam, ſeu ad prudenter aſſentiendum, & operandum in practicis, minor perſuaſio requiritur, quam in ſpeculativis (*d*). Quare ſi in his ſufficit electio opinionis minus probabilis, & minus tutæ quomodolibet comparatæ, neque ultra præcipitur; multo magis ſuf-

(d) *per Cor. Sup.* 17.

ſufficiet hæc electio in practicis, neque amplius injungetur.

A L I T E R

2. Si eſt præceptum, eſt vel Naturale vel Divinum, vel Humanum (*a*); & potiſſimum Naturale (*b*). Rurſus, vel formale, & explicitum, vel virtuale, & implicitum. Denique vel certum, vel opinativum (*c*). Atqui nullum ex his eſt.

Et quidem primo generatim. Non extat neque Naturale, neque Divinum, neque Humanum formale, & explicitum (*d*): neque virtuale clarum, & certum (*e*); igitur, ſi extat, eſt opinativum. At hujuſmodi verum præceptum non eſt, neque conſcientiam obligare poteſt (*f*). Nullum igitur eſt.

Præterea ſpeciatim. Non extat Naturale. Nam ſi extaret, ad Legem Naturæ vel *ſtricte*, vel *late* pertineret (*g*). At non primum. Quod enim *ſtricte* ad Legem Naturæ pertinet, practicis tantum principiis, & concluſionibus demonſtratis continetur (*h*). Quod autem ſit illicitus Probabiliſmi uſus, hoc neque principium practicum, neque concluſio demonſtrata eſt. Hoc enim omnibus eſſet notum, & apud omnes nationes commune (*i*); neque proinde a tot Sapientibus rem potiſſimum ex profeſſo diſcutientibus, ignoraretur ad Legem Naturæ pertinere (*k*).

Non ſecundum. Quæ enim *late* ad Legem naturæ ſpectant ſunt vel *abſolute*, vel etiam *reſpective* conſona practicis principiis, & concluſionibus demonſtratis (*l*). Illicitus autem Probabiliſmi uſus neque *abſolute*, neque *reſpective* conſonis continetur. Non primis; quia cum hæc æque, ac practica principia, & concluſiones

(a) *per Sch. Def.* 45. *n.* 1.
(b) *per Sup.* 8.
(c) *per Sch. Def.* 45. *n.* 4. & 5.
(d) *per Sup.* 7.
(e) *per Cor. ejuſd.*
(f) *per Cor. prop.* 4.
(g) *per Sch. Ax.* 20.
(h) *per Ax.* 20. *ejuſq. Sch.*
(i) *per Cor.* 1. *ejuſd.*
(k) *per Cor.* 2. *ejuſd.*
(l) *per Sch. ejuſd.*

nes

neſ demonſtratæ clara, & evidentia ſint (*a*), id omnibus pariter innoteſceret, & a Sapientibus præſertim ignorari non poſſet (*b*). Non ſecundis; quia cum hæc ad Naturæ Legem ita pertineant, ut etiam eorum oppoſita poſſint ad eamdem pariter Legem pertinere (*c*), poterit tam Probabilioriſmi, quam Probabiliſmi uſus ſecundum naturæ Legem licitus eſſe.

Non præceptum formale, aut virtuale certum, quia illud principiis, iſtud concluſionibus demonſtratis continetur (*d*); quæ omnia evidentia ſunt (*e*), atque ideo a nemine ignorarentur (*f*).

Non denique virtuale opinativum: tum quod hujuſmodi verum præceptum conſcientiam obligans non eſt (*g*): tum quod ad Legem naturæ non pertinet, quæ ſolum practicis principiis, concluſionibus demonſtratis, & ad hæc omnia *abſolute conſonis* continetur (*h*). Hæc autem non opinativa, & incerta, ſed certa, & evidentia ſunt (*i*), & a nemine propterea ignorantur (*k*).

Et ut penitius, ac ſpecialius rem demonſtremus. Si extat præceptum Legis Naturæ, hoc ad rectam Rationem, ſeu Prudentiam pertinet, & conſiſtit in eo, quod eſt contra Prudentiam, & Rationem rectam, eligere partem probabilem libertati faventem in noto conflictu, quia Prudentia ipſa, & Ratio recta dictat, in conflictu opinionum æqualiter probabilium, tanquam in dubio practico, partem tutiorem, ſeu Legi favorabilem eſſe ſequendam, ne peccandi periculo te committas; in concurſu vero inæqualiter probabilium partem, quæ veroſimilior, ac veritati propinquior apparet, tum quia

(a) per Cor. 1. ejuſd.
(b) per Cor. 2. ejuſd.
(c) per Schol. & Cor. 4. ejuſd.
(d) per Sch. ejuſdem.
(e) per Cor. 1. ejuſd.
(f) per Cor. 2. ejuſd.
(g) per Cor. Propoſ. 4.
(h) per Ax. 20. & per Sch. ejuſd.
(i) per Cor. 1. ejuſd.
(k) per Cor. 2. ejuſd.

quia major certitudo haberi non poteſt (*a*), tum quia ab ea parte Intellectus magis determinatur (*b*). Itaque electionem partis probabilis faventis libertati ob has rationes eſſe difformem Rationi rectæ, & imprudentem. Atqui primum, quod Ratio recta, & Prudentia ita dictet, hoc non eſt neque practicum principium; neque concluſio demonſtrata, neque aliquid his *abſolute conſonum*: alioquin omnibus innoteſceret (*c*), & a Sapientibus præſertim non ignoraretur (*d*) Deinde Probabiliſmi electio non difformis rectæ Rationi, & imprudens, & expoſita periculo peccandi formaliter, ſed conformis, & prudens, & ſecura eſt; quia opinio probabilis favens libertati in utroque conflictu, & rectæ Rationi conformis (*e*), & prudens (*f*), & tuta, tutiſſima eſt (*g*). Tandem non obſtante Probabilioritatis exceſſu, quo Intellectus magis ad unam partem deteminatur, prudenter, & licite ad oppoſitam a Voluntate determinari poteſt (*h*). Prohibitio igitur hujus electionis non poteſt ullo modo ad Legem Naturæ pertinere.

Atque vel ex hoc ſolo de Probabilioriſtarum cauſa actum eſt. Nam inter nos, & illos convenit, præceptum aliquod, ſi extat, de vitando Probabiliſmo, illud de Lege Naturæ eſſe, ut Sup. 8. determinatum eſt.

ALITER.

3. In Probabilioriſmo favente Legi duo tantum continentur, nempe tutius ex parte Legis, & probabilius ex parte opinionis (*i*). Probabilius autem eſt idem, ac prudentius (*k*), prudentius idem ac melius (*l*). Atqui non eſt præceptum univerſale, & per ſe ſequendi tutius, aut melius (*m*). Ergo non eſt præceptum ſe-

(a) *per hypoth. & per Sch. Cor. 7. Ax. 17.*
(b) *per Cor. 7. Ax. 9. 10.*
(c) *per Cor. 1. Ax. 29.*
(d) *per Cor. 2.*
(e) *per Cor. 5. Def. 26. 27.*
(f) *per Cor. 6. earund.*
(g) *per Prop. 1.*
(h) *per Cor. 7. Sup. 19. & Prop. 9. infra afferend.*
(i) *per hypoth.*
(k) *per Cor. 5. Ax. 17.*
(l) *per Def. 16.*
(m) *per Ax. 8*

ſequendi Probabilioriſmum, ſeu vitandi Probabiliſmum.

Demonſtr. 2. pars. Impoſſibile eſt, extare præceptum univerſale vetans uſum illius, quod eſt tutum (*a*), quod prudens, ac bonum (*b*), injungens vero uſum ejus, quod eſt tutius (*c*), quod prudentius, ac melius (*d*). Probabiliſmi uſus eſt tutus (*e*), prudens, ac bonus (*f*); Probabilioriſmi autem ſuo ſenſu tutior (*g*), prudentior, ac melior (*h*). Ergo præceptum univerſale injungens Probabilioriſmum, & vetans Probabiliſmum eſſe non poteſt. Q. e. d.

(a) *per Cor. Ax.* 5. (b) *per Cor.* 2. *Def.* 16. (c) *per Cor. Ax.* 8. (d) *per idem*. (e) *per Prop.* 1. (f) *per Cor.* 6. *Def.* 26. 27. (g) *per Sch. Def.* 24. *n.* 9. (h) *per Cor.* 5. *Ax.* 17.

PROPOSITIO VIII.

SI extat præceptum, non eſt ſufficienter promulgatum.

SCHOLIUM.

SENSUS eſt, quod ſi etiam reipſa eſſet præceptum hujuſmodi, ſive Naturale, ſive Divinum, ſive Humanum, non eſt tamen nobis ita intimatum, ut ſufficienter innoteſcat, habeatque vim obligandi. Intelligitur autem Propoſitio de promulgatione ſive authentica, ſive non authentica ubi locum habet, & tunc cum promulgatio tanquam aliquid diverſum ab exiſtentia ſumi poteſt.

Cum autem *authentica* non habeat locum niſi in Lege Divina, & Humana, atque in ſolis præceptis *formalibus*; *non authentica* vero etiam in Lege Naturæ, & in omnibus cujuſque Legis præceptis *virtualibus* (*i*); idcirco de omnibus Propoſitio demonſtranda eſt.

(i) *per Sch. Def.* 46. *n.* 4.

Et

Et quidem de præceptis *formalibus* Divinæ, & Humanæ Legis patet ex Ax. 19., ejuſque Corollario. Nam cum in his promulgatio *authentica* ſit, ideoque clara, & manifeſta, ea ab omnibus cognoſceretur; unde a tot Sapientibus, qui præſertim ex profeſſo de ea inquirunt, ignorari non poſſet (*a*), quæ tamen hactenus ab iis ignoratur (*b*).

Demonſt. de *non authentica* in Lege Naturæ, & de præceptis *virtualibus*.

Præcepta hujuſmodi in hac Lege eſſe non poſſunt, niſi concluſiones practicæ, vel demonſtrative, vel opinative deductæ (*c*). Sed concluſiones demonſtratæ, primum antequam evidenter deducantur, ſeu antequam evidens earum connexio cum principiis cognoſcatur, promulgatæ non ſunt (*d*): deinde cum ſunt deductæ, jam claræ, & evidentes ſunt (*e*); atque ideo neceſſe eſt omnibus, & præſertim Sapientibus innoteſcere (*f*): quod tamen in hypotheſi non contingit, cum a pluribus Sapientibus ignorentur (*g*). Concluſiones vero opinative deductæ obſcuræ, & incertæ ſunt (*h*), ac proinde non ſufficienter promulgatæ, quia ſufficiens promulgatio certa, & clara eſſe debet (*i*). Immo neque de Lege Naturæ ſunt (*k*).

Demonſt. denique de *non authentica* in omnibus præceptis *virtualibus* Legis ſive Divinæ, ſive Humanæ.

Hujuſmodi præcepta in utraque Lege ſunt, quæ vel ſcientifice, vel opinative deducuntur (*l*). Neutra autem ſufficienter promulgantur. Non prima, quia ſi ſcientifice deducerentur, omnibus innoteſcerent (*m*), neque a pluribus Sapientibus ignorarentur (*n*): quod tamen in re præſenti

(a) *per Cor.* 1. *&* 2. *Ax.* 20.
(b) *per hypoth.*
(c) *per Sch. Def.* 45. *n.* 5.
(d) *per Sch. Def.* 46. *n.* 4.
(e) *per Ax.* 20.
(f) *per Cor.* 1. *ejuſd.*
(g) *per hypoth.*
(h) *per Sch. Def.* 45. *n.* 5.
(i) *per Prop.* 2.
(k) *per Cor.* 3. *Ax.* 20.
(l) *per Sch.* 45. *n.* 5.
(m) *per Cor.* 1. *Ax.* 20.
(n) *per Cor.* 2. *ejuſd.*

(a) *per* contingit (*a*). Non ſecunda, quia horum promul-
Sch.Def. gatio obſcura, & incerta eſt (*b*): promulgatio
46.n.4. vero clara, & certa eſſe debet (*c*). Igitur ſi eſt
(b) *per* præceptum de vitando Probabiliſmo, ſive Natu-
Prop. 2. rale, ſive Divinum, ſive Humanum, non eſt
(c) *per* tamen ſufficienter promulgatum. Q. e. d.
hypoth.

PROPOSITIO IX.

IN practicis moralibus poteſt Voluntas Intellectum poſitum inter opiniones contradictorias, vel æqualiter, vel inæqualiter probabiles, ad partem libertati faventem, & prudenter, & licite determinare, eamque proinde ſine temeritate, & crimine eligere.

SCHOLIUM.

DICTUM eſt *prudenter*, & *licite*, quia hæc duo idem non ſunt. Tametſi enim quod eſt prudens ſit licitum, & licitum aliquo modo
(d) *per* ſit prudens, quia licitum ut tale eſt bonum (*d*);
*Def.*13. tamen prudens plus importat, quam licitum. Prudens enim importat etiam rectitudinem o-
(e) *per* perationis (*e*), licitum vero operationis tan-
*Def.*48. tum permiſſionem, ſeu carentiam peccati: quia
(f.) *per* licitum eſt, quod nullo præcepto prohibetur (*f*)
*Def.*12. atque ideo ſine peccato fieri poteſt.

Affirmat igitur Propoſitio, 1. Voluntatem præfatam determinationem *prudenter*, deinde ſaltem *licite* facere poſſe.

Demonſtratur dupliciter. 1. generatim.

1. Voluntas poteſt Intellectum *prudenter*, & *licite* hoc modo determinare in ſpeculativis, etiam ad fidem pertinentibus, & practicis politi-

liticis (*a*). Ergo & in practicis moralibus. Eadem enim ratio eſt de utriſque, & quidquid Voluntas poteſt in Intellectum in ſpeculativis, poteſt & in practicis (*b*).

(a) *per Cor.* 7. *Supp.*19.

(b) *per Cor.Ax.* 11.

Recole omnia Corollaria Supp. 19., eaque tu ipſe ad rem applica. In illis enim quæcumque ab Adverſariis pro diſparitate rationabiliter afferri poſſunt, demonſtrative ſoluta reperiuntur. Præcipua autem hæc tria ſunt. 1. quod in moralibus practicis homo neceſſario conſtituitur in dubio practico, in quo ex præcepto tutior pars eligenda eſt. 2. quod in his adeſt periculum peccati, ideoque ſalutis, minime vero in ſpeculativis. 3. quod in ſpeculativis non tenemur inquirere veritatem, aut eam admittere, niſi manifeſta ſit, in moralibus autem tenemur eam inveſtigare, & hujus defectu eam arripere, etiam in dubiis, ſeu arripere ſecuritatem, ob periculum peccati, atque ſalutis præfatum.

Sed hæc tria tum Supp. eadem 19. per diſtincta Corollaria, tum pluribus aliis in locis multipliciter demonſtrative ſoluta ſunt. Tu inquam, Lector, recole, & applica: nam eadem repetere non vacat.

Quinimo potiori jure poteſt Voluntas id efficere in opinativis moralibus, quam in ſpeculativis ſive indifferentibus, ſive pertinentibus ad fidem; tum quia univerſim in illis minor adhuc perſuaſio ſufficit ad Intellectum determinandum, quam in iſtis (*c*): tum quia in opinativis, maxime circa operabilia .... *in poteſtate habet homo, quod aſſentiatur uni, vel alteri parti contradictionis* juxta D. Thomam (*d*): tum quia, præſertim quod ad res fidei pertinet, eæ practicis moralibus, & magis neceſſariæ, & no-

(c) *per Cor. Sup.* 17.

(d) *per Schol.*1. *Cor.*16. *Ax.*9.10.

& nobiliores, & periculoſiores ſunt (*a*).

2. Specialiter quod Voluntas id poſſit *prudenter*, & quidem tam ex parte ſui, quam ex parte Intellectus.

Determinatio ad aſſenſum unius partis, & electio ejuſdem eſt prudens, ſi & ille aſſenſus ſit certo prudens, & magnæ, ac graves cauſæ adſint hujus electionis (*b*). Atqui utrumque in hypotheſi reperitur. Nam ex parte Intellectus, aſſenſus illius partis prudens eſt, utpote nixus rationibus vere gravibus, & magnis, ſeu nixus opinione vere probabili, quæ conformis Rationi rectæ (*c*), quæ virtuoſa, & prudens etiam in noto conflictu eſt (*d*). Idque ab Intellectu certiſſime cognoſcitur (*e*). Ex parte vero Voluntatis adſunt, vel adeſſe poſſunt multæ cauſæ rationabiles, & magnæ (*f*). Ergo determinatio ad aſſenſum partis probabilis faventis libertati in conflictu æque probabilis vel probabilioris faventis Legi, ejuſque electio prudenter a Voluntate fieri poteſt.

Et quidem quod ſpectat ad electionem inter opiniones æqualiter probabiles, mirum eſt, quod quiſpiam vel dubitet, prudenter fieri non poſſe. Nam cum ſpectata rationabilitate, utraque opinio ſit æqualiter prudens, nulla apparet ratio, cur Voluntas nequeat prudenter alterutram ad libitum eligere, ac Intellectum ad alterutrius aſſenſum determinare. Sed tamen de electione in utroque conflictu Propoſitio æque demonſtrata eſt.

Tandem quod poſſit ſaltem licite. Illud licite fieri poteſt, quod nullo præcepto prohibetur (*g*): determinatio ad partem probabilem faventem libertati in noto conflictu, ejuſque electio, ſeu electio Probabiliſmi nullo præcepto

pro-

(a) *per Sch. Ax.* 15.
(b) *per Sch.* 1. *Cor.* 16. *Ax.* 9. 10. *n.* 3. & *Cor.* 7. *Sup.* 19.
(c) *per Cor.* 6. *Ax.* 17.
(d) *per Cor.* 5. *ejuſd.*
(e) *per Sch. Def.* 37.
(f) *per Schol.* 1. *Cor.* 16. *Ax.* 9. 10. *n.* 3.
(g) *per Def.* 12.

prohibetur (*a*): ergo Voluntas poteſt Intellectum ad eam partem ſaltem licite determinare, eamque eligere. Q. e. d.

(a) *per Prop.* 7.

SCHOLIUM.

ADVERTAT Lector id, quod etiam in Cor. 7. Supp. 19. indicatum eſt, nempe ad prudentem determinationem, & electionem ex parte Voluntatis ſufficere etiam ſolum, quod aſſenſus Intellectus ſit certo prudens, etiam ſine ulla alia cauſa ex parte Voluntatis ipſius. Cum enim Voluntas dirigatur in ſuis operationibus ab Intellectu (*b*), perſpicuum eſt, eam ſine imprudentia illi imperare, ac facere poſſe, quod ab eodem ſibi oſtenditur eſſe certo rationabile, ac prudens. A nobis tamen utrumque conjunctum eſt, ut res validius, & undequaque demonſtraretur.

(b) *per Sch. Ax.* 10.

Cor. Hinc tanquam e proprio loco evidentiſſime patet, operari prudenter, vel ſaltem non imprudenter, ſeu licite, qui probabilem opinionem in hypotheſi amplexatur; ideoque legitimam demonſtrationem eſſe illam, qua Probabiliſtæ in aſſerendo licito Probabiliſmi uſu paſſim utuntur. Eſt autem hujuſmodi. Qui prudenter operatur non peccat: qui ſequitur opinionem probabilem libertati faventem in conflictu vel æque probabilis, vel probabilioris faventis legi prudenter operatur: non peccat igitur.

SCHOLIUM.

HAnc nihilominus Probabilioriſtæ communiter aſſerere non verentur putidum parologiſmum apertam, ſi Superis placet, principii petitionem continentem.

Sed hoc ex præpoſtera rei intelligentia procedere perſpicuum eſt. Falluntur enim in eo, quod exiſtimant, nos Prudentiæ rationem ſumere ex approbatione Prudentum, & Prudentum approbationem ex natura ipſa Prudentiæ. Ad hæc Prudentis nomine quoſcumque de trivio Magiſtellos, non Doctores ſummos, & approbatos a Nobis ſignificari. Quæ cum omnia falſa ſint, ut ex Schol. 2. Def. 26. 27., ex Ax. 16. 17., eorumque Corollariis, & Scholio, atque ex aliis bene multis locis liquet; etiam iſtuc ipſum, quod Probabilioriſtæ paſſim affirmant, falſum eſt.

PROPOSITIO X.

IN Probabiliſmo ignorantia invincibilis omnino excuſans a peccato formali continetur.

SCHOLIUM.

HOc eſt ignorantia invincibilis tam *phyſice*, quam *moraliter* licet *præviſa*. Nam conſtat, in eo de pravitate operationis dari non ſolum ſuſpicionem aliquam, timorem, ſimplicem apprehenſionem, aut probabilem opinionem juxta ea, quæ docuimus in Schol. Def.

44.,

44. , verum etiam opinionem probabiliorem : quo hujuſmodi de actionis malitia præviſio continetur, ut major in hypotheſi dari non poſſit.

Demonſtr. In Probabilioriſmo favente libertati ignorantia invincibilis *præviſa* omnino excuſans a peccato formali continetur (*a*) . Ergo & in Probabiliſmo . Cum enim omnia utrinque paria ſint, excepto Probabilitatis exceſſu (*b*); ſi ignorantia hujuſmodi in Probabilioriſmo potius, quam in Probabiliſmo reperitur, neceſſario oriri debet ex ſolo hoc exceſſu . At ex hoc ſolo exceſſu vel non oritur, aut oriri poteſt; vel ſi oritur, non ita potius oritur, quin & in Probabiliſmo ex æquo inveniri poſſit (*c*). Igitur & in Probabiliſmo reperitur . Q. e. d.

(a) *per Sup. 6.*
(b) *per Cor. 8. Def. 26. 27.*
(c) *per Sch. Sup. 6. n. 5. & 6.*

ALITER

Ea ignorantia, licet *præviſa*, & *phyſice*, & *moraliter* invincibilis eſt, cujus vincendæ poſſibilitas, & obligatio non eſt (*d*) . Ignorantiæ autem, quæ Probabiliſmo continetur, vincendæ poſſibilitas, & obligatio non eſt . Cum enim ignorantia *præviſa* de actionis malitia tribus in univerſum modis vinci debeat, ac poſſit, nempe vel per certam ſcientiam de illius honeſtate, aut pravitate, vel per reductionem ad dubium practicum, ideoque per electionem partis tutioris, vel per electionem opinionis de operationis honeſtate (*e*): ſi eſt obligatio vincendi *præviſam* ignorantiam Probabiliſmi, erit obligatio illam vincendi aliquo ex his tribus modis. Cumque quod ad ſecundum modum ſpectat, dubium practicum potiſſime habeatur in conflictu æqualium opinionum, quamvis etiam in conflictu inæqualium haberi ſoleat, ac poſſit (*f*); quod

(d) *per Sch. Def. 44. n. 1. & 2.*
(e) *per idem n. 3.*
(f) *pe. Sch. Ax. 7.*

quod vero ad tertium modum, in caſu non habeatur niſi opinio probabilis, & probabilior (*a*): ſi eſt obligatio vincendi ignorantiam ſecundo modo, erit obligatio in utroque conflictu, vel manendi in dubio practico, ſi jam adeſt, vel ad illud ſe reducendi, ideoque eligendi in utroque conflictu partem tutiorem, ſeu Legi faventem: ſi vero vincendi tertio modo (ſuppoſita Probabilioriſtarum hypotheſi, quod per electionem opinionis minus probabilis faventis libertati licite vinci non poſſit), erit obligatio eam vincendi per electionem opinionis probabilioris. Itaque, ut eam ignorantiam vincas, teneberis vel reperire certam veritatem de actionis pravitate, aut honeſtate; vel permanendo in dubio practico, ſi in eo ades, vel te ad illud reducendo, eligere in utroque conflictu partem tutiorem; vel denique in ſecundo conflictu partem probabiliorem. Atqui, ſuppoſita opinione probabili de honeſtate operationis, non eſt obligatio vincendi eam ignorantiam ullo ex his tribus modis.

(a) *per hypoth.*

Non primo: quia certitudo de bonitate, aut malitia actionis, etiam quacumque adhibita diligentia, abſolute inveniri non poteſt, cum Probabiliſmus ſolum in opinativis verſetur, & incertis (*b*); & quia contra probabilitatem de honeſtate certitudo de malitia in ſenſu compoſito dari non poteſt (*c*): ejus autem, quod eſt impoſſibile, obligatio non eſt (*d*).

(b) *per Sch.Sup.* 4.
(c) *per Sch.Sup.* 3.
(d) *per Sch.Def.* 44.

Non ſecundo, & tertio: tum quia in utroque conflictu poteſt Voluntas, & prudenter, & licite dubium practicum in Intellectu ortum deponere, ſeque ad partem probabilem libertati faventem determinare (*e*): tum quod nullum de

(e) *per Prop.præced.*

de ſequendis, vel æque probabilibus, vel probabilioribus tutioribus, verbo de ſequendo Probabilioriſmo præceptum eſt (*a*). Ergo non eſt poſſibilitas, aut, ſuppoſita probabilitate de actionis honeſtate, obligatio vincendi ignorantiam, quæ in Probabiliſmo continetur; atque ideo ea, licet *prævisa*, & *phyſice*, & *moraliter* invincibilis eſt. Q. e. d.

(a) *per Prop.* 7.

SCHOLIUM I.

PROBABILIORISTARUM nonnulli invincibilem ignorantiam Probabiliſmo minime contineri, a D. Thoma loco de *Errore* ex Quæſt. Diſput. Supp. 16. allegato, inſolubili demonſtratione oſtenſum putant.

Sed hunc textum, primum nequidem ad rem eſſe, tum omnino falſum, denique Probabilioriſmum ipſum libertati faventem pariter evertere perſpicuum eſt. Non eſt ad rem, quia ignorantia diverſum aliquid ab errore eſt (*b*). Eſt falſus, quia opinio minus probabilis error neque formalis, neque materialis eſt (*c*). Accedit, quod ignorantia Probabiliſmi non ſolum defectu potentiæ inveniendi veritatem (*d*), ſed etiam, & potiſſimum defectu obligationis eam vincendi invincibilis eſt (*e*). Tandem Probabilioriſmum ipſum ex æquo ſubruit, quia utriuſque opinionis tam minus probabilis, quam probabilioris libertati faventis attributa omnia, excepto uno probabilitatis exceſſu, paria ſunt (*f*). Locum relege, & perpende. Ex quo liquet, num Probabilioriſtæ quæſtionem intelligant, quam impugnant, quibus fundamentis eorum ſententia innitatur, & quantum eorum demonſtra-

(b) *per Def.* 42.
(c) *per Cor.* 3. *Def.* 26. 27.
(d) *per Supp.* 4. *ejuſque Cor.* 3.
(e) *per id. Cor. & Prop. præced.*
(f) *per Cor.* 8. *Def.* 26. 27.

ſtrationibus, cujuſmodi uſus frequentiſſimus eſt, ſit inſolubilibus deferendum.

SCHOLIUM II.

ATQUE ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis patet, quomodo ſe habeat Intellectus conſtitutus inter contrarias opiniones probabiles, quæque ſint illius in opinando proprietates, & jura, quidve etiam in præſenti quæſtione ad ejus ſolutionem cognoſcat. Quæ doctrina ad calcem reſervata eſt, quippe quæ quemdam veluti doctrinæ totius epilogum continet.

1. Itaque ſicut cum Intellectus actu directo ſcit, aut dubitat, actu reflexo certo ſcit ſe ſcire, aut dubitare, ita cum directe opinatur, reflexe certo ſcit, ſe opinari, & quidem rationabiliter opinari (*a*), etiam ex parte opinionis minus probabilis in conſpectu probabilioris, cum illa etiam in iſtius conſpectu non deſinat eſſe probabilis (*b*).

2. Certo ſcit, quamlibet ex contradictoriis opinionibus ſive æqualiter, ſive inæqualiter probabilibus æque poſſe eſſe veram, vel falſam; ideoque neutram ſibi fore determinate veram, aut falſam, quamquam in conflictu neceſſe ſit, alteram in ſe eſſe veram, alteram falſam. Nam & omnis opinio eſt æqualiter incerta (*c*); & æqualiter contingit, quod opiniones probabiles evadant probabiliores, vel certæ, ac probabiliores tantum probabiles, vel falſæ (*d*); & idem homo eamdem opinionem nunc habet probabilem, nunc vero probabiliorem (*e*): & contradictoria ſimul vera eſſe non poſſunt. (*f*)

(a) *per Sch. Def.* 37.
(b) *per Cor.* 4. *Def.* 26. 27.
(c) *per Cor.* 1. *Def.* 25.
(d) *per Supp.* 9.
(e) *per Schol.* 2. *Def.* 26. 27. *n.* 3.
(f) *per Ax.* 1

3. Pro-

3. Probabilioritatem non eſſe abſolutam, realem, ac objectivam, ſed reſpectivam, & ſubjectivam (*a*): & ideo quamvis aliqua opinio ſibi certo videatur probabilior, tamen fieri poſſe, ut oppoſita, quæ ſibi videtur minus probabilis, ſit reipſa probabilior: & de facto ab aliis haberi tanquam probabiliorem (*b*). Quare de probabilioritate, utcumque certò ſibi viſa, nunquam tamen Intellectus omnino certus eſt, ſed circa illam abſolute ſemper falli poteſt.

4. Se non cogi abſolute, & ſimpliciter ad aſſenſum, niſi a vero, & evidenti (*c*): ab opinativis autem quibuſcumque ſolum vel æqualiter, vel magis, vel minus moveri (*d*): ſe in his ſubjici tamen imperio Voluntatis (*e*): atque diſcrimen opinionis probabilioris a probabili in hujuſmodi majori permotione dumtaxat ſitum eſſe (*f*). Unde nec ferri nativo pondere in probabilius, tanquam in naturale proprium, primarium, & rigoroſum objectum, quia hujuſmodi objectum eſt ſolum reale verum (*g*), quod aliter eſſe non poteſt (*h*), quodque propterea Intellectum ad aſſenſum tantum cogit (*i*).

5. Inter opinativa nullam de veritate licitæ, vel illicitæ actionis certitudinem haberi poſſe (*k*), ideoque nullam certitudinem de exiſtentia, aut promulgatione præcepti (*l*); atque conſequenter ſe in invincibili ignoratione (*m*), & in libertatis poſſeſſione remanere (*n*).

6. Opinionem probabilem, etiam in conflictu, eſſe prudentem (*o*), rectæ Rationi conformem (*p*), ſecuram (*q*). Et de Probabiliſmo ſectando nullum omnino præceptum eſſe (*r*).

7. Ut

(a) *per Cor.* 4. *Sup.* 10.
(b) *per Sup.* 10.
(c) *per Cor.* 2. *Ax.* 9. 10.
(d) *per Cor.* 8. *eorumd.*
(e) *per Cor.* 13. *eorumd.*
(f) *per Cor.* 8. *Def.* 26. 27.
(g) *per Cor.* 2. *Ax.* 9. 10.
(h) *per Sch. Def.* 5. *n.* 1.
(i) *per Cor.* 3. *Ax.* 9. 10.
(k) *per Sup.* 4.
(l) *per Cor. ejuſd.*
(m) *per Prop.* 10.
(n) *per Prop.* 6.

(o) *per Cor.* 5. *Ax.* 17.
(p) *per Cor.* 6. *ejuſd.*
(q) *per Prop.* 1.
(r) *per Prop.* 7.

7. Ut omnia in ſumma dicam, quidquid opinioni probabiliori convenit, vel non convenit, atque de ea affirmari, aut negari poteſt (excepta una majori veritatis apparentia, & mentis permotione) totum etiam minus probabili convenire, vel non convenire, atque de ea negari, vel affirmari poſſe (*a*).

8. Hæc omnia Intellectus opinans certiſſime cognoſcit, non per actus directos, ſed per reflexos a ſe elicitos ex imperio Voluntatis (*b*): nam actus reflexi certiſſimi ſunt (*c*).

9. Ex quo poſtremo liquet, Controverſiam de Probabiliſmo, atque Probabilioriſmo multiplicibus reflexionibus plenam eſſe, & ideo ſine illis recte, velint, nolint Probablioriſtæ, tractari non poſſe.

(a) *per Cor.* 8. *Def.*26. 27.
(b) *per Cor.* 11. *Ax.*9.10.
(c) *per Sch.Def.* 37.

Jam vero his omnibus fuſe pertractatis, reſtat, ut priuſquam demonſtretur, Controverſiam iterum, ut initio polliciti ſumus, proponamus, & analytice reſolvamus. Eſt igitur.

QUÆSTIO.

AN opinio probabilis favens libertati in conflictu æque probabilis, vel probabilioris faventis Legi, licite, & ſine peccato eligi, atque ad praxim deduci poſſit.

QUÆSTIONIS INTELLECTUS, LIMITATIONES, ET EXCEPTIONES.

INtelligitur quæſtio 1. univerſim, & per ſe, non ex accidenti, nempe in hypotheſi, quod quis peculiariter teneatur ad tutiora, vel probabiliora.

2. De

2. De opinione tum abſolute, tum reſpective vere, certo, ac practice probabili.

3. De opinione, ſive abſolute, ſive reſpective certo probabiliore; hoc eſt etiam cum operans, vel certo ſcit, opinionem eſſe abſolute probabiliorem, vel cum hujuſmodi certo ſibi apparet.

4. Non intelligitur de opinione minus probabili conſiderata in actu exercito, ut Scholæ loquuntur, tanquam probabiliore; hoc ſenſu, quod probabiliorem in praxi cenſetur eligere, qui minus probabilem eligit, eo quia unuſquiſque habet proprias opiniones probabiliores (*a*). Hoc enim pacto Quæſtio ſe ipſam deſtruit, & vana eſt: ſed intelligitur de opinione conſiderata, & habita, etiam in ipſa praxi, atque electione, tanquam minus probabili in conflictu.

(a) *per Sup.* 10.

Ex his duabus explicationibus, & limitationibus apparet, Quæſtionem ſtrictius, ac preſſius proponi, & agitari non poſſe.

5. Non intelligitur hoc ſenſu, quaſi ſit obligatio, ut quis, antequam ad operandum ſententiam eligat, ſemper debeat inquirere, & inveſtigare, quænam ex contradictoriis opinio ſit probabilior. Hoc enim oneroſiſſimum eſt, neque ſemper vel ab ipſis Sapientibus, nedum ab omnibus, fieri poteſt. Neque vero Probabilioriſtæ ipſi hoc exigunt. Sed intelligitur, cum operans vel jam in promptu habet, quænam ſit probabilior, vel mediocriter conſulendo Libros, vel Doctores id comperit.

6. Non inquiritur, an electio opinionis probabilis faventis libertati in utroque conflictu ſit prudens, recta, virtuoſa, & multo minus meritoria, ſed an ſit licita, ſeu permiſſa, & minime peccaminoſa. Quamquam enim hæc

duo

duo aliquo modo idem eſſe videantur; tamen ſtricte diverſa ſunt, ut in Propoſitione 9. admonui, ideoque unum etiam ſine altero haberi poteſt.

7. Denique intelligitur de ſola actus bonitate, ſeu honeſtate, non vero de actus efficacia, & validitate. Nempe intelligitur in iis, in quibus agitur, an aliquid honeſte, & licite fieri poſſit, vel non poſſit, non vero in iis, ubi agitur, an aliquid conſequatur ſuum effectum, nec ne. Clarius. Non in iis, ubi valor, effectus, ſucceſſus pendet ex natura, exiſtentia veritate, & applicatione rei, ſed in iis, ubi honeſtas, vel turpitudo attenditur præcipue ex Conſcientia operantis.

Hinc liquet, quas exceptiones præſens Quæſtio patiatur. Igitur.

1. Excluduntur opiniones probabiles tantum abſolute, non etiam reſpective, hoc eſt illæ, quæ in oppoſitarum conſpectu deperdunt ſuam probabilitatem. Hoc namque accidere poteſt.

2. Opiniones dubie, tenuiter, & ſpeculative tantum probabiles. Quamquam hæc vox *tenuiter* ſuperflua eſt, quia tenuiter probabile vere hujuſmodi non eſt.

3. Miniſter, & Suſcipiens in SACRAMENTIS quoad ea omnia, quæ ad eorum validitatem, & efficaciam ſpectant, & Medicus. Hi enim obligantur ad tutiora.

4. Denique Judex, cæterique Reipublicæ Officiales, Conſultores, Magiſtri, ſi, & quando ſtipendio, contractu, conventione, Lege lata, Juramento; immo, & privati quicumque, qui vel Voto, vel ſuperioris præcepto, vel quolibet alio vinculo tenentur rem publicam, aut privatam

tam curare modo ſive tutiore, ſive probabiliore.

Aliis pluribus modis Quæſtio proponi poteſt ſecundum diverſos aſpectus, ſub quibus poteſt conſiderari, juxta ea, quæ in proxima Analyſi dicenda ſunt, & præcipue, ut aliquod exemplum afferatur, hoc modo.

5. An Confeſſarius conſultus a Pœnitente ſuper prohibitione, aut permiſſione alicujus operationis, ſeu ſuper malitia, aut honeſtate illius, cognoſcens vel æque probabilem pravitatem ac honeſtatem, vel honeſtate probabiliorem malitiam actionis ejuſdem, ſciens, & prudens poſſit univerſim ſine peccato ei reſpondere, licitam eſſe illam actionem; ideoque ſine crimine fieri poſſe. Additum eſt *univerſim*, quia adeſſe poſſunt circumſtantiæ aliquæ, in quibns id a Confeſſario prudenter reſponderi non poſſit.

V. G. An conſultus, utrum ſit obligatio confitendi circumſtantias notabiliter aggravantes, ipſe tenens affirmantem tanquam probabiliorem, & ſciens, D. ex. ca. Thomam, & D. Bonav. tenere negantem, an poſſit, relicta ſententia propria, Pœnitenti conſulere juxta ſententiam D. Bonav., & D. Thomæ.

6. Vel an ſciens, hos duos Sanctos tenere ſententias de moribus contradictorias, & omnes ſibi videantur vel æque probabiles, vel aliæ aliis probabiliores, poſſit nihilominus ſine culpa, vel pro ſe eligere quaslibet etiam libertati faventes, vel aliis conſulere eligendas.

7. Vel cum quilibet habeat ſententiam propriam tanquam probabiliorem, ſciat tamen, Doctores magnos etiam contrarium tenere, inquiritur, num viſa in hoc caſu iſta ſibi probabilioritas debeat eſſe, vel pro ſe, vel pro aliis Regu-

Regula de honeſtate operationis, ita ut non poſſit ſine culpa ſe aliorum Doctorum opinioni minus probabili ſibi viſæ, tanquam honeſtæ operationis Regulæ, conformare.

QUÆSTIONIS ANALYSIS.

PROPOSITA quæſtio commodius in hanc generalem transformari poteſt.

AN LICITUS SIT PROBABILISMI USUS.

CUMQUE duas partes habeat, oriuntur primo generales quæſtiones duæ.

I. An ſit licitus in æqualiter probabilibus.

II. An etiam in inæqualiter, nempe in minus probabili, & probabiliori.

Probabiliſtæ exiſtimant utrumque licitum, Probabilioriſtæ illicitum. Utrique ſuis argumentis rem probant: utrique viciſſim contraria ſolvunt.

Argumenta Probabiliſtarum ad ſuprema capita, & in compendium redacta hujuſmodi ſunt.

1. Quia Eccleſia Probabiliſmum ſciens, & prudens permittit, atque ideo approbat permiſſive.

2. Quia Doctores antiqui licitum aſſeruerunt, & exemplo ad praxim licite reduci poſſe demonſtrarunt.

3. Quia qui illum ſequitur prudenter operatur.

4. Quia illius uſus eſt ſecurus in conſcientia.

5. Quia ex præcepti incertitudine, cujuſmodi Probabiliſmo continetur, non oritur obligatio.

6. Quia conſequenter deficit exiſtentia præcepti.

7. Quia

7. Quia ſaltem deficit ſufficiens præcepti promulgatio.

8. Quia in eo adeſt ignorantia invincibilis excuſans a formali peccato.

9. Quia nullum exiſtit præceptum de ſequendo Probabilioriſmo.

10. Quia etiamſi exiſtit, tamen non eſt ſufficienter promulgatum.

11. Quia in illo libertas humana in certa ſuæ licitæ operationis poſſeſſione eſt.

12. Quia illius uſus eſt licitus in ſpeculativis, unde & in practicis.

13. Quia licitus eſt in rebus fidei, unde, & in rebus morum.

14. Quia in moralibus ſufficit quæcumque oſtenſio perſuaſiva, cujuſcemodi in Probabiliſmo reperitur.

15. Quia in incertis proprium judicium alieno ſubmittere prudens, ac laudabile eſt.

16. Quia a Probabilioriſtis, ad quos id ſpectat, certo illicitus non demonſtratur.

17. Denique quia ex admiſſione Probabilioriſmi multa ſequuntur abſurda.

1., 2., 15., & 16. veluti rei extrinſeca, reliqua omnia argumenta, velut intrinſeca ſunt.

Hæc omnia negant Probabilioriſtæ, hiſque ſtatuunt contraria, & ſuis argumentis probant, ut in tertia Parte apparebit, ubi omnia breviſſime demonſtrative ſolventur.

In utraque parte plura æquivoca, incerta, confuſa, indigeſta, manca, arbitraria, perfunctoria, involuta, levia, non concludentia, falſa, ſaltem ut vulgo quæſtio tractari ſolet, reperiuntur, ſicuti peritis notum eſt. Ego propterea ex immenſa horum farragine, uti in Præ-

R fatio-

ſatione dixi, ſolum certa, & communiter admiſſa ſeligenda duxi, eaque evolvi, diſtinxi, explicavi, digeſſi, dilucidavi, ordinavi. Ad hæc valde multa e penu mea ſupplevi, & adjeci; plura etiam, ut fortius rem demonſtrarem, liberalius, quam oporteat, dedi, ut ex Ax. 20., ex Schol. 2. Supp. 26. 28., aliiſque pluribus locis liquet; & quod caput eſt, omnia ad altiora, & certa principia reduxi.

Et quidem quod ad primum argumentum attinet, permiſſivam Eccleſiæ approbationem, qua Probabiliſtæ communiter uti ſolent, reliqui, quod ea acrius intuenti non eſt viſa hujuſmodi, unde aliquid certi pro uſu Probabiliſmi conſici poſſit; eique electivam in Doctrina Sanctorum Bonaventuræ, & Thomæ ſubſtitui, qua major dari non poteſt, & qua res, opinor, invicte demonſtratur.

Quod ad ſecundum, qui, & cur ad Scholæ Principes reſtrinxerim, ex ſecund. Parte apparebit, ſicut etiam quid in eo tractando præſtiterim, & quomodo evexerim ad uſque certitudinem.

Quod ad decimum ſeptimum, ſeu ultimum multa quidem abſurda a Probabiliſtis in medium afferuntur, ſed ego uno tantum, eoque certiſſimo uſus ſum, orto ex approbatione Doctrinæ Sanctorum Bonav., & Thomæ, ut in demonſtrationibus proximis videbitur, quod cætera vel levia, vel inutilia, vel æquivoca, vel incerta judicata ſunt.

Quod ad reliqua omnia argumenta, de Prudentia operationis, conſcientiæ Securitate, præcepti Incertitudine, Defectu Legis obligantis, hoc eſt vel ejus exiſtentiæ, vel ſufficientis promul-

mulgationis, Ignorantia invincibili, Carentia præcepti de Probabilioriſmo, Poſſeſſione libertatis, cæteriſque, qua ratione ſingula tractata, ac demonſtrata ſint, quidve denique in tota hac verſanda Quæſtione a me ſupra communem morem factum, atque præſtitum ſit, jam peritus Lector hactenus cognovit, & amplius cognoſcet.

Ergo cum 17. ſint argumentorum Capita, quæſtio generalis in totidem primum quæſtiones particulares reſolvi poteſt.

1. An Eccleſia Probabiliſmum electiva approbatione approbaverit.

2. An Schola licitum, & Auctoritate, & Praxi aſſeruerit.

3. An operetur prudenter qui eo utitur.

4. An ſit tutus in conſcientia.

5. An, cum præceptum eſt incertum obliget, & præcepti incertitudo in Probabiliſmo reperiatur.

6. An in eo contineatur defectus exiſtentiæ præcepti.

7. An ſaltem ſufficientis promulgationis ejuſdem.

8. An in Probabiliſmo ſit ignorantia invincibilis omnino excuſans a peccato.

9. An ſit præceptum de ſectando Probabilioriſmo.

10. An ſi adeſt, ſit etiam ſufficienter promulgatum.

11. An in eo reperiatur certa poſſeſſio Libertatis.

12. An ſit licitus in ſpeculativis, & practicis politicis, & ſi ſit, inde etiam in moralibus practicis.

13. An ſit licitus in rebus Fidei, & ſi ſit, inde etiam in moribus.

14. An in moralibus ad actionis honeſtatem ſufficiat perſuaſio tantum probabilis, & hujuſmodi in Probabiliſmo reperiatur.

15. An ſit laudabile in incertis proprium judicium alieno ſubmittere, & juxta illud operari; idque in Probabiliſmi uſu contingat.

16. An Probabilioriſtæ probent certo illicitum uſum Probabiliſmi.

17. Denique an ex Probabilioriſmi admiſſione ſequantur certa abſurda.

Hæ autem quæſtiones omnes demonſtrative jam reſolutæ ſunt, præter 2., & 16., quæ ſecunda, & tertia Parte reſolventur.

Et quidem. 1. reſoluta eſt per Cor. 7. Prop. 1.

3. per Cor. 3. Ax. 16., & Cor. 7. Ax. 17., & Prop. 9.

4. per Prop. 1.

5. per Prop. 4.

6., & 7. per Prop. 5.

8. per Prop. 10.

9. per Prop. 7.

10. per Prop. 8.

11. per Prop. 6.

12. per Supp. 19., ejuſque Corollaria.

13. per Cor. 10. Supp. 19.

14. per Ax. 12., ejuſque Corollarium.

15. per Ax. 13.

17. Denique per Scholium Corollarii Supp. 26. 28.

Sed pergamus. Cum hæc quæſtio inquirat de licito, vel illicito (*a*); & licitum ſit quod nullo (*b*), illicitum quod aliquo præcepto prohibetur (*c*): inſpiciendum omnino in hac Contro-

(a) *per Supp.*2.
(b) *per Def.*12.
(c) *per Def.*13.

tro-

ſtroverſia eſt, an præceptum aliquod vetans Probabiliſmum, & jubens Probabilioriſmum reperiatur. Atque id unum eſt, quo omnes conatus tendere debent. Hoc enim uno invento, Controverſia vel pro Probabiliſtis, vel pro Probabilioriſtis certiſſime roſoluta, etiam ſine alio adminiculo, remanebit. Et ſane omnia argumenta huc denique reducuntur, ut nimirum oſtendatur, eſſe, aut non eſſe hujuſmodi præceptum, ut conſideranti liquet. Non enim quæritur, ut ſupra in Quæſtionis propoſitione, & expoſitione dixi, num *bene*, *recte*, *virtuoſe*, *prudenter*, *laudabiliter*, multo minus *meritorie* operetur, qui opinionem probabilem libertati faventem ſequitur in conflictu æque probabilis, vel probabilioris faventis Legi, ſeu num id *bonum*, *prudens*, *virtuoſum*, *laudabile*, vel *meritorium* ſit, ut ſupra admonui: quo tamen ſenſu quæſtionem tractare, ideoque involvere Probabilioriſtæ ſolent; ſed proprie, & ſtricte inquiritur, num operetur *male*, & peccet, qui ſequitur, ſeu an id ſequi *malum*, *imprudens*, *illicitum*, *peccatum* ſit. Id quod ſola præcepti exiſtentia, vel non exiſtentia, ac promulgatione determinandum, & reſolvendum eſt. Quamquam, & illud ſit liberaliſſime a nobis abunde multipliciter demonſtratum, ut ex toto Opere liquet. Ex quo patet, quæſtionem principem, qua res tota continetur, eſſe nonam, & decimam eidem annexam, nempe: *an ſit præceptum de ſequendo Probabilioriſmo; & an ſi adeſt, ſit etiam ſufficienter promulgatum:* cum Legis exiſtentia, ac promulgatio ad culpam contrahendam requiratur (*a*): cæteras quæſtiones eſſe acceſſorias, & in ſubſidium principalis excogi-

(a) *per Ax.* 19.

tatas. Nihil enim aliud per illas contenditur, quam ex multis capitibus demonſtrare, hujuſmodi præceptum eſſe non poſſe. Quare cum omnes aliæ quæſtiones his duabus principalibus involvantur, ab iiſque pendeant, illæ omittendæ, iſtæ excutiendæ, & reſolvendæ ulterius ſunt.

Itaque cum præceptum ſit vel Naturale, vel Divinum, vel Humanum: rurſus vel formale, vel virtuale: denique virtuale, vel certo deductum, vel opinative (*a*); promulgatio vero ſit, vel authentica, vel non authentica (*b*): illæ duæ principales quæſtiones in ſequentes reſolvendæ, hæque illis ſubſtituendæ ſunt.

1. An ſit præceptum Legis Naturæ de ſequendo Probabilioriſmo.
2. An ſit Divinum.
3. An ſit Humanum.
4. An ſit formale, vel virtuale.
5. An ſit virtuale certum, vel opinativum.
6. An ſit *authentice*, vel *non authentice* promulgatum.

In quibus quæſtionibus inter Probabiliſtas, & Probabilioriſtas de his omnibus certo convenit.

1. Non eſſe Divinum, Humanum, aut Naturale formale (*c*).
2. Non eſſe virtuale certum apud omnes (*d*).
3. Igitur vel eſſe tantum certum apud plures, nempe in hypotheſi apud Probabilioriſtas, vel eſſe dumtaxat opinativum.
4. Conſequenter non eſſe *authentice*, ſed ut ſummum *non authentice* promulgatum (*e*).
5. Si eſt præceptum, potiſſimum naturale eſſe (*f*).

Quoniam vero ſi eſt tantum certum apud Pro-

(a) *per Sch.Def.* 45. *n.* 1. 2. & 3.
(b) *per Sch.Def.* 46. *n.* 1.
(c) *per Supp.* 7.
(d) *per Cor.ejuſd.*
(e) *per Sch.Def.* 46. *n.* 4.
(f) *per Sup.* 8.

Probabilioriſtas, evidenter patet, etiam oppoſitum poſſe eſſe certum apud Probabiliſtas (hujuſmodi enim certitudo eſſet tantum reſpectiva (*a*)) atque ideo æquis juribus, ſicut ab illis affirmatur, ita ab his negari poſſe; idcirco tota quæſtio recidit in præceptum opinativum. Unde ſequentes quæſtiones ſubſtituendæ ſunt.

(a) *per Sch. Def.* 5. *n.* 6.

1. An præceptum Divinum tantum opinativum, ſeu ſolum opinative exiſtens, vel promulgatum de ſequendo Probabilioriſmo ſit verum præceptum vim habens obligandi conſcientiam.

2. An humanum.

3. An Naturale.

Quæ tres quæſtiones ſimul Propoſitionibus 2., & 4., earumque Corollariis negative reſolutæ ſunt.

Jam vero quod potiſſimum ad Legem Naturalem ſpectat, cum hæc principiis practicis, concluſionibus inde demonſtratis, & ad hæc ſive *abſolute*, ſive *reſpective conſonis* contineatur (*b*): & cum, loquendo de *reſpective conſonis*, nihil exinde contra Probabiliſmum confici poſſit (*c*), erunt ſubrogandæ hæ quæſtiones.

(b) *per Ax.* 20., *& Sch. ejuſd.*

(c) *per Cor.* 4. *ejuſd.*

1. An præceptum de ſequendo Probabilioriſmo ſit practicum principium.

2. An concluſio inde demonſtrata.

3. An aliquid *abſolute conſonum* his concluſionibus, & principiis.

Hæ autem tres quæſtiones pariter negative Prop. 8. reſolutæ ſunt.

Denique cum hæc Naturæ Lex principiis, concluſionibus, & *abſolute conſonis* contenta, ſit idem ac Ratio recta (*d*); hæc vero idem ac Prudentia (*e*), præceptum iſtud ad rectam Rationem, ac Prudentiam pertinebit; neque poterit

(d) *per Sch. Def.* 45. *n.* 1.

(e) *per Cor.* 1. *Def.* 48.

rit conſiſtere, niſi in eo, quod Ratio recta, & Prudentia dictet, eſſe ſequenda æqualia probabilia, & probabiliora tutiora, ſeu faventia legi, vel abſolute, & ſimpliciter tanquam aliquid *melius*, aut *tutius* (nam etiam *probabilius* ipſum, utpote *prudentius* (*a*), in ſe, & ſeorſum acceptum eſt *melius*, aut aliquo modo *tutius*) (*b*): vel loquendo de æque probabilibus tanquam in dubio practico, quod inter illa potiſſimum neceſſario oritur (*c*), in quo pars tutior eligenda eſt (*d*), loquendo vero de probabilioribus ob illum probabilitatis exceſſum (*e*), a quo mens ſuapte natura ita magis ad unam partem impellitur, atque determinatur, ut ad contrariam flecti non poſſit (*f*). Itaque ob has duas cauſas neque Intellectum in utroque caſu opinioni vel æque, vel minus probabili minus tutæ, ſeu faventi libertati aſſentire, neque Voluntatem hanc eligere poſſe.

Quapropter hæ quæſtiones erunt ſubſtituendæ.

1. An ſit præceptum a natura eligendi abſolute, & per ſe meliora, aut tutiora.

2. An in æqualibus præſertim probabilibus Intellectus ita neceſſario conſtituatur in dubio practico, ut non poſſit ad partem quamlibet determinari.

3. An in inæqualibus probabilibus ita neceſſario determinetur ad partem probabiliorem, ut nequeat ad partis minus probabilis aſſenſum determinari. Quod eſt idem ac dicere, num iſte probabilitatis exceſſus ſive realis, & abſolutus, ſive reſpectivus, & apparens Intellectum cogat ad eam partem.

Ex his autem quæſtionibus 1. Ax. 8. jam negative reſoluta eſt. Quod eſt ad reliquas, illud

con-

(a) *per* Cor. 5. Ax. 17.
(b) *per* Sch. Def. 24. *n.* 9.
(c) *per* Sch. Ax. 7.
(d) *per* Ax. 7.
(e) *per* Cor. 8. Def. 26. 27.
(f) *per* Cor. 8. Ax. 9. 10.

convenit, Intellectum in priori conflictu per ſe quidem manere neceſſario in dubio practico, in poſteriori vero impelli ad partem probabiliorem (*a*), non tamen ita abſolute, & omnino ad hæc cogi, quin poſſit ſaltem a Voluntate *phyſice* in partem quamcumque determinari (*b*). Quare reſtat videre; ſi id fieri poſſit etiam *moraliter*, ſeu prudenter, vel ſaltem licite, ſeu non temere, ac imprudenter.

(a) *per idem.*

(b) *per Cor. 13. eorumd.*

Unde hæc quæſtio ſubſtituenda eſt.

An in utroque conflictu poſſit Voluntas Intellectum ad partem tantum probabilem libertati faventem *moraliter*, ſeu prudenter, vel ſaltem licite, & non imprudenter determinare, eamque propterea ſine peccato eligere. Quod idem eſt ac quærere, num hoc facere ſit juxta, vel contra Rationem rectam, ac Prudentiam.

Hæc autem quæſtio ab ea pendet, an hæc determinatio, & electio in utroque conflictu ſit alicujus, quod ſit difforme Prudentiæ, & Rationi rectæ, ſeu irrationabile, vel potius rationabile & conforme. Quare cum id, quod in hypotheſi eligitur, ſit opinio probabilis, videndum eſt, num hæc in utroque conflictu ſit conformis Rationi rectæ, ſeu Prudentiæ, ac rationabilis, vel potius difformis, & irrationabilis. Si enim hoc ſtatuatur, profecto licite, & ſine crimine eligi poterit. Unde hæc poſtrema quæſtio ſubſtituenda eſt.

An opinio probabilis favens libertati in conflictu tam æque probabilis, quam probabilioris faventis Legi, ſit Rationi rectæ, & Prudentiæ conformis, ac rationabilis, an potius difformis, & irrationabilis.

Hæc

Hæc autem quæſtio, præterquam quod vel ex ipſa opinionis probabilis definitione, & Quæſtionis ipſius Supp. 29. evidenter ſoluta manet, demonſtrative multipliciter reſoluta eſt (*a*), ſimulque propterea ſuperior quæſtio reſoluta, nempe poſſe Voluntatem in noto conflictu non ſolum licite, ſed etiam prudenter Intellectum ad partem libertati faventem determinare, eamque eligere (*b*). Itaque tota quæſtio reſoluta eſt.

(a) *per Cor.* 5.6. *Def.*26. 27., & *Cor.*5.6. *Ax.* 17.
(b) *per Prop.* 9.

Unde apparet, quo tandem recidat adeo famoſa Controverſia (quæ fortaſſe ex parte Probabilioriſtarum de puro nomine eſt), & quod ſit purum, putumque filum contentionis. Nam ſi loquamur de prima Probabiliſmi parte eſt: an in eo caſu Homo neceſſario conſtituatur in dubio practico, ideoque ad partem tutiorem teneatur. Si vero de ſecunda parte: an in eo caſu ex vi illius exceſſus probabilitatis teneatur ad eam partem probabiliorem: ſeu an ille exceſſus habeat vim præcepti naturalis orti a Ratione recta, ſeu Prudentia Hominem obligantis ad eam partem rationabiliorem: ſeu etiam, an ille ſolus exceſſus rationabilior ita ſit rectus, ac prudens, ut oppoſita minor probabilitas ſit temeraria, & imprudens. Quæ cum omnia jam demonſtrative reſoluta ſint, etiam Controverſia ipſa demonſtrative confecta eſt.

1. Ex hac quæſtionis Analyſi manifeſte liquet primo, quo tandem fundamento a Ratione deſumpto nitatur adeo celebrata Probabilioriſtarum ſententia. Nam quod ad primam Probabiliſmi partem attinet, tota ratio nititur puro æquivoco; quod vero ad ſecundam, pura ſuppoſitione falſa. Nititur in primo caſu puro æquivoco, quod conſiſtit in eo, quod ipſi non diſtin-

ſtinguunt dubium ab aſſenſu, ſeu opinione, & aſſenſum, ſeu judicium directum a reflexo. Cum enim menti inter æquales opiniones probabiles conſtitutæ oriatur dubium practicum (*a*), putant eam debere in hoc dubio neceſſario permanere, neque propterea illud prudenter deponere poſſe. In quo inſigniter decipiuntur, cum per judicia reflexa Intellectus certiſſime cognoſcens (*b*) utramque partem æque rationabilem, per electionem alterutrius, ex imperio Voluntatis, dubium prudenter deponere poſſit. Nititur in ſecundo caſu ſuppoſitione falſa, quia exiſtimant, probabilem opinionem probabiliori comparatam imprudentem eſſe. Dixi *exiſtimant*, quia hoc nunquam a ratione eſt ab illis probatum, nunquam probabitur, quodque amplius eſt, probari non poteſt, cum contradictionem includat, imprudens eſſe, quod rationabile eſt. Unde ex ſola probabilitatis definitione, ſimulque Suppoſitione 29., ſine aliis argumentis, ut ſupra dixi, demonſtrative convincuntur.

(a) *per Sch.Ax.* 7.

(b) *per Cor.* 1. *Schol.*2. *Prop.*10.

2. Eos quæſtionem, ſi Superis placet, non intelligere, & nunquam intellexiſſe.

3. Non Probabiliſtas, ſed eos petere ſemper principium. Nam cum Quæſtio hæc inquirat de licito, vel illicito (*c*); & illicitum ſit quod aliquo præcepto prohibetur (*d*); atque Probabilioriſtis, utpote Aggreſſoribus hujus probatio incumbat (*e*): cumque a Probabiliſtis ſaltem multis gravibus illud rationibus negetur (*f*), quæ niſi certitudine auferri non poſſunt (*g*), tenentur illi afferre omnino certum de ſectando Probabilioriſmo præceptum (*h*). Nunc non afferunt, niſi vel tantum opinativum, vel ut ſummum reſpective, ſeu ſibi certum (hoc eſt denique

(c) *per Supp.*2.

(d) *per Def.*13.

(e) *per Can.* 3.

(f) *per hypoth.*

(g) *per Cor.Sup.* 3.

(h) *per idem.*

que parum, putum opinativum (*a*),) ideoque nihil afferunt, quod Probabiliſtas convincere poſſit, qui & oppoſitum ſibi certum putant. Unde non ſolum æqua, ſed potiori ratione, & conſcientiæ ſecuritate poſſunt iſti in ſuo ſenſu abundare. Ex quo ſequitur, omnem Probabilioriſtarum vim hac denique ratiocinatione concludi. Eſt præceptum, quia eſt præceptum (nam hoc non probant, quia non probant præceptum abſolute certum, uti dixi, ſicuti tenentur, ſed ut ſummum reſpective, ſeu opinativum, quod in caſu non ſufficit): qua putida manifeſta principii petitio continetur.

(a) *per Sch. Def. 5. n. 6.*

Atque ex his omnibus univerſim, & ſigillatim fuſe demonſtratis, expeditus tandem patet aditus ad ſingulas demonſtrationes, quibus Probabiliſtarum Sententia ſtricte, & preſſe demonſtratur. Ubi admonendum eſt, ſingulis quidem rem demonſtrative totam conſtare, omnibus vero ſimul omnino invincibilem eſſe.

Item demonſtrationes 1., & 2., licet extrinſecas, nec non 7., & 8., intrinſecas potiores eſſe. Unde Probabiliſmus vel his quattuor ſolis demonſtrationibus, vel etiam earum ſingulis, ſed præſertim 1., & 2. inviɑiſſime a nobis ſatis abunde demonſtrari poterat. Id quod paucis tantum paginis, atque ideo Opere multo breviore abſolutum fuiſſet, ut conſideranti liquet, Sed ut quæſtio tota ex profeſſo ad omnium, ſed potiſſimum minus peritorum commoditatem (Sapientibus enim, & Inſipientibus debitores ſumus) tractaretur, atque omnino exhauriretur, ſimulque quam certa Probabiliſtarum Sententia ſit, prorſus demonſtraretur, utque etiam omnia, & ſin-

& ſingula eorum Argumenta ad juſtam, ſicuti initio diximus, demonſtrationem promoverentur, omnibus aliis demonſtrationibus demonſtratus eſt. Hoc autem in tanta quæſtionis ipſius celebritate, atque difficultate, in tanta rerum copia, atque diverſitate, non niſi pluribus paginis a nobis, ideoque prolixiori Opere fieri pro dignitate potuiſſe, manifeſtum eſt.

DEMONSTRATIO I.

QUÆ *electiva* approbatione ſive *formaliter*, ſive *virtualiter* approbat Eccleſia, per ſe licita ſunt (*a*).

Eccleſia *electiva* approbatione & *virtualiter*, & *formaliter* approbavit Probabiliſmum (*b*).

Igitur Probabiliſmus per ſe licitus eſt. Q. e. d.

(a) *per Ax.* 23. *& Cor. Ax.* 27.

(b) *per Cor.* 7. *Prop.* 1.

DEMONSTRATIO II.

LICITE poſſunt ad praxim per ſe deduci omnes ſententiæ morales faventes libertati D. Bonav., & D. Thomæ (*c*).

In hac praxi Probabiliſmus per ſe continetur (*d*).

Ergo per ſe licitus eſt. Q. e. d.

(c) *per Cor. Sup.* 28.

(d) *per Prop.* 1. *& hyp.*

ALITER EX ABSURDO.

Si Probabiliſmus non eſſet per ſe licitus, non poſſent ab omnibus, & per ſe ad praxim deduci ſententiæ faventes libertati D. Bonav., & D. Thomæ; ſed ab iis ſolum, quibus videntur, vel tum ſolum, cum videntur, vel illæ ſolum, quæ ſunt, aut videntur probabiliores (*e*).

Hoc eſt abſurdum (*f*).

Ergo Probabiliſmus per ſe licitus eſt. Q. e. d.

(e) *per hypoth. & Sch. Cor. Sup.* 28.

(f) *per idem.*

SCHO-

SCHOLIUM.

ADVERTAT Lector, has Demonſtrationes locum habere, etiam in hypotheſi approbationis ſolius Doctrinæ D. Thomæ, ut ſuo loco demonſtravimus; ſimulque ex his ſolis rem æternum, ut ſupra diximus, omnino confici, etiamſi cæteræ omnes deficerent. Nos enim Eccleſiæ judicium ſecuti, Probabiliſmum licitum ſine religione reputabimus, quouſque eadem illud retractaverit, noſque admonuerit, non eſſe in praxi tutas ſententias faventes libertati D. Bonav., & D. Thomæ. Quod num, & quando contingere poſſit, Lector idem judicabit.

DEMONSTRATIO III.

(a) *per Ax.* 5.
(b) *per Prop.* 1.

QUOD eſt tutum eſt per ſe licitum (*a*).
Probabiliſmus eſt tutus (*b*).
Ergo eſt per ſe licitus. Q. e. d.

DEMONSTRATIO IV.

(c) *per Cor.* 2. *Def.* 16. *& Def.* 12. 13.
(d) *per Cor.* 5. 6. *Ax.* 17., *& Prop.* 9.

QUOD eſt rectum, rationi conforme, & prudens, vel ſaltem non malum, & imprudens eſt licitum (*c*).

Probabiliſmus eſt rectus, rationi conformis, prudens, vel ſaltem non malus, & imprudens (*d*).

Ergo licitus eſt. Q. e. d.

ALITER

(e) *per Cor. Prop.* 9.

Qui operatur recte, & prudenter, vel ſaltem non temere, & imprudenter, licite operatur (*e*).

Qui ſequitur Probabiliſmum, operatur recte, & pru-

& prudenter, vel ſaltem non temere, & imprudenter (*a*). (a) *per eamd.*

Ergo licite operatur; ideoque Probabiliſmus licitus eſt. Q. e. d.

DEMONSTRATIO V.

NON tenemur ad melius, aut tutius (*b*). (b) *per Ax.* 8.
Probabilioriſmus eſt melius, aut tutius (*c*). (c) *per Cor.* 5. *Ax.* 17., *& Schol. Def.* 24. *n.* 9.

Ergo non tenemur ad Probabilioriſmum, ideoque Probabiliſmus licitus eſt. Q. e. d.

DEMONSTRATIO VI.

QUANDO præceptum eſt incertum, non obligat (*d*). (d) *per Cor. Prop.* 4.
In Probabiliſmo præceptum eſt incertum (*e*). (e) *per Cor.* 3. *Supp.* 4.
Igitur non obligat; ac propterea ille licitus eſt. Q. e. d.

ALITER

Cum Lex non exiſtit, vel ſaltem non eſt ſufficienter promulgata, non obligat (*f*). (f) *per Ax.* 19.
In Probabiliſmo Lex non exiſtit, vel ſaltem non eſt ſufficienter promulgata (*g*). (g) *per Prop.* 5.
Ergo in eo Lex non obligat; ideoque licitus eſt. Q. e. d.

DEMONSTRATIO VII.

QUOD nullo præcepto prohibetur licitum eſt (*h*). (h) *per Def.* 12.
Probabiliſmus nullo præcepto prohibetur (*i*). (i) *per Prop.* 7.
Ergo licitus eſt. Q. e. d.
Hæc eſt Demonſtratio principalis, qua res tota in-

intrinſece continetur, & ad quam cæteræ omnes, ut in Analyſi dixi, reducuntur.

DEMONSTRATIO VIII.

CUm præceptum, etiamſi vere exiſtit, non eſt tamen ſufficienter promulgatum, non obligat (*a*).

Præceptum de vitando Probabiliſmo, etiamſi exiſtit, non eſt tamen ſufficienter promulgatum (*b*).

Igitur non obligat; ideoque ille licitus eſt. Q.e.d.

(a) *per Ax.* 19.

(b) *per Prop.* 8.

DEMONSTRATIO IX.

IGNORANTIA invincibilis, etiam præviſa, excuſat a peccato (*c*).

In Probabiliſmo eſt ignorantia invincibilis, licet præviſa (*d*).

Ergo ille excuſat a peccato; ideoque licitus eſt. Q. e. d.

(c) *per Sch. Ax.* 14., *&* *Cor.* 4. *Sup.* 5. 6.

(d) *per Prop.* 10.

DEMONSTRATIO X.

CUm Libertas humana in poſſeſſione eſt, ejus operatio licita eſt (*e*).

In Probabiliſmo Libertas humana in poſſeſſione eſt (*f*).

Ergo ſua actio licita eſt; & ideo licitus Probabiliſmus. Q. e. d.

(e) *per Cor. Ax.* 22.

(f) *per Prop.* 6.

DEMONSTRATIO XI.

IN ſpeculativis, & practicis politicis Probabiliſmus eſt licitus (*g*).

(g) *per Sup.* 19.

Igi-

Igitur & in practicis moralibus. Etenim omnia utrobique paria ſunt (*a*).

Quinimmo in his practicis moralibus multo magis licitus eſt, quam in ſpeculativis: cum minor adhuc perſuaſio requiratur in iſtis, quam in illis (*b*). Q. e. d.

(a) *per Cor. Ax.* 11., *&* *Prop.* 9. *Demon.* 1.

(b) *per Cor. Sup.* 17.

DEMONSTRATIO XII.

IN rebus Fidei Probabiliſmus eſt licitus (*c*).

Ergo etiam in moribus. Nam utrobique par ratio eſt (*d*).

Quinimo in moribus potiori ratione, quam in rebus fidei, licitus eſt; tum quod res fidei nobiliores, tum quod magis neceſſariæ, tum denique quod periculoſiores ſunt (*e*). Q. e. d.

(c) *per Cor.* 10. *Sup.* 19.

(d) *per Schol. Ax.* 15.

(e) *per idem.*

DEMONSTRATIO XIII.

IN moralibus licita eſt quæcumque oſtenſio perſuaſiva (*f*).

Probabiliſmus eſt aliqua oſtenſio perſuaſiva (*g*).

Ergo licitus eſt.

(f) *per Ax.* 12.

(g) *per Cor. ejuſd. & hypoth.*

DEMONSTRATIO XIV.

IN rebus obſcuris, & incertis proprium judicium alieno ſubmittere licitum eſt (*h*).

Probabiliſmus eſt in rebus obſcuris, & incertis (*i*); in eoque proprium judicium alieno ſubmittitur (*k*).

Ergo licitus eſt.

Imo ejus uſus, non ſolum licitus, verum etiam virtuoſus, laudabilis, quinimo & valde laudabilis eſt, quandoquidem proprium judi-

(h) *per Ax.* 13.

(i) *per Supp.* 4.

(k) *per hypoth:*

[illegible], [illegible] licitum, [illegible], & [illegible] laudabile [illegible]

DEMONSTRATIO XV.

Q[illegible]

DEMONSTRATIO XVI.

Q[illegible]

DEMONSTRATIO XVII.

Q[illegible], neque [illegible] (c). [illegible] probabiliter [illegible]

[illegible] quoad [illegible], Demon- [illegible], & tertia [illegible]

[illegible] PARTIS.

PRO-

PROBABILISMUS

METHODO MATHEMATICA

DEMONSTRATUS.

PARS SECUNDA.

In qua oſtenditur ex Scholæ Authoritate, ac Praxi Probabiliſmum licitum eſſe.

ETSI in prima Parte ita Probabiliſmus abunde ſit Ratione licitus demonſtratus, ut omnino ſuperflua ulterior demonſtratio videatur; tamen ad doctrinæ amplitudinem, conſummatamque perſuaſionem libet Scholæ etiam ipſius Authoritate, atque Praxi demonſtrare; ut vel ex hoc præſertim appareat, non antiquitati incognitum, ac ſexto dumtaxat devergente Sæculo inventum, uti Probabilioriſtæ criminantur, ſed antiquum, & ſuperioribus etiam ſæculis cognitum extitiſſe.

Scholæ autem nomine diverſarum Scholarum Principes, eorumque ſimul ſectatores intelligimus. Quinam autem hi Principes ſint, Præmonitione tertia Partis primæ. diximus. Sed ut iſtorum meritum magis cognoſcatur, & ad Lectorum utilitatem, totiuſque Operis illuſtrationem, præſtat brevem quamdam hiſtoriam, tum eorum, tum aliorum Doctorum, quos iiſdem adjecimus, præmittere, ſicut ibidem polliciti ſumus.

1. Primus igitur tempore eſt S. Raymundus. Hic fuit ex Ordine Prædicatorum, Vir doctus, & ſanctus. Natus eſt anno 1205., vita functus valde ſenex 1295.. Primus compoſuiſſe dicitur eam Summam de Moribus, quæ jam nota eſt: de qua Summa: Clemens ipſe VIII. in Bulla Canonizationis: *Romana Catholica Eccleſia* 1601. hæc habet. *Conſcripſit etiam Summam Caſuum Conſcientiæ, qui ſolent in Foro Pœnitentiæ frequenter occurrere, magnæ Doctrinæ, atque authoritatis, & tam Confeſſariis, quam Pœnitentibus valde utilem, & neceſſariam*. Hanc animadverſionibus illuſtravit F. Wilhelmus, ſeu Guillelmus Rhedonenſis Gallus Ordinis Prædicatorum, qui floruiſſe perhibetur ante medietatem Sæculi decimi tertii. Vide, ſi lubet, Editionem hujus Summæ Veronenſem 1744. Edidit etiam Decretalium Collectionem juſſu Gregorii IX., cujus fuit Capellanus, & Pœnitentiarius.

2. B. Albertus Magnus Ordinis Prædicatorum. Fuit Theologiæ Profeſſor primum Coloniæ, ubi Auditorem habuit D. Thomam, deinde Pariſiis, Magiſter Sacri Palatii, & Epiſcopus Ratiſponenſis. Vir doctiſſimus in qualibet facultate,

ita

ita ut paucos pares habuiſſe legatur, & innumera compoſuit Opera, quæ jam edita ſunt. Natus 1205., mortuus 1260.

3. Alexander Alenſis Ordinis Minorum, Vir eximiæ Doctrinæ, & ſummæ pietatis. Fuit Profeſſor Theologiæ Pariſiis, & Magiſter S. Bonaventuræ. Primus Summam integram Theologicam confecit, juſſus ab Innocentio IV., quam ob Auctoris mortem imperfectam, Alexandri IV. imperio, complevit, & perpolivit Gullielmus de Militona Ordinis Minorum, eidemque Pontifici præſentavit. Pontifex vero Opus a ſeptuaginta duobus Pariſienſibus Theologis recognitum, approbatum, & commendatum, edito Diplomate etiam approbavit, & confirmavit, ac Pariſienſi Academiæ ſequendum, & docendum propoſuit. Florebat 1240. nam occubuit 1245. Doctor Irrefragabilis, licet pro Sæculi more, tamen jure merito dictus eſt.

4. D. Thomas, & D. Bonaventura florebant poſt medium Sæculi tertiidecimi; nam an. 1274. mortui ſunt. Supervacaneum eſt de his plura dicere, cum & illi, eorumque Opera jam ſatis nota ſint. Fuerunt ambo eximiæ Doctrinæ, & ſanctitatis, ambo Pariſienſes Theologiæ Profeſſores, ambo inter ſanctos adſcripti, ambo declarati Patres, & Doctores Eccleſiæ, ac Primarii, & Præcipui inter eos, qui Theologiæ Magiſterio excelluerunt, alter a Pio V., alter a Sixto V., amborum Doctrina ab Eccleſia eſt approbata, quo modo in prima Parte traditum eſt. Ad hæc D. Bonaventura fuit ſui Ordinis Generalis, Epiſcopus Albanenſis, & Cardinalis. Hic Ordinis Minorum, ille Ordinis Prædicatorum lumen, ac decus fuit. D. Thomas eſt

Princeps Scholæ Thomiſticæ longe omnium univerſaliſſimæ, ac celeberrimæ; nam illum Theologi majori ex parte ſequuntur. Sancti vero Bonaventuræ Doctrinam, præter alios, Capuccinorum Ordo potiſſimum amplectitur, & profitetur. S. Thomas Doctor Angelicus, S. Bonaventura Doctor Seraphicus nuncupatur.

5. Henricus Goethals a Gandavo Ordinis Servorum B. M. V. Coloniæ Albertum Magnum audivit, & inter Gandavenſes primus Doctoris Theologi nomen adeptus eſt, atque Theologiam in Gymnaſio Pariſienſi docuit. Floruit a medietate Sæculi tertiidecimi, & anno 1299. defunctus eſt. Scripſit multa, inter quæ Quodlibeta, quæ ſunt hujus Doctoris præcipuum, aureumque Opus. Doctor ſolemnis dictus eſt. Hunc veluti Principem Servitæ ſequuntur.

6. Joannes Duns Scotus Ordinis Minorum. Floruit labente Sæculo tertiodecimo; nam 1308. obiit. Fuit Vir ſubtiliſſimus, & doctiſſimus in Theologicis, Philoſophicis, Mathematicis, aliiſque, ut ex pluribus ejus Operibus liquet. Eſt Princeps alterius valde celebris Scholæ, Scoticæ, ac Subtilis nuncupatæ, eumque Minoritæ omnes ingenti numero, & latiſſime per Orbem diffuſi, aliique permulti ſequuntur. Pariſiis primum, deinde Oxonii Theologiæ Profeſſor fuit. Doctor Subtilis vocatur.

7. Eodem tempore floruit Ægidius Columna Romanus Ordinis Heremitarum S. Auguſtini; e vivis enim deceſſit an. 1306. Hic primus ex ſuo Ordine Pariſiis Doctoratus Lauream accepit, & Theologiam profeſſus eſt. Fuit Auditor, & Diſcipulus D. Thomæ, ejuſque Doctrinam ſtrenue defendit. Sui Ordinis Genera-

lis,

lis, & Cardinalis, & undequaque Doctiſſimus. Scripſit varii generis Opera. Hic appellatur Doctor Fundatiſſimus, eumque Heremitarum Ordo in Ducem ſuæ Scholæ adoptavit.

8. Joannes Bakonus Anglus Ordinis Carmelitarum, Doctor Reſolutus nuncupatus, Vir doctiſſimus, ac ſubtiliſſimus. Fuit enim inſignis Philoſophus, Theologus, Juriſperitus. Plura ſcripſit. Claruit ſub ann. 1345. Eſt Princeps Scholæ Carmelitanæ.

9. Gullielmus Okamus Anglus Ordinis Minorum, Scoti primum Diſcipulus, poſtea acerrimus Impugnator. Fuit Vir ingenio ſubtiliſſimo, ſed nimis fervido, ac doctiſſimus. Multa reliquit Opera. Scholam vel inchoavit, vel maxime ſtabilivit Nominalium, unde iſtorum Princeps eſt. Claruit potiſſimum tempore Joan. XXII.

10. Horum omnium Opera, quæ uſui in hanc rem eſſe poterant, quæque in promptu fuerunt, legi, conſului, expendi, contuli, ex iiſdemque quæ opportuna viſa ſunt in Adverſaria conjeci.

Et quidem D. Thomæ Theologorum facile Principis hæc Opera legi.

Integram Summam.

In Quatuor Sententiarum Primo, & Secundo Scripto. Nam in hos Libros ſemel, atque iterum ſcripſit.

Quæſtiones Diſputatas.

Quodlibeta.

Ethicam.

Opuſcula omnia certa, & genuina.

D. Bonaventuræ in Quatuor Sententiarum.

Scoti in Quatuor Sententiarum.

Quodlibeta.
Reportata Pariſienſia.
Henrici Gandavenſis Quodlibeta.
Ægidii Romani in Primum, & Secundum Sententiarum. Nam Quartus Sententiarum, quod ſciam, editus non eſt, & Tertius ad manum haberi non potuit.
Quodlibeta.
Bakoni in Quatuor Sententiarum.
Quodlibeta.
Okami in Quatuor Sententiarum.
Alberti Magni in Quatuor Sententiarum.
Summam Theologiæ.
Alteram pariter Summam de Creaturis.
Alexandri Alenſis Summam Theologiæ.
Sancti Raymundi Summam Caſuum Conſcientiæ.

Ex horum Doctorum communi Doctrina Opus compactum, atque elucubratum eſt. Quo fit, ut nihil ſit a me poſitum, & affirmatum, quod non, licet aliunde certum ſit, vel omnium, vel plurium, vel ſaltem alicujus ex his Principibus, aliiſque adjectis Doctoribus authoritate etiam confirmari poſſit, quemadmodum Docti experiri poterunt, & Ego in Prima Parte pro re nata pluries oſtendi. Non enim omnia ſunt in ſingulis, quandoquidem non omnia a ſingulis, vel univerſe, vel eodem modo tractata ſunt: eſt tamen ſimul in omnibus, unde res univerſa confici poſſit. Quæ cauſa fuit, cur unius dumtaxat, aut alterius teſtimonio, cum res poſtulabat, ſæpe contentus fui. Non enim aliter potui.

11. Cur autem iſtorum tantum potiſſimum Antiquorum auctoritate, atque exemplo utar, hiſ-

hiſque ſolis conſenſum totius Scholæ concludam, cum alii plures magni Doctores ſint, qui poſtmodum in ea floruerunt, quique pariter antiqui ſunt; præter eminentem horum aliquot ſanctitatem, omnium vero jam cognitam doctrinam, ac venerandam ipſam primævam ejuſdem Scholæ Theologicæ vetuſtatem, duo præſertim in cauſa ſunt. Alterum, quod Probabilioriſtæ toti antiquitati, ut ſupra dixi, & his præcipue Doctoribus, Probabiliſmum incognitum fuiſſe arbitrantur. Alterum, quod aliorum teſtimonia, aut exempla congeminare omnino ſupervacaneum eſt. Primo etenim hanc Spartam alii adornavere, qui omnium ferme antiquorum textus, & exempla diligenter excuſſerunt, ut Doctis notum eſt. Tum poſteriores priores exſcribere, hoc eſt non ſolum ſententias, verum etiam verba ipſa paſſim ſequi ſolent. Tandem ex quo Scholaſtica methodus inventa eſt, omnes, qui ſtudiis ſacris dant operam, quique in hac propterea Controverſia partem habent, (non enim alii, nempe profanis, aut politioribus ſtudiis addicti habere ſolent) non ſolum hos Scholarum Principes magni faciunt, ac venerantur, ſed etiam ſub unius, vel alterius vexillo, aut expreſſe militant, (his nunc adde etiam Suarium, & Vaſquium, duarum aliarum Scholarum quoque Principes, quos Præmon. 3. p. p. commemoravi) aut ſaltem unius, vel alterius, vel plurium ſimul opiniones ſequuntur. Sed præſertim Scoti, & D. Thomæ, qui in Re Theologica utramque inter cæteros paginam faciunt, quorumque Scholæ frequentiores, & celebriores habentur, quamvis iſtius adhuc magis, illius minus. Quapropter ſi oſtendatur tum ex

com-

communi horum omnium tantum Principum, aliorumque adjectorum Doctorum, qui iſtos etiam ætate præceſſerunt, ſcientia vero pares ſunt, Doctrina, quod etiam prima Parte fecimus; tum auctoritate, ac praxi, quod hac ſecunda facturi ſumus, Probabiliſmum iſtis Doctoribus placuiſſe, is non poterit non eſſe antiquus, atque omnibus approbatus. Quamquam hoc negotium etiam communi ſolius Scoti, ac D. Thomæ Doctrina, ac auctoritate ob utriuſque Scholæ, ut dixi, celebritatem; vel D. Thomæ, & D. Bonaventuræ ob utriuſque doctrinæ, ſicuti in Supp. 21. 22. oſtendimus, approbationem, facile terminari poteſt. Immo, ut tandem expromam quod res eſt, ſolius D. Thomæ. Primo enim Probabilioriſtæ fere omnes ejus Sectatores ſunt. Deinde tum illi in rejiciendo, tum Probabiliſtæ in aſſerendo Probabiliſmo hoc potiſſimum Doctore utuntur, quia hunc illi maxime affirmant, hi negant maxime ab eo abhorruiſſe. Quocirca ſi ex hoc ſolo Principe, vel ea tantum ſumantur, de quibus inter utroſque conveniat, vel etiam quæ ſolum a Probabilioriſtis admittuntur, poterit certo lis hæc demonſtratione vel abſoluta, vel comparativa, ſeu *ad hominem*, ut Schola loquitur, tandem aliquando determinari. Omnibus his modis fuiſſe a me determinatam Lector ex Opere toto cognoſcet.

His explicatis ſecundam quoque Partem ingrediemur, poſtquam aliquot Canones, Præmonitiones, ac Suppoſitiones pro recta intelligentia de Auctorum mente, ac Praxi, præmiſerimus.

CA-

CANONES.

I.

IN practicis moralibus hæ locutiones: *verius; certius; veroſimilius; verior; certior; veroſimilior opinio; ſententia eſt, &c.* non intelliguntur de veritate, & certitudine reali, abſoluta, & objectiva, ſed de ſubjectiva, apparenti, & relativa.

Tum quod ita intelliguntur etiam in ſpeculativis, & politicis practicis (*a*), quibus moralia practica omnino ſimilia ſunt (*b*): tum quod veritas realis, & objectiva nequit eſſe major, aut minor, quia indiviſibilis eſt (*c*).

(a) *per* Cor. 13. *Supp.* 19.

(b) *per* Cor. *Ax.* 11.

(c) *per* Cor. *Def.* 2.

II.

In practicis moralibus a comparativo ad poſitivum, etiam in diverſis ſuppoſitis, ex Auctorum mente, ac praxi valet conſecutio.

V. G. Valet. Opinio A eſt probabilior, aut tutior: ergo opinio B contradictoria eſt probabilis, aut tuta.

Intelligitur cum conditionibus Cor. 8. Supp. 19. primæ Partis: nam per ſe non valet (*d*).

(d) *per Can.* 12. *p. p.*

Cor. Hinc cum Auctores in practicis moralibus, de oppoſitis opinionibus cenſendo, verbis comparativis, *probabilius; melius; veroſimilius; tutius; probabilior; verior; tutior; melior ſententia eſt*, &c., ex una parte utuntur, oppoſitam tanquam probabilem, ac tutam admittunt.

Cum

III.

Cum in practicis moralibus non *aſſerendo*, ſed *opinando*, vel *oppoſitum tanquam erroneum minime reprobando*, partem unam quæſtionis, ſive tanquam æque probabilem, ſive etiam ut probabiliorem eligunt, alteram eligi quoque poſſe permittunt.

Porro tunc tantum *opinando*, & non *aſſerendo*, vel *oppoſitum velut errorem non improbando* eligunt, cum utuntur locutionibus, vel modis in Schol. Supp. 19. primæ Partis allegatis. Unde Bakonus in 4. Diſt. 22. quæſt. 1. art. 6. Dubio de aquiſitis in Excommunicatione, ſimilia habet in Re practica, ac D. Thomas ibidem allegatus in Re ſpeculativa. *Oſtienſis quoque*, inquit, *loquitur in hac materia opinando, & putando, & modicum exemplificat. Unde dicit, videtur, &c.*

Hi Canones intelliguntur in practicis, eodem modo, atque cum iiſdem conditionibus, & explicationibus, quibus intelligitur Doctrina his contenta in ſpeculativis, & practicis politicis; ob eaſdemque rationes hi veri, & certi ſunt (*a*). Unde quo ſenſu, & qua ratione ex locutionibus, vel modis diſputandi infertur, Doctores Probabiliſmi uſum admiſiſſe in politicis practicis, atque ſpeculativis, ſicut Supp. 19. primæ Partis traditum eſt; eodem ſenſu, eademque ratione infertur, admittere etiam in moralibus practicis. Recole ibi omnia, confer, & expende.

(a) *per* Cor. *Ax.* 11.

PRÆ-

PRÆMONITIONES.

I.

QUOAD uſum Probabiliſmi, inter Scholæ Principes, ex Okamo nullum ſpeciale exemplum allatum eſt, quia in toto Opere ſuper Quatuor Sentent. nulla eſt quæſtio practica moralis, ſed omnes ſpeculativæ, & quidem ſubtiliſſimæ ſunt.

Item nullum ex Henrico, (quamquam afferri ſane aliquo modo poterat, uti Cor. Supp. 4. dicemus) ob rationem infra afferendam Supp. 2.. Sed huic propterea S. Raymundus, Alex. Alenſ., & Alb. Magn. ſubſtituti ſunt.

Porro dictum eſt de Okamo, *nullum exemplum ſpeciale*, quia quod ad generalem Doctrinam de licito uſu probabilitatis comparatæ ſpectat, locum præciſum, & formalem infra dabo, quo res determinata continetur.

I I.

Exempla ſpecialia non eodem modo a ſingulis Doctoribus poſtulanda ſunt. Non enim ſinguli Res omnes eadem via, ac ratione tractaverunt, ut in eorum lectione exercitatis notum eſt. Quapropter non eſt opus, ut exempla afferantur juxta omnes modos, qui Supp. 19. primæ Partis expoſiti ſunt, ex quorum quolibet licita probabilitatis comparatæ electio legitime colligi poteſt, ſed ſatis eſt juxta unum, aut alium; cum ſecundum quemlibet res ſufficienter conficiatur.

In

III.

In his Doctoribus, ubi exempla præſertim vel juxta Canon. 2., ejuſq. Coroll., vel juxta 3. clarioribus, atque fortioribus loquendi formulis expreſſa, cujuſmodi illæ ſunt: *neutram reprobo: utraque ſuſtineri poteſt: ſi quis contrarium velit ſuſtinere: elige quam mavis:* & ſimiles, inveniuntur, ea utpote ad rem demonſtrandam aptiora tantum afferentur, relictis aliis, quæ juxta alias loquendi formulas, alioſque cenſendi modos afferri poſſent, ne ſuperfluis Lectores graventur. Ubi vero ejuſmodi deſunt, his utemur, quia, ut ſupra dixi, non apud omnes Doctores Res eadem via, ac ratione tractatæ ſunt. Nam etſi ex ſola methodo Res decernendi *opinando*, non *aſſerendo*, atque ideo ex uſu alicujus locutionis, aut modi ex aſſignatis Sup. 19., legitime permiſſa a Doctoribus comparatæ probabilitatis electio colligatur, unde per ſolum generalem 3. Can. ſupra traditum res univerſa abſolvi poſſit: tamen diſtinctius, & fortius per Canon. 2., & 3. juxta prædictas expreſſiores, & efficaciores formulas agi poteſt, quia in iis vis major deductionis comprehenditur. Ubi etiam advertendum eſt, cum a nobis variæ opiniones de re aliqua per Doctores commemoratæ referuntur, nos vim non facere in ipſa veritate probabilitatis, quaſi quod omnes illæ oppoſitæ opiniones vere probabiles ſint, ſed ſolum in efficacia deductionis. Etenim opiniones multæ, quæ veteribus aliquibus placuerunt, jam antiquatæ, & obſoletæ, vel etiam nunc falſæ, aut improbabiles ſunt. Itaque exempla tantum afferuntur, ut appareat, ex modo lo-

loquendi Doctorum, & cenſendi de rebus practicis legitime colligi poſſe, eos probabilitatem libertati faventem quomodolibet comparatam licitam admiſiſſe.

I V.

Ad rem conficiendam ſatis eſſet exempla tantum ex D. Thoma, & D. Bonav.; vel ex D. Thoma, & Scoto, vel etiam ex ſolo D. Thoma in medium afferre ob rationes ſuperius allegatas (*a*): ſed nos ad Doctrinæ abundantiam ex omnibus Doctoribus, (excepto Okamo, & Henrico) commemoratis aliquot afferemus.

(a) *In Hiſtoria n.* 11.

SUPPOSITIONES.

I.

ANTIQUITUS Quæſtio de Probabiliſmo ex profeſſo agitata non eſt.

Hoc enim agitari cæpit circa ann. 1577., deinceps vero ſummo ſtudio, & calore, ut Docti norunt, peractum eſt. Ex quo liquet, quid per to *antiquitus* hoc a me loco intelligatur. Intelligo enim ſpatium trium circiter Sæculorum cum dimidio, quod fluxit, ex quo Scholaſtica Theologia a Scholarum Principibus, aliiſque Doctoribus commemoratis potiſſimum tradita eſt ad uſque tempus dimidii, & amplius, hujus Sæculi XVI.

Cor. I. Hinc ſi qui ſunt Veteres, qui de ea mentionem faciunt, potius indicaſſe, vel ut ſummum leviſſime tetigiſſe, quam pertractaſſe dicendi ſunt. Quod conſtat, ſi comparentur cum tot Doctoribus recentibus, qui a ſeſqui Sæculo, & am-

& amplius eam pertractarunt. Quare ex nullo antiquo Doctore exacta illius deciſio deſumenda eſt.

2. Hinc in veteribus Auctoribus non ſunt quærenda verba præciſa, & formalia pro alterutra Probabiliſmi parte, neque ex quibuſdam brevibus, ambiguis, luxatis, perſunctoriis, obſcuris, hinc inde diſperſis locis, ſed ex communibus eorum principiis, ex ratione, ac modo loquendi, diſputandi, quæſtiones dirimendi, vel potius ex ipſa Rei, ſeu opinabilitatis natura, de eorum mente in hoc negotio dijudicandum eſt.

I I.

Nemo Scholæ Principum quæſtionem Probabiliſmi quoad primam ejus partem, nempe quoad conflictum in opinionum æqualitate, in terminis propoſuit, ac pertractavit: Unus tantum quoad ſecundam, licet ſub aliis terminis. Hoc enim nuſquam in illis reperitur; immo neque in Alberto Magno, Alexandro Alenſi, ac S. Raymundo, ut ego in lectione omnium expertus ſum, & quilibet experiri poterit.

Dictum eſt autem, *quoad primam partem, & in terminis; unus tantum quoad ſecundam, ſed in aliis terminis;* quia Henricus eam propoſuit, leviter tractavit, & in partem negantem determinavit, ut in calce Operis apparebit, ubi integram ejus quæſtionem afferemus; ut cognoſcat Lector, nos nihil ingenue diſſimulare. Quæ ratio eſt, cur nullum ex eo ſpeciale exemplum attulimus, uti Præmonitione prima indicavimus, etſi nihilominus aliquo modo afferri poſſet, quemadmodum Cor. Supp. 4. innuemus.

Pau-

III.

Pauci Antiquorum aperte docent obligationem ſequendi probabiliora; bene multi vero ita hac de re varie loquuntur, & ita in tractandis diverſis opinionibus, ac quæſtionibus reſolvendis paſſim ſe gerunt, ut ambiguum relinquant, quid ſequantur, ac propterea Probabiliſmum alicubi rejeciſſe, alicubi aſſeruiſſe videantur; quod in cauſa eſt, cur tam a Probabilioriſtis, quam a Probabiliſtis in ſuæ cauſæ patrocinium allegari ſoleant.

Hoc exercitatis in Veterum lectione perſpicuum eſt, & quilibet experiri poterit conſulendo Auctores, qui ex profeſſo de Probabiliſmo tractaverunt. Porro per to *Antiquorum* eos, qui a Sæculo XIII. incluſive ad uſque circiter XVI. Sæculi medietatem ſcripſerunt, ut Supp. I. tactum eſt, intelligimus.

Exemplo ſit inter alios unus S. Antoninus. Is enim Par. I. Summæ tit. 3. cap. 10. §. 10. Probabilioriſmum aperte aſſerere videtur, unde Probabilioriſtæ a ſe certiſſime ſtare putant. Ibi enim Regula quarta docens quomodo quis ſe gerere debeat in rebus moralibus, ubi varietas opinionum reperitur, affirmat, poſſe quemlibet opinionem quamlibet amplecti, dummodo *bonam ſibi Conſcientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tanquam de probabiliore parte*. Simile repetit Reg. 6. Inquit enim, *poſſe, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quam pro oppoſita opinione*. Idem aſtruit tit. 9. cap. primo, §. 3. Reg. 10. Et Par. 2. tit. 4. cap. 6., §. 8. Et Par. 3. tit. 14. cap. 19., §. 8.

Aliis vero locis Probabiliſmum licitum inſinuare videtur, unde pariter Probabiliſtæ pro ſe ſtare arbitrantur, qui propterea loca oppoſita apte interpretari, & explicare nituntur. Id autem habetur Par. 2. tit. 1. cap. 11. §. 28. & præſertim 32. Et tit. 3. cap. 11. §. 6. Et tit. 4. cap. 8. Et tit. 5. cap. 9. §. 2. Et cap. 11. §. 2. Et tit. 12. cap. 4. Et Par. 3. tit. 1. cap. 20. §. 3. Et tit. 14. cap. 19. §. 15. Et tit. 16. cap. 1. §. 12. Et tit. 17. cap. 16. §. 1., & 2. Et cap. 20. §. 2. In omnibus his locis ita agit, & loquitur S. Doctor, ut Probabiliſmum reipſa, licet non verbis, admittere legitime colligatur. Quæ varietas unde oriri poſſit, in proximo Scholio a me planum fiet. Interim utut ſit de mente S. Antonini, nihil ad inſtitutum refert, quia tantum in declarationem Suppoſitionis exemplum illius allatum eſt. Nam nonniſi a nobis certa, & utrinque admiſſa in hoc Opere ſumenda ſunt.

Porro S. Antoninum verum Probabiliſmum, cujuſmodi in defenſione eſt, non obſtantibus iis clarioribus ſuperius allegatis locis, admiſiſſe, facile demonſtrari poteſt. Sed quidquid ſit de mente ejus, in præſentia, ut dixi, determinare nihil refert. Non enim hujuſmodi Doctore pro cauſæ noſtræ victoria indigemus.

SCHOLIUM.

QUONIAM hoc loco indicavi fieri poſſe, ut Probabiliſmus ab aliquo Doctore re, & veritate admittatur, licet verbis clare negari videatur, ne hoc a me dictum a Lectoribus paradoxicum, & ad oſtenſionem potius inge-

genii, quam veritatis excogitatum exiſtimetur, qua ratione verum eſſe poſſit explicandum eſt. Cur igitur hoc fiat (etiam eo prætermiſſo, quod poſſunt Auctores vel docere contradictoria, vel ſententiám mutare, vel docere probabiliter utrumque, vel pro his, aut illis circumſtantiis ſecundum utrumque reſpondere) rerum moralium primo incertitudo, ac difficultas, tum mentis diverſitas, ac imbecillitas, ipſius denique opinabilitatis natura in cauſa eſt. Cum enim Probabilioritas non ſit realis, abſoluta, & objectiva, ſed ſubjectiva, apparens, & reſpectiva (*a*), hic probabilitatis exceſſus ob rerum incertitudinem, & obſcuritatem, mentiumque varietatem, & infirmitudinem vix cognoſci poteſt (*b*): cumque unuſquiſque Doctor ſuas ſententias tanquam probabiliores tueatur (*c*); hinc fit, quod generatim quidem, & univerſe eſſe ſequenda probabiliora facile, ſpeciatim vero, & in peculiaribus difficilibus caſibus quid ſit probabilius determinare, hoc opus, hic labor eſt. Præſertim ubi Doctores approbati, ac magni, v. g. S. Thomas, S. Bonav., Scotus, Ægidius &c.: cum rationibus pariter magnis inter ſeſe diſſentientes inveniuntur. Quare cum ad hoſce caſus deventum eſt, ut dici ſolet, aqua hæret, neque quænam ex duabus contradictoriis pars eligenda ſit, de facili determinari poteſt. Unde tunc rem potius *opinando*, quam *aſſerendo* tranſigere neceſſe eſt. Quod fit, vel problematice utramque partem adductis, ac ſolutis contra, proque rationibus expreſſe defendendo; vel allegatis aut ſolis rationibus, aut ſolis ſive tacite, ſive nominatim Auctoribus, utramque partem in eo ſtatu relinquendo, nihilque de ſuo addendo:

(a) *per Cor.* 4. *Supp.* 10. *p. p.*

(b) *per Schol.* 2. *Def.* 26. 27. *n.* 4.

(c) *per Supp.* 10. *p. p.*

ſive cum his eiſdem conditionibus, in partem alterutram tanquam probabiliorem, ſive tacite, ſive expreſſe declinando; atque ideo aliquo ex iis modis, quos in Scholio Supp. 19. Partis primæ tradidimus, utendo, quibus opinionis utriuſque permiſſa, atque licita electio apud Auctores ſignificatur. Hac autem agendi forma, ac praxi Probabiliſmum ipſiſſimum noſtrum, ſin verbis, at re tamen, facto, & veritate contineri (nihil enim denique aliud Probabiliſmi nomine, quam hæc inter varias probabiles opiniones cujuslibet electio intelligitur) ex tota prima Parte, ſed præſertim ex ipſa poſteriori Controverſiæ expoſitione, perſpicuum eſt.

I V.

Nullus eſt ferme Doctor, qui de moralibus incertis non agat, vel frequenter, vel aliquando *opinando*, non *aſſerendo*; & ideo non utatur locutionibus, aut aliis modis in Schol. Supp. 19. primæ Partis in hanc rem allegatis.

Hoc enim ex Doctorum antiquorum lectione patet, & peritis notum eſt.

Cor. Hinc nullus eſt ferme Doctor ſive ex Antiquis, ſive ex Recentioribus, unde exempla liciti uſus Probabiliſmi merito deſumi non poſſint; etiam ex iis ipſis, qui vel expreſſe Probabilioriſmo favere (*a*), vel de eo leviter (*b*), vel ambigue, ac varie locuti ſunt (*c*). Nam hac communi, & conſueta omnibus ferme Doctoribus agendi ratione, nempe *opinando*, non *aſſerendo*, atque formula locutionis ex præfatis aliqua utendi, libera, ac licita Probabiliſmi electio, ſin verbis, at re, quod majus eſt, ac facto ipſo, ut ſupra dixi, luculentiſſime contine-

(a) *per Supp.* 2.
(b) *per Cor.* 1. *Supp.* 1.
(c) *per Supp.* 3.

netur(*a*). Quod qua ratione eſſe poſſit, proximo Scholio ſatis explicatum, atque probatum eſt. Unde a nobis exempla etiam ex D. Antonino, aliiſque pluribus Supp. 3. generatim indicatis, imo etiam ex Henrico ipſo, manifeſto cæteroqui Probabiliorifmi Aſſertore, facile afferri poterant; cum etiam iſti, ſicut & cæteri, de rebus moralibus incertis, vel ſæpe, vel aliquando hac ratione agant, quemadmodum per ſe Lectores poterunt experiri. Sed non eſt omnino opus, ſicuti univerſe Præmon. 4., & ſigillatim Supp. 3. indicavimus.

(a) *per Can.* 3.

Atque quod ita gerere potuerint olim ſe Veteres, mirum ſane non eſt. Sed enim quod poſſint ita ſe gerere etiam num Recentiſſimi, non ſolum valde mirum, verum etiam lepidum eſt. Sunt etenim præſentis etiam temporis Scriptores, jurati alioqui Probabilioriſtæ, qui, editis Operibus, Probabilioriſmum initio acriter defendentes, generatim quidem, non niſi tutiores vel æque probabiles, vel probabiliores ſequi opiniones ſe profitentur; at cum ad peculiares quaſdam difficiliores quæſtiones deventum eſt, pro eo, quod has tantum opiniones *affirmando* ſeligere, & ſpeciatim Lectoribus proponere, ac oſtendere debent, ſuæ profeſſionis, & obligationis videlicet obliti, rem totam etiam ſibi ipſi ſolum tranſigunt *opinando*, ideoque forma diſputationis aliqua utuntur ex iis, quibus libera cujuſvis opinionis optio permittitur. Neminem indigito, ſed ſolum Lectores cautos, & admonitos facio. Quæ procedendi diverſitas, & inconſtantia qui fieri poſſit, & unde oriatur, ſuperiori Scholio ſatis, inquam, oſtenſum eſt.

His præmiſſis tota hæc ſecunda Pars una Propoſitione demonſtrabitur.

PROPOSITIO.

SCHOLA, & Auctoritate, & Praxi Probabiliſmi uſum licitum demonſtrat.

Demonſtratur generatim dupliciter.

1. Primo. Cum Auctores *opinando*, non *aſſerendo* aut *oppoſitum non improbando* ſententiam aliquam eligunt, oppoſitam etiam permittunt, & licitam faciunt (*a*). Nullus eſt autem, vel ex Scholæ Principibus, vel aliis Doctoribus commemoratis, qui vel ſæpe, vel aliquando aliquam de rebus moralibus incertis ſententiam *opinando*, non *aſſerendo*, vel *oppoſitum non improbando*, non eligat (*b*). Igitur Schola univerſa uſu, ac praxi Probabiliſmum licitum facit.

(a) *per Can.* 3.

(b) *per Supp.*4.

2. Secundo. Okamus in 4. quæſt. 3. litt. R de ea quæſt. *An in parvulis virtutes per Baptiſmum infundantur*, hæc habet. *Ad tertium dico, quod nec poteſt probari per rationem, nec per auctoritatem Eccleſiæ, quod virtutes Theologicæ ſufficienter infundantur in Baptiſmo; quia licet Eccleſia reputat illam probabiliorem* (nempe eo tempore, nam nunc id eſſe de fide in Schol. 2. Def. 26. 27. notatum eſt) *quæ tenet, quod illæ virtutes infunduntur, tamen contrariam opinionem non damnat, ſicut patet Extra. de ſum. Trinit., & Fide Catholica cap. Multo lib. 7., & Extra. de Baptiſmo, & ejus effectu .... & ideo utrum infundantur, vel non dimittitur Doctoribus diſputandum, & inveſtigandum. Sic igitur patet, quod non apparet neceſſitas ponendi iſtas virtutes Theologicas in Baptiſmo.*

Idem affirmat etiam Major antiquus Scholaſticus in 4. Diſt. 4. q. 1. concl. 2.: imo clarius

rius dicit, *quod licet cuique tali determinationi* (nempe Eccleſiæ) *contraire*. Quem Doctorem propterea addo, quia eſt Probabilioriſta.

Opinio igitur, quæ non damnatur ab Eccleſia, generatim teneri, & defendi poteſt, etiam in conflictu oppoſitæ probabilioris, quia ea, de qua hic ſermo eſt, probabilior eſt. Et advertat Lector, id affirmari ab Okamo, & Majore in caſu probabilioritatis approbatæ, & declaratæ per Eccleſiam; ideoque probabilioritatis abſolutæ, & realis, qua major dari non poteſt. Quare ſi in hujus conflictu electio opinionis minus probabilis licita, multo magis in conflictu probabilioritatis reſpectivæ, & apparentis licita eſt.

Ægidius Quodlib. 6. quæſt. 5., quæ eſt. *An ad meritum, præter habitum gratiæ in eſſentia animæ, requiratur habitus Charitatis in voluntate*. De ſententia Magiſtri id negantis hæc habet. *Diximus vero*, inquit, *ſuper Primum Sententiarum, quod opinio Magiſtri ſubtilis eſſet, & quod non poſſet per rationes cogentes improbari. Quod ſic exponimus: non poteſt improbari per rationes cogentes, ideſt nondum vidimus, nec adhuc etiam videmus rationes, quæ ſic cogant, quod opinio Magiſtri non poſſit tolerari, ſicuti opinio aliorum, & maxime ſecundum eos, qui dicunt, quod idem ſit Charitas, & Gratia. Poteſt autem contingere*, (notet bene hoc Lector) *quod una opinio ſit probabilior, & rationabilior, quam alia; hoc tamen non obſtante alia toleretur ut opinio. Sic communis opinio multo probabilior, & multo rationabilior eſt, quam opinio Magiſtri: ſed propter hoc non ſequitur, ſi probabilior eſt ea opinio, quam alia, quod alia non poſſit opinio ſuſtineri*.

Et in calce loquens de ea laudata opinione,

quæ ſtatuit Charitatem, & Gratiam eſſe idem, ſicuti etiam eſſe idem ſive formaliter, ſive virtualiter animæ eſſentiam, & potentiam, ſubdit. *Si hoc ergo toleratur ut opinio, quamvis oppoſitum videatur nobis probabilius, & tolerabilius; poteſt & dictum Magiſtri ut opinio tolerari.*

Igitur de mente Ægidii minus probabilis opinio in conflictu probabilioris licite ſuſtineri, & doceri poteſt.

Neque refert, hæc fuiſſe ab Okamo, Majore, & Ægidio dicta in rebus ſpeculativis, & occaſione quæſtionis ſpeculativæ. Nam eadem omnino ratio eſt de ſpeculativis, ac practicis (*a*): & quod teneri, ac defendi licite poteſt, poteſt etiam licite practicari (*b*).

(a) *per Cor. Ax.* 11.
(b) *per Sup.* 13. *p. p.*

SCHOLIUM.

EX hoc Ægidii loco plura colliguntur. 1. Doctores per to *rationes cogentes* non intelligere rationes probabiliores, ſed certas, & evidentes in genere ſuo, ſeu tales, quibus probabilitas auferatur. 2. conſequens, probabilitatem non auferri, niſi per rationes hujuſmodi, atque ideo opinionem ſemper probabilem remanere, etſi in conſpectu probabilioris reponatur, neque per hanc enervari poſſe. 3. De utraque opinione ſive probabili, ſive probabiliori vere dici, quod *tolerari* poſſit. Itaque utraque tolerabilis eſt, illa minus, iſta magis, ſeu illa *tolerabilis*; iſta *tolerabilior*. 4. Denique, opinionem probabilem in conſpectu non ſolum probabilioris, ſed etiam multo probabilioris, ac rationabilioris tolerari, & ſuſtineri poſſe.

D. Th.

D. Thom. Quodl. 3. a. 10., ubi inquirit, utrum Auditores diverſorum Magiſtrorum tenentium diverſas opiniones excuſentur a peccato erroris, ſi opiniones Magiſtrorum ſuorum ſequantur, diſerte docet, in rebus fidei, & morum manifeſtis ex Scriptura, vel Eccleſiæ auctoritate, neminem excuſari a vitio erroris, ſi opinionem erroneam alicujus Magiſtri ſequatur; excuſari vero in rebus fidei, & morum hoc modo minime certis, ac declaratis, in hiſque propterea utramque ex diverſis opinationibus abſque erroris periculo ſequi poſſe. Et addit hujuſmodi eſſe, in quibus locum habet illud Apoſtoli ad Rom. 14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*.

Vide integrum articulum in fonte productum in calce Operis, & attente confer antecedentia cum conſequentibus, atque hunc eſſe genuinum, & unicum hujus articuli ſenſum clare perſpicies. Unde mirari ſatis non poteris, quomodo locus tam aperte Probabilioriſtis oppoſitus, ab iiſdem tamen nobis objectari poſſit. Nam is unus præſertim ex illis eſt, quibus iidem contra nos utuntur, ut in tertia Parte apparebit.

In rebus igitur pertinentibus ad fidem, hoc eſt ſpeculativis non ſolum, ſed etiam pertinentibus ad mores, hoc eſt practicis per Scripturam, vel Eccleſiæ auctoritatem non declaratis, hoc eſt minime certis, ex D. Thom. teſtimonio poteſt quilibet univerſim in ſuo ſenſu abundare; atque ideo ex diverſis opinionibus ſive æqualiter, ſive inæqualiter probabilibus quamlibet ſine peccato amplecti; quia nulla opinio ſive æque, ſive minus, aut magis probabilis Scripturæ, aut declarationi Eccleſiæ opponitur;

ſeu

(a) *per Cor.* 3. *Def.*26. 27.
(b) *per Cor.* 2. *earumd.*
(c) *per Sup.*13. *p. p.*

ſeu error eſt (*a*), ſed omnis incerta, & æqualiter incerta eſt (*b*). Et quod licite ſequi poteſt, poteſt etiam per ſe licite ad praxim deduci (*c*).

SCHOLIUM.

PRo aſſequenda, ac retinenda integra intelligentia, ac vi hujus loci, quattuor advertenda ſunt. 1. hic a S. Doctore quæſtionem de eo, quod inter diverſas Magiſtrorum opiniones ſine erroris peccato ſequi licet, vel non licet, non peculiariter, ſeu in aliqua ſpeciali materia, ut pluries alibi feciſſe conſtat, ſed univerſaliter, hoc eſt in materia qualibet fuiſſe propoſitam, ac reſolutam, ut ex verbis ipſis patet. 2. eidem quæſtioni ſufficienter fuiſſe ab eo ſatisfactum. Contrarium enim ſentire injuriam irrogat ingenio, ac doctrinæ S. Thomæ. 3. omnes Antiquos (hi autem multi ſunt) qui eamdem quæſtionem agitarunt, & hoc eodem loco ad verbum uſi ſunt, in hunc ſenſum intellexiſſe; & eorum neminem aut ei quæſtioni non fuiſſe a S. Doctore ſufficienter ſatisfactum indicaſſe, aut ſe quoque non ſatis feciſſe reputaſſe. 4. denique, has diverſas Magiſtrorum opiniones, quas ſequi licet, præter id, quod manifeſtæ Scripturæ, aut determinationi Eccleſiæ cognoſcantur non repugnare, jam ſupponi inſuper niti rationibus magnis, ſeu eſſe vere probabiles. Nam quod alicui principio certo tantum non opponantur, hoc ſolum facit, ut ab Eccleſia damnari non poſſint (*d*); quod autem ſine vitio teneri, & multo magis ad praxim deduci poſſint, etiam fundamentis ſolidis, ac magnis fulciri

(d) *per Sch. Ax.* 24.

ciri

ciri neceſſe eſt, cum utrumque requiratur ad licitam probabilitatem (*a*).

(a) *per Cor. Sup. 29. p. p.*

Tandem D. Bonav. in 3. Sentent. Diſt. 40. dub. 3. in quæſt. *An Sacramenta Legis veteris contulerint gratiam*; explicans quomodo ſe geſſerit in opinionibus tractandis, & eligendis, de ſemetipſo hæc ait .... *Cui communi poſitioni* (nempe quod Sacramenta Legis veteris gratiam non conferebant) *pro viribus meis in omnibus præcedentibus Libris adhæſi, tanquam via ſecuriori, & ſicut ſcio, & poſſum, mihi, & aliis conſimilibus parum intelligentibus perſuadeo adhærendum. Et quoniam per totum Librum hoc diligentius obſervavi, ſicut advertenti clarius apparebit, ut in iis quæſtionibus dubiis, & difficilibus, in quibus non potui deprehendere, quæ eſſet via communis, quia ſapientes opinantur contrarie ſapientibus, ſic unam partem tanquam magis probabilem ſuſtineri, ut tamen aliam minime improbarem.*

SCHOLIUM.

EX hoc pariter loco quattuor colliguntur: 1. per electionem partis probabilioris oppoſitam minus probabilem non rejici, aut improbari, ideoque eligi poſſe, non ſolum *ſimpliciter, & in ſenſu diviſo*, ſed *comparate*, & *in ſenſu compoſito*, ſeu qua minus probabilis eſt. Affirmat enim S. Doctor, minus probabiles non improbari, cum oppoſitæ tanquam probabiliores a ſe defenduntur. 2. Doctores opinionibus communibus, ſeu probabilioribus adhærere ſolere *tanquam via ſecuriori*, quod eſt, non ex neceſſitate, & obligatione, quaſi vero via oppo-

ſita ſecura non ſit, ſed ex conſilii bonitate. 3. Non improbari opiniones minus probabiles, licet oppoſitæ probabiliores eligantur, propterea quia *Sapientes opinantur contrarie Sapientibus*; ob idque potiſſimum *in dubiis*, *ac difficilibus* opiniones contradictorias non eſſe improbandas, ſed permittendas, & admittendas, quamquam probabiliores eligantur; ac propterea diſſentientibus Sapientibus inter ſe licite quaslibet eligi poſſe. 4. denique, id eſſe verum tam in ſpeculativis, quam in practicis, etiam ſecluſa ea ratione, quod par ſit omnino ratio in utriſque (*a*). Etenim D. Bonav. affirmat, ſe adhæſiſſe quidem opinionibus probabilioribus, ac ſecurioribus *in omnibus præcedentibus Libris* ſuis, alias tamen oppoſitas minus probabiles non improbaſſe. In Libris vero præcedentibus, nempe in eodem Tertio, & in Secundo multæ quæſtiones practicæ ſunt, ut quilibet videre poteſt. Quod idem feciſſe conſequens eſt in Quarto, ubi magna ex parte quæſtiones practicæ reperiuntur. In omnibus igitur his quæſtionibus practicis *dubiis* quidem, ac *difficilibus*, in quibus proinde *Sapientes opinantur contrarie Sapientibus* S. Bonav. eligit, defendit, docet opiniones probabiliores, ac ſecuriores, oppoſitas tamen ſibi minus probabiles, & minus ſecuras non rejicit, ac improbat, ſed permittit, admittit, & licitas facit.

(a) *per Cor. Ax.* 11.

Quod autem hi quattuor Doctores claris verbis expreſſerunt, & fecerunt, idipſum ſenſiſſe, quamvis iiſdem verbis non explicaverint, ac feciſſe, tametſi id minime aliunde conſtaret, cæteri Doctores cenſendi ſunt. Ita enim poſtulat natura rei, nempe opinabilitatis ipſius, incertitudinis, & difficultatis (*b*); ita modeſtiæ ratio,

(b) *per Sch. Sup.* 3.

tio, & reverentia Doctoribus varie opinantibus debita. Immo idipſum re vera omnes, licet non iiſdem verbis, tamen conſimilibus expreſſiſſe, cum illis locutionibus: *neutram reprobo*: *utraque ſuſtineri poteſt*: *elige quam mavis*: *ſine præjuditio*; & aliis hujuſmodi uſi ſunt; nam re ipſa omnes id genus formulis uſi ſunt (*a*). His enim loquendi, & cenſendi formulis unius quidem partis electio tanquam rationabilioris, ac tutioris, minime tamen alterius rejectio, ac improbatio ſignificatur (*b*).

(a) *per Supp.* 4.

(b) *per Can.* 3.

Schola igitur univerſa generali teſtimonio, ac praxi uſum Probabiliſmi licitum oſtendit. Q. e. d.

Demonſtratur ſpeciatim quoad exempla.

Incipiamus a D. Thoma, cujus quidem plura afferri poſſunt, ſed aliquot dumtaxat afferenda ſunt.

Exempla uſus liciti Probabiliſmi ex D. Thoma.

PRIMA 2., & 2. 2. quæſt. 74. art. 8. *Utrum conſenſus in delectatione ſit peccatum mortale*. Duas Opiniones recenſet, alteram pro libertate, ſeu talem conſenſum non eſſe peccatum mortale, alteram pro lege, videlicet eſſe. *Dicendum*, inquit, *quod circa hoc aliqui diverſimode opinati ſunt. Quidam enim .... alii vero ....* de affirmante pro lege ait. *Et hæc opinio eſt communior, & veroſimilior*.

Juxta Can. 2. *ejuſq. Cor.*

Iterum Lectorem admoneo, me in his exemplis vim non facere in veritate probabilitatis ſententiarum oppoſitarum, ſed in deductione.

In 3. Sentent. Diſt. 36. art. 6. *Utrum modus charitatis ſit in præcepto*. Affert quattuor opiniones cum ſuis rationibus, tres abſolute enuntian-

Juxta eumd.

tiantes, quartam diſtinguentem, quam amplectitur. De hac ait. *Et hæc opinio videtur probabilior.*

In 4. Sentent. Diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. ad 5. quæſtiunculam ad 2. argum.. *An ſit Simonia dare pretium Sacerdoti nolenti ſine ipſo in neceſſitate baptizare.* Duas opiniones innuit, affirmantem pro libertate dari poſſe, ſaltem ad redimendam vexationem, alteram negantem pro Lege, dari poſſe etiam pro redimenda vexatione. Hanc ſequitur, ſed inquit tamen. *Quidam vero dicunt, quod poteſt pretium dare, quia hoc non eſt Simoniam committere, ſed redimere vexationem. Sed primum melius videtur.* Nempe dari non poſſe. Inter eos, qui affirmantem defendunt, eſt S. Bonaventura, ut Supp. 13. dixi.

Juxta eumd.

Diſtinct. 8. quæſt. 1. art. 4. ad 2. quæſtiunculam ad 2.. *An quælibet ſumptio impediat jejunium neceſſarium ad receptionem Euchariſtiæ.* Loquens de aqua, duas affert, negantem pro libertate, affirmantem pro lege. Ait enim: *Sed de aqua diverſa eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod quia nullo modo nutrit, non ſolvit neque jejunium naturæ, neque Eccleſiæ. Sed quamvis aqua in ſe non nutriat, tamen commixta nutrit; & in ſtomacho oportet, quod aliis humoribus admiſceatur, & in nutrimentum cedere poteſt. Et ideo alii probabilius, & ſecurius dicunt, quod etiam poſt aquæ potum Corpus Chriſti ſumendum non eſt.*

Juxta eumd.

Diſt. 18. quæſt. 2. art. 2. ad. 1. quæſtiunculam. *An quilibet Sacerdos poſſit excommunicare.* Duas ponit, negantem pro lege, & affirmantem pro libertate. Ait enim. *Et propter hoc ſoli Epiſcopi propria Auctoritate, & majores Prælati*

Juxta eumd.

lati ſecundum communiorem opinionem poſſunt excommunicare; ſed Presbyteri Parochiales non niſi ex commiſſione eis facta, vel in certis caſibus, ſicut in Furto, Rapina, & hujuſmodi, in quibus eſt eis a Jure conceſſum, quod excommunicare poſſint. Alii autem dixerunt, quod etiam Sacerdotes Parochiales poſſunt excommunicare. Sed prædicta opinio eſt rationabilior.

Diſtinct. 19. art. 3. ad 1. quæſtiunculam ad 4. *An etiam in foro Conſcientiæ poſſit procedi ad accuſationem alicujus monitione non præmiſſa, nec emendatione expectata.* Ponit duas, affirmantem pro libertate, & negantem pro lege, & ambas admittit, & ambabus in reſponſionibus utitur. Ait enim. *Dicendum, ut quidam dicunt .... vel dicendum ſecundum alios.* Itaque problematicus eſt. *Juxta Can. 3.*

In 4. Diſt. 24. q. 1. a. 1. ad 5. quæſtiunc. ad 3. quæ eſt, *an Sacramentum Ordinis habeat materiam*; & ſpecialiter, an contactus materiæ requiratur de Sacramenti neceſſitate, vel ſufficiat materiæ porrectio. Ponit duas opiniones, negantem aliquorum, contactum hujuſmodi eſſe de eſſentia Sacramenti: ait enim in oppoſitione 3. *Sed ut a quibuſdam dicitur contactus dictorum materialium ab eo, qui ſuſcipit Sacramentum, non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum porrectio*: & affirmantem eſſe de eſſentia, quam ipſe defendit. Nihilominus aperte, & fatetur negantem ſuſtineri poſſe, & cauſam aſſignat, cur ſuſtineri poſſit. Ait namque ad 3. *Ad 3. dicendum, quod ſuſtinendo illud dictum apparet ex dictis cauſa ejus. Quia enim*, inquit, *poteſtas Ordinis non accipitur a materia, ſed a Miniſtro principaliter, idcirco porrectio materiæ magis* *Juxta eumd.*

eſt

eſt de eſſentia Sacramenti, quam tactus: tamen ipſa verba formæ videntur oſtendere, quod tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti, quia &c. Hæc autem quæſtio, & ſpeculativa ſimul, & practica eſt, ut liquet.

Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.

Diſtinct. 32. q. 1., art. 4. ad 3. in quæſt. *An unus Coniugum emittere poſſit Votum non petendi debitum, aut non redendi ſine conſenſu alterius.* Duas affert, alteram affirmantem pro libertate, alteram negantem pro lege. Et ait. *Dicendum quod circa hoc duplex eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod unus abſque conſenſu alterius poteſt vovere, quod non petat debitum, non autem quod non reddat, quia in primo uterque eſt ſui Juris, non in ſecundo. Sed quia ſi alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri Matrimonium oneroſum redderetur, dum oportet unum ſemper confuſionem petendi ſubire; ideo alii probabilius dicunt, quod neutrum poteſt unus ſine conſenſu alterius vovere.*

Juxta Can. 3.

Diſtinct. 33. quæſt. 2. ad 2. quæſtiunculam. *An illi, qui ſub Lege Moſis Uxores dimittebant per Libellum repudii, excuſarentur a peccato.* Duas ponit, alteram negantem, alteram affirmantem, & ambas admittit. Ait enim. *Et quamvis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communius ſuſtinetur; ideo ad utraſque rationes reſpondendum eſt.*

Ut autem magis appareat. D. Thomam utramque opinionem admiſiſſe, ad 3. quæſtiunculam hæc habet. *Dicendum quod ſecundum primam opinionem Uxor peccabat poſt repudium altero Viro coniuncta . . . ſed ſecundum aliam opinionem, ſicut licebat ex Divina diſpenſatione Viro Uxorem repudiare, ita Uxori alium Virum ducere . . . . Ut ergo ad utraſque rationes reſpondeamus.* Qua duplici opinione etiam ad 4. quæſtiunc. utitur.

Ita-

Itaque vel problematicus eſt, vel manifeſte aſſirmat, opinionem minus probabilem, & minus tutam in concurſu probabilioris tutioris licite ſequi poſſe.

Diſt. 37. quæſt. 1. art. 2. ad 3. in quæſt. *An Græci uxorati poſſint accedere ad ſacros Ordines ſine conſenſu Uxorum*. Duas innuit, affirmantem, & negantem, de qua ait. *Dicendum, quod ſicut probabilius videtur, quamvis quidam contrarium dixerint, etiam Græci non debent accedere ad Sacros Ordines ſine conſenſu Uxorum.* *Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.*

Atque ex his ſolis D. Thomæ exemplis Controverſia, etiamſi cætera exempla deficerent, jam confecta eſt; cum tam Probabiliſtæ, quam Probabilioriſtæ unanimi conſenſu compromittant in D. Thomam, uti Præmonitione 4. diximus.

Exempla ex D. Bonaventura.

IN 2. Diſtinct. 24. art. 2. quæſt. 2. *An pars inferior poſſit peccare mortaliter abſque ſuperiori*. De Delectatione, an ſit peccatum, hæc habet. *Aut advertit*, inquit, *periculum, & delectationem illam non repellit; ſed mentem in talibus cogitationibus revolvi ſinit: & tunc dicunt Magiſtri, quod peccat mortaliter, quia quamvis non ſit ibi conſenſus verus, eſt tamen ibi conſenſus interpretativus .... hoc tamen non eſt uſquequaque certum. Negant enim aliqui eſſe mortale in negligentia reprimendi, ubi eſt diſplicentia, quantumcumque quis periculum advertat; ſed tamen ſecurior via tenenda eſt, quidquid ſit veritas. Et ſi cui hoc contingat, ſanum eſt conſilium, quod de ipſo, ut de mortali pœniteat: in dubiis enim ſecurior* *Juxta Can. 2. & 3.*

via eligenda eſt. Itaque duas ſententias innuit, affirmantem pro lege, nempe mortaliter peccare, & negantem pro libertate, nempe non peccare, & illam tenet tanquam probabiliorem, & ſecuriorem. Ubi etiam ſignificat, in hujuſmodi incertis de conſilio (ait enim *ſanum eſt conſilium*) viam ſecuriorem tenendam eſſe.

Juxta Can.3. Diſtinct. 38. art. 1. quæſt. 4. *An omne mendacium ſit mortale Viris perfectis*. Ponit tres opiniones, quarum ſecunda libertati favet, nempe mendacium hujuſmodi non eſſe mortale, ſed veniale, tertia vero favens legi, nempe Viros perfectos publicos peccare mortaliter, ſi ſcienter mendacium dicant. Hanc tenet D. Bonav., motus præſertim auctoritate quadam D. Auguſtini, quem putat ita ſenſiſſe. Ut autem oſtendat etiam contrariam ſententiam teneri poſſe, ad quartum ſubdit. *Hæc autem ſunt dicta de mendacio ſecundum quod verba B. Auguſtini prætendunt, qui* .... Poſtea ſequitur. *Et propterea ſi quis vellet intelligere, quod mendacium, quod eſt aliis veniale, non ſit Viris perfectis mortale, poterit ad verba Auguſtini reſpondere, intelligendo per ea mendacium ſemper eſſe indecens, & malum Viris perfectis, quoniam mentiendo diſponunt ſe, & alios ad malum, non autem quod ſemper ſit eis mortale peccatum: & per hoc declinari poſſunt omnes rationes adductæ ad oppoſitum. Quidquid autem horum verum ſit, Viro tamen, qui perfectionem profitetur, cavendum eſt omne mendacium*. Itaque defendit, Viros perfectos publicos peccare mortaliter, & quidem tanquam probabilius de more, aperte tamen ſignificat, etiam contrarium teneri poſſe, cum etiam ſolutionem ad ſuæ ſententiæ argumenta adducat.

In

In 4. Diſtinct. 1. par. 2. quæſt. 2. art. 3. *An in Lege Moyſi poſſet differri, aut præveniri dies octavus Circumciſionis*. Affert duas ſententias, affirmantem pro libertate, nempe potuiſſe præveniri ſine peccato ob neceſſitatem, v. g. ob periculum mortis Pueri, etiam ſecluſa DEI diſpenſatione; & negantem pro lege, nempe non potuiſſe ſine peccato præveniri, etiam ob neceſſitatem, ſine DEI diſpenſatione. De prima dicit. *Sed hæc opinio licet probabilis videatur, tamen &c.*. Eam impugnat. Poſtea de ſecunda ait. *Et ideo alia opinio eſt, & probabilior*. *Juxta Can.2. ejuſq. Cor.*

Diſtinct. 21. Part. 2. art. 2. quæſt. 1. *An Sacerdos poſſit revelare Confeſſionem*. Ponit duas, alteram pro libertate, nempe non teneri Sacerdotem ad ſigillum, quando Pœnitens non confitetur ad obtinendam abſolutionem, ſed ficte v. g. ut revelet propoſitum occidendi, pejerandi &c., alteram pro lege, nempe teneri etiam in his caſibus ad ſigillum. Hanc tenet S. Doctor; de prima tamen ait. *Sed quamvis iſtud videatur dici probabiliter, tamen cum &c.* Eam impugnat de more. *Juxta Can. 3.*

Diſtinct. 38. art. 2. quæſt. 3. *An Pontifex poſſit diſpenſare in Voto*. (advertat Lector, quod quamquam hæc quæſtio, utpote tractans de poteſtate Papæ, videatur ſpeculativa, tamen revera practica eſt. Nam id decidit, quod ſi Pontifex facit, peccat, vel non peccat.) Ubi diſtinxit diſpenſationem in duplici ſenſu, nempe, ut eſt Juris relaxatio, & Juris declaratio, duas ſententias affert, primam affirmantem pro libertate, nempe poſſe diſpenſare diſpenſatione in primo ſenſu, ſecundam negantem pro lege, nempe non poſſe in eodem ſenſu, poſſe tamen *Juxta Can. 2. & 3.*

in ſecundo ſenſu. De hac negante, quam ſequitur ait. *Et hæc poſitio eſt rationabilior, & ſecurior, & quia magis per ipſam ſatisfit Conſcientiæ.* Itaque tenet diſpenſare poſſe in Voto diſpenſatione accepta, ut eſt Juris declaratio, affirmatque in hoc omnes convenire. Deſcendens poſtea ad peculiaria Vota, in quibus diſpenſare poſſit, affirmat quoque tanquam communiter admiſſum, diſpenſare poſſe *in omni Voto, quod recipere poteſt compenſationem melioris boni, ſive ſimpliciter, ſive pro loco & tempore.* Quæ vero ſint iſta Vota, quæ compenſationem hujuſmodi recipere poſſint, ait non omnes convenire. Itaque hac de re tres ſententias ponit. Prima eſt pro libertate, nempe eſſe Vota omnia, ideoque in omnibus Votis diſpenſare poſſe. Secunda favens aliquantulum Legi, nempe non poſſe recipere compenſationem hujuſmodi Votum Caſtitatis, bene vero omnia alia Vota, ideoque poſſe diſpenſare in omnibus, excepto illo. Tertia adhuc magis favens legi, videlicet non poſſe recipere talem compenſationem tria ſolemnia Vota Paupertatis, Caſtitatis, Obedientiæ, bene vero alia omnia, atque ideo, exceptis his tribus, poſſe in aliis omnibus diſpenſare. Poſtea ſubdit. *Quæ iſtarum trium opinionum ſit verior, fateor me neſcire, & ſatis quælibet poteſt bene ſuſtineri, ideo nullam aſſero. Si quis tamen vult hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifeſtum, ut dicatur, quia nec in nullo, ſed in quodam ſic, & in quodam non.* (En quomodo univerſe affirmare eſſe ſequenda probabiliora facile, in caſibus vero difficilibus, quid ſit probabilius, determinare, ut in Scholio Supp. 3. dixi, difficile eſt.) Itaque

que omnes præfatas ſententias admittit, dum affirmat, quamlibet ſatis bene ſuſtineri poſſe.

Atque ex his D. Bonavent. exemplis ſimul cum exemplis D. Thomæ, multo magis, etiam ſi cætera deficerent, Controverſia de licito Probabiliſmi uſu demonſtrative confecta eſt. Etenim iſtorum duorum Doctorum Doctrina ab Eccleſia approbata eſt (*a*).

(a) *per Sup.* 21. 28. *p.*

Exempla ex Scoto.

IN 4. Diſt. 33. quæſt. 3. *Utrum in Lege Moſaica fuerit licitum repudiare Uxorem.* Duas ſententias affert, negantem pro lege, & affirmantem pro libertate. Ponit rationes pro utraque, & utriuſque rationes ſolvit. Et quamvis videatur inclinare in partem pro libertate, & quia præter rationes communes aſſignat modum convenientem, quo ſuſtineri poteſt, adducendo nempe argumenta pro diſpenſatione Divina ad repudium; (nam ait. *Modus conveniens, quo opinio iſta teneri poſſet, eſt iſte, &c.* Et infra. *Sic ergo poſſet dici, quod ſicut Deus diſpenſavit in Bigamia propter majus bonum, ita cum iſta Gente in repudio propter majus malum vitandum;*) & quia huic affirmanti diutius inhæſit; propter quod Scholiaſtes in 2. Scholio dicit, Doctorem hanc partem libertati faventem tenere: Tamen quia in calce ait. *Qui vult tenere primam opinionem, ad argumenta in oppoſitum poteſt faciliter reſpondere*; fatetur Scholiaſtes idem ibidem, Doctorem problematicum eſſe; Commentator vero affirmat, negantem pro lege tenuiſſe tanquam probabiliorem, licet affirmanti diutius inhæſerit. Nam ait, non ideo id feciſſe,

Juxta Can. 2. *vel* 3.

quia iſtam teneret, ſed feciſſe, *ut reduceret eam ad debitum ſenſum, in quo poteſt ſuſtineri, & expediret difficultates, quæ ſunt urgentes*. Id quod legitime colligit ex ſuperioribus loquendi formulis *modus conveniens &c.*, *& ſic ergo poſſet dici, &c.*, quibus ſignificatur, ſi ea teneatur, hoc modo a Doctore aſſignato melius defendi poſſe. Itaque Scotus juxta Scholiaſtem in hac quæſtione problematicus eſt; juxta Commentatorem, ſententiam negantem pro Lege defendit tanquam probabiliorem. Quidquid autem aſſeratur, ex hoc exemplo uſus Probabiliſmi, ut liquet, licitus eſt.

Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.

Diſtinct. 35. quæſt. unica §. *Sed hic eſt dubium*. Primo ponit caſum. An ſi Vir conjugatus vivente propria Uxore nubat cum alia Muliere neſcia hujus Conjugii, ideoque impedimenti dirimentis inde conſequentis, mortua propria Uxore, poſſit, habita impedimenti diſpenſatione, ſine peccato ſimul cum illa permanere; quod eſt idem ac, an Matrimonium illud reddatur validum, ſi Vir ipſe tantum de novo in Matrimonium conſentiat, Muliere de priori impedimento nec certiorata, nec de novo conſentiente. Hunc reſolvit negative, nempe Matrimonium non revalidari, ideoque ſine peccato habitare ſimul non poſſe, quia docet utrumque requiri ad Matrimonii validitatem, ideoque ad licitam eorum cohabitationem, & quod Mulier de prioris Conjugii nullitate certioretur, & quod uterque in Matrimonium de novo conſentiat. Poſtea ponit alium caſum. An hoc locum habeat etiam in caſu impedimenti orti ex promiſſione futuri Matrimonii ſimul cum Adulterio. De hoc duas ſententias innuit, nempe affir-

affirmantem pro libertate, hoc eſt valere Matrimonium, ideoque ſine peccato cohabitare poſſe, etiamſi mulieri inſciæ non exprimatur Matrimonii defectus, nec Vir de novo conſentiat, & negantem pro lege, nempe non valere Matrimonium, & ideo ſine culpa cohabitare non poſſe, niſi pars inſcia certioretur de Conjugii nullitate, & uterque de novo conſentiat. Ait enim de priori ſententia. *Videtur ex iſto capite*, (nempe ex capite quodam Gloſſæ ſuperius a ſe laudato) *quod ſimpliciter eſt Matrimonium, etiamſi nunquam exprimatur Perſonæ inſcia defectus ille, nec ipſe poſt expreſſionem defectus de novo conſentiat*. Poſtea de negante ait. *Sed prima ſententia videtur certior &c.*, nempe non valere Matrimonium, & Conjuges peccare ſimul permanentes ſine aſſignatis conditionibus.

Diſtinct. 38. quæſt. unica §. *ex dicta diſtinctione*. In caſu: An contrahens Matrimonium cum Voto ſimplici Caſtitatis peccet in reddendo debitum, & prima vice, & poſt. Duas opiniones innuit, alteram pro lege affirmantem, peccare mortaliter, & prius, & poſt, alteram pro libertate affirmantem peccare reddendo prima vice, poſt vero non peccare. Ait enim. *Quando etiam conſummat, videtur peccare mortaliter, quia contra Votum ſuum* (quod intelligitur, quando contraxit cum intentione non conſummandi, ut hic admonet Commentator, & ex proximis ſuperioribus Scoti verbis colligitur) *licet ſecundum aliquos poſt primum actum non peccet mortaliter in reddendo, quia ad illud eſt jam obligatus vinculo fortiori; peccat tamen mortaliter petendo, quia nihil habet Juris in hoc,* *Juxta Can. 3.*

cum renuntiaverit tali Juri in Voto. Itaque opinando utramque admittit.

Exempla ex Ægidio.

IN 2. Par. 2. Sent. Diſt. 24. Par. 2. quæſt. 2. art. 2. *An conſenſus in delectationem ſit peccatum mortale*. Affirmat cum Magiſtro. Subdit tamen. *Quamvis autem aliqui in hoc contradicant Magiſtro, tamen tutior eſt opinio Magiſtri &c.* Et ibid. art. 3. *An omnia peccata carnalia ſint ex carne, vel oriantur a carne*, & præcipue, *utrum motus ſecundo primi ſint peccata*: duas ſententias innuit, affirmantem, quam defendit, & negantem. Ait autem. *Cum enim ſenſualitas movetur ad illicita, ſemper eſt ibi peccatum ſaltem veniale. Fuerunt tamen aliqui dicentes, quod in ſenſualitate poteſt eſſe peccatum, & vitium, ſed non culpa, niſi hoc procedat a voluntate. Aſſentiunt ergo Auguſtino, quod nonnullum vitium eſt, cum caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem, ſed illud vitium, vel peccatum niſi a voluntate, vel ratione procedat, non habebit rationem culpæ. Sed tutius eſt dicere, quod licet primi motus naturales nullam habeant rationem culpæ, qui motus ſunt primo primi, motus tamen ſecundo primi, qui ſunt ſenſualitatis ſequentes imaginationem noſtram, habent rationem culpæ juxta illud Apoſtoli &c.*

Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.

Juxta Can. 3.

Exempla ex Bakono.

ISTE Author hujuſmodi exemplis plenus eſt, nam ipſe in moralibus decidendis fere nihil de ſuo ponit, ſed ſolum opiniones varias Au-

Cto-

ctorum allegat cum ſuis rationibus, præcipue Canoniſtarum. Unde fere ſemper ex aliorum mente *opinando*, non *aſſerendo* reſolvit.

In 4. Diſt. 1. quæſt. 3. art. 2. §. primo, in quæſtione. *An Judex poſſit condemnare innocentem, ſibi tamen Reum, juxta allegata*; ſeu An univerſim debeat ſemper judicare juxta allegata. Duas ponit, affirmantem pro libertate, condemnare poſſe, & negantem pro lege, nempe condemnare non poſſe. Hanc ſequitur, & multis rationibus probat, & de iſta dicit. *Sed videtur contrarium verius eſſe*. *Juxta Can. 3.*

Diſtinct. 22. quæſt. 4. art. 1. dub. 1. *An cum paratus ire ad nundinas, petit mutuo pecuniam, qua indiget, cum pacto certum quid reddendi commodanti pro lucro, poſſit commodans tale lucrum recipere*. Affert duas, ajentem pro libertate Oſtienſis, negantem pro lege Innocentii, cum ſuis rationibus. De hac ſecunda ait. *Sed ſecurior eſt opinio Innocentii*. Hanc ſequitur; immo conatur in eam trahere etiam ipſummet Oſtienſem. *Juxta eumd.*

Et. quæſt. 7. dub. 8. *An intrantes Religionem poſſint pactionem facere cum recipientibus, quod de voluntate Prælatorum poſſint de bonis ſuis, quæ portant, aliquam portionem ſibi retinere ad ſuam diſpoſitionem*. Affert duas, affirmantem cum duabus rationibus, & negantem pariter cum rationibus ſuis. Hanc ſequitur his verbis. *Credo per Caput* Tua nos, *quod ſit Simonia*. *Juxta Can. 3.*

Et quæſt. 8. dub. 1. *An occultus Simoniacus in Ordine eſt ſuſpenſus quoad ſe, & quoad alios*. Duas ponit cum ſuis Auctoribus, & rationibus, affirmantem pro lege, negantem pro libertate. Poſt de prima ait. *Sed verius videtur, quod* *Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.*

quod ſint ſuſpenſi pro occulta Simonia, quia indigent diſpenſatione..... licet in foro Pœnitentiæ pœniteant.

Exempla ex Alberto Magno.

Juxta Can. 3.

IN 2. Diſt. 37. art. 14. *An in Uſura transferatur dominium. Solutio. Dicendum, quod hic ſunt opiniones Magiſtrorum diverſæ. Legiſtæ enim &c.* Itaque duas ponit, Legiſtarum affirmantium pro libertate, Theologorum, & Canoniſtarum negantium pro lege. Affert utrinque rationes, & argumentorum ſolutiones. Ipſe vero quæſtionem non determinat, neque quidquam addit de ſuo. Unde Problematicus eſt.

Juxta eumd.

In 4. Diſt. 15. art. 44. ad quæſt. 5. loquendo de mutuo pecuniæ ad certum diem nundinarum, *an ſit Uſurarium*, & conſequenter, an, & quantum Uſurarius reddere teneatur. Cum aſſeruiſſet, hoc magis pertinere ad Juris peritos, quam ad Theologos, affirmat teneri reddere his verbis.... *Et ideo ſine præjudicio dico, quod rationale videtur &c.*, nempe teneri reddere &c.

Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.

Diſtinct. 37. art. 7. *An Uxores Orientalium conſentientes Ordinationi ſuorum Maritorum tenentur continere poſt mortem eorum*. Duas ponit, affirmantem pro lege, & negantem pro libertate. Primam tenet Auctor: ſubdit tamen. *Tamen Hugo*, inquit, *dicebat contrarium, ſcilicet quod licet eis ducere alium; ſed dicta opinio eſt celebrior*.

Et art. 6.. *An Clerici Orientales reclamantibus Uxoribus poſſint in ſacris ordinari*. Ipſe negativam tenet pro lege, ſed innuit, contrariam pro

pro libertate. Ait enim. *Reſponſio. Hoc ultimo probatum mihi videtur eſſe conveniens, licet antiqui quidam dixerint contrarium.* *Juxta Can. 3.*

Exempla ex Alexandro Alenſe.

HIc Doctor exemplis hujuſcemodi cæteris plenior eſt. Aliquot tantum expreſſiora afferemus rem ipſam clarius continentia.

Parte 4. memb. 2. art. 2. quæſt. 11. §. 4., quæſtiunc. 4. *An Pugiles debeant accedere ad S. Communionem.* Duas affert, affirmantem pro libertate de quibuſdam Duellantibus ſub diſtinctione, negantem pro lege de omnibus. De hac, quæ eſt ordine prima, ait. *Prima opinio ſecurior eſt, & illi conſentio, quod nullo caſu licet Duellum offerre, neque illatum, vel oblatum ſuſcipere, &c.* *Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.*

Et quæſtiunc. 9. *An Fardantes, ſive Fucantes, aut crines adulterinos, ſive mortuorum, ſive viventium ſibi adornamentum uſurpantes, debeant accedere ad S. Communionem.* Affert opiniones, affirmantem pro libertate, & negantem pro lege cum multis rationibus. De hac negante, quæ prima ordine eſt, dicit. *Prima autem definitio videtur mihi verior, & certior.* *Juxta eumd.*

Et articulo 3. §. 2. quæſtiunc. 5. *Utrum a Simoniacis diſpenſandum ſit Corpus Chriſti.* Contradictorias affert pro libertate, & pro lege. Hanc ſequitur, & ait. *Aliter dicunt alii, & melius, ſecundum judicium meum, quod etiam Simoniacus occultus eſt ſuſpenſus a Canone &c.* *Juxta eumd.*

Et quæſt. 35. memb. 2.. *An Eleemoſyna abſolvat raptorem Uſurarium a debito reſtitutionis, ſi fiat ſine conſenſu ejus, qui dedit Uſuras, dummodo* *Juxta eumd.*

modo illum raptor admonuerit, *ejuſque voluntatem requiſierit*. Duas ponit, affirmantem pro libertate, ſeu eximentem raptorem a debito reſtitutionis, & negantem pro lege, ſeu raptorem reſtitutioni obnoxium facientem. De hac ait. *Alii dicunt e contrario*, *quod iſte nunquam abſolvitur*, *ſi ſine conſenſu alterius facit eleemoſynam de Uſura*. *Et hoc videtur mihi probabilius propter plures rationes*, *&c.* & ſolvit argumenta contraria.

Sed quid inutiliter plura exempla conquiro, cum duobus tantum res tota inviciſſime confici poſſit.

Juxta Can.3. Itaque quæſt. 28. memb. 6. art. 2. §. 3. *Quo tempore obligantur homines ad jejunium*. Tres ponit: primam affirmantem non teneri, niſi an. 21., ſecundam teneri 20. an., tertiam 15. an. Poſt ait: *Neutram opinionem reprobo*, *ſed tamen medium eligendo dico*, *quod tempus aptum jejunio eſt tempus* 18. *an.* Quid ad inſtitutum clarius?

Denique Par. 3. quæſt. 31. memb. 4. *An Juramentum coactum obliget*. Hæc habet. *Reſolutio*.

Juxta eumd. *Duæ ſunt ſententiæ ad hoc*, *elige quam mavis*. Et has utrinque probat, earumque utrinque rationes ſolvit. Vide, ſi lubet.

Quid amplius, Lector, cupis. Ecce quingentis ab hinc annis Probabiliſmus in Alexandro Alenſe, qui primus Theologiæ Summam confecit, cujuſque Doctrinam Pontifex edito Diplomate approbavit, claris verbis expreſſus. Nam ſive in alterutro ex his duobus locis, ſive in utroque conſideretur Auctor inter opiniones vel æque probabiles conſtitutus, vel inter minus probabilem, & probabiliorem, ex hoc

ſolo

ſolo Controverſia de licito Probabiliſmi uſu contecta eſt. Recole Canones hujus ſecundæ Part. ſimul cum doctrina Schol. Supp. 19. p. p., præſertim num. 8. 9. 10.

At inquies. Fortaſſe hæc non Alexandri Alenſis, ſed Gullielmi de Militona, qui ejus Summam perfecit, ſunt. Vide, Lector, me nihil contra diſſimulare.

Sane id eſſe poteſt. Cum enim neſciamus, ubi Alexander deſierit, & Gullielmus inceperit, quamquam admodum credibile eſt, nonniſi extremam Operis partem perfeciſſe; idcirco quænam ſint unius, quænam Doctoris alterius, determinate certo aſſignari non poteſt. Sed hoc utut ſit, quid eſt? Nam quiſquis ſit Auctor iſtius pericopes, certe antiquus, & Alexandro ſin æqualis, at ſuppar eſt. Nam Gullielmus ipſe floruit ſub Innoc. IV. paulo poſt mortem Auctoris, ut in hujus hiſtoria tactum eſt.

Exempla ex S. Raymundo.

ETIAM hic Sanctus hujuſcemodi exemplis plenus eſt, quamquam, Probabilioriſtarum ſententia, omnium Doctorum maxime Probabilioriſta eſt. Etenim in toto Opere nihil aliud facit, quam diverſas Canoniſtarum ſententias cum rationibus ex Jure Canonico deſumptis afferre, eaſque nihil, vel parum ſæpiſſime de ſuo addendo, ex eorum opinionibus determinare.

Lib. 1. tit. 4. de Judæis, & Saracenis, §. 2. in quæſt.: *An Chriſtiani poſſint comedere cum his Infidelibus*. Duas ponit, affirmantem pro liber-

Juxta Can. 2. *ejuſq. Cor.* bertate poſſe comedere cum Saracenis, non cum Judæis, negantem pro lege, nempe non poſſe, neque cum Saracenis. Hanc ſequitur, & dicit: *Alii, ſcilicet Laur. Joan., & multi ſequaces dicunt indiſtincte, & melius, &c.*

Lib. 2. tit. 7. de Uſuris §. 5. De duobus quibuſdam caſibus. Præſertim, An propter periculum pecuniæ, quod ab eo ſuſcipitur, qui illam confert, ut in Navigatione, Nundinis, &c. ſi accipiatur aliquid lucri, committatur Uſura. Duas affert, negantem pro libertate, pro qua affert unam rationem, & unam Decretalem; & affirmantem pro Lege, quam ſequitur. Ait enim. *Ad hoc dicunt quidam, quod non ..... alii vero contrarium notaverunt, & verius, quod ſit Uſura .... & ideo tutior eſt hæc ultima opinio, maxime quia tales ſemper faciunt tale propter ſpem mutui pecuniarii, quod non licet.*

Juxta eumd.

Et ibidem §. 9. *An Chriſtiani a Judæis, vel Paganis, vel cæteris hoſtibus Fidei poſſint exigere Uſuras*. Poſtquam attulit auctoritatem Ambroſii *Cauſ.* 14. *quæſt.* 4. *Cap. Ab illo:* qua expreſſe aſſeritur hoc licitum, ſuper hujus explicatione quatuor affert opiniones. 1. Intelligi de lege veteri reſpectu Hæbreorum; 2. Poſſe exigi Uſuras ab Hebræo; 3. A Paganis, & Hoſtibus Reipublicæ; 4. A nullo poſſe exigi. Ait enim: *dicunt quidam .... alii intelligunt .... alii intelligunt .... alii dicunt, quorum opinio communior eſt, quod a nullo homine Chriſtiano, Judæo, Pagano, vel alio licet exigere Uſuram.*

Juxta eumd.

Lib. 3. tit. 3. §. 2. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Bigamo, ut promoveatur*. Duas ponit, affirmantem; *dicunt quidam, quod Epiſcopus &c.*

& ne-

& negantem; & utramque probat. Hanc ſequitur, & ait. *Alii dicunt, & forte verius, quod hodie non licet Epiſcopis cum Bigamo diſpenſare, quia Jus expreſſum eſt.* *Juxta Can. 2. ejuſq. Cor.*

Et tit. 14. De Neophyto. *An poſſit recipere Ordines, antequam ſit probatus.* Duas affert, affirmantem pro libertate de Ordinibus Minoribus, non de Sacris, & negantem pro lege de omnibus: & utramque probat Jure Canonico. Dicit autem. *Item Neophytus poteſt, ut quidam dicunt, recipere minores Ordines, ſed non ſacros .... alii contra, quod nec Minores recipere poteſt, donec ſit probatus .... Et hoc credo verius his, quæ dicta ſunt.* *Juxta eumd.*

Lib. 3. tit. 33. de Sentent. defin. præcep. ff. 7. pag. 406. Edit. Veron., in quæſtione, *quid debeat facere Debitor Excommunicati*. Duas opiniones ponit, alteram debitorem teneri ei debitum perſolvere, alteram debere deponere debitum in Æde ſacra, donec excommunicatus ab excommunicatione abſolvatur; & utramque admittit. Ait enim. *Solutio. Dicunt quidam, quod licet ille non poſſit petere, ego tamen debeo ei perſolvere. Alii dicunt, quod non debeo perſolvere, ſed debeo deponere in Æde ſacra, donec ille ſit abſolutus. Hæc ultima opinio bona eſt, & ſecura: vel ſi vis tenere primam, conſulo quod veniat Debitor cum Teſtibus in domum Creditoris, & dicat, &c.* Quæſtio præciſa eſt. An obligatus juramento aliquid ſolvere in certo termino, & interim excommunicetur Creditor, an poſſit ei ſolvere adveniente termino prædicto. *Juxta Can. 3.*

Probabilioriſtæ fortaſſe dicent, hoc exemplum, omnium cæteroqui clariſſimum, ad rem non eſſe, propterea quia hæ duæ reſolutionis partes

non

non diverſæ, & contradictoriæ, ſed unum idemque ſunt, ideoque utrinque ex æquo ſecuræ: Sed eos decipi, ex clariori, & ſtrictiori quæſtionis propoſitione, atque in ſuas partes reſolutione liquet. Nam hæ ſunt. 1. *Debitor excommunicati debet*, ſeu tenetur, *ei ipſi debitum perſolvere*. 2. *non debet*, ſeu non tenetur, *ei ipſi perſolvere*. Ait enim: *dicunt quidam, quod licet .... ego tamen ei debeo perſolvere. Alii dicunt, quod non debeo* (nempe *ei ipſi*) *perſolvere, ſed debeo deponere in Æde ſacra, donec &c.* In qua propoſitione, ac reſolutione ambas partes eſſe inter ſe contradictorias, ideoque alteram quidam libertati faventem, ſeu minus tutam, alteram vero faventem legi, ſeu tutiorem, manifeſtum eſt.

Schola igitur ſpeciali etiam exemplo, ac praxi Probabiliſmum licitum oſtendit. Q. e. d.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

PRO-

PROBABILISMUS METHODO MATHEMATICA DEMONSTRATUS.

PARS TERTIA.

In qua omnia Probabilioriſtarum Argumenta breviſſime demonſtrative diluuntur.

QUAMQUAM in noſtra Methodo non ſit neceſſe Adverſariorum oppoſitiones ſolvere, cum id neque Rei certitudo, neque Methodus ipſa patiatur; (ſicut enim exoriente Sole ſtatim per ſe tenebræ ſine alio adminiculo diſpelluntur, ita adveniente certitudine, & evidentia argumenta per ſe quælibet evaneſcunt;) ad Doctrinæ tamen complementum, & abundantiam, & præſertim ad minus peritorum commoditatem libet eas diluere, cum potiſſimum certitudo Rei, qua de agitur, Mathematica minime ſit. Diluemus eas vero etiam demon-

ſtrative, ne a rigore Mathematico recedamus, etſi idipſum non ſit neceſſarium. Conſtat enim tum diſputationis natura, tum Scholæ exemplo, ac praxi, ad ſtabiliendam ſententiam propriam ſatis eſſe, ſi ea prius, ſive probabilius, ſive etiam certo probata, Argumenta oppoſita ratione probabili diluantur. Sed prius Canones, Præmonitiones, & Suppoſitiones quædam ponendæ ſunt.

CANONES.

I.

QUÆ Auctoritas, aut Ratio probabili reſponſione ſolvitur, ea certa non eſt.

Etenim contra certitudinem Probabilitas dari non poteſt (*a*).

(a) *per Sch.Sup.* 3.*par.*1.

II.

Auctoritas, quæ non eſt clara, præciſa, formalis, ſed obſcura, ambigua, incerta, nihil certo conficit.

III.

Ea Auctoritas non clara, & præciſa, ſed obſcura, & ambigua habenda eſt, quæ diverſim intelligi, & explicari rationabiliter poteſt, & præſertim circa cujus intelligentiam multi magni Interpretes diſſentiunt inter ſe.

Res enim hujuſmodi ad eorum jus, ac judicium pertinet (*b*).

(b) *per Cor.* 2. *Def.* 5.

IV.

Cum agitur de mente alicujus claſſici Doctoris, ex. g. D. Thomæ, Scoti, &c. ratio Interpretum potiſſimum domeſticorum habenda eſt.

Quam-

Quamvis enim etiam Extranei mentem Doctoris æque noſſe poſſint, ideoque etiam ſint adhibendi, domeſtici tamen, utpote majori ſtudio erga illum affecti, atque in defendendis illius ſententiis magis exercitati, ejus mentem magis tenere præſumendi ſunt.

V.

Quæ facto ipſo innoteſcunt eſſe falſa, evidenter ſine aliena ope confutata ſunt.

Ut ſi v. g. authoritas aliqua afferatur, quæ non reperitur, vel mutilata, adaucta, luxata, extra chorum, & in alieno ſenſu producta ad oculum demonſtretur; aliquod hiſtoriæ factum per monumenta falſitatis convincatur, &c.

V I.

Non ex eo, quod plerique Doctores veteres aliquibus in locis affirment aliquid, unde Probabilioriſmus inferri poſſe videatur; v. g. cum aſſerunt in dubiis, & incertis certa, & ſecura eſſe ſequenda, verſari autem in dubio Intellectum inter opiniones æque probabiles, inter vero probabiles inæqualiter determinari ad probabiliorem, eamque ſequi debere, & his ſimilia: propterea Probabiliſmum noſtrum ſemper rejeciſſe dicendi ſunt.

Etenim omnia hujuſmodi loca de dubio practico, eo manente (*a*); de dubio circa ipſiuſmet opinionis probabilitatem (*b*); de dubio potiſſimum in rebus facti, non juris (*c*); vel de dubio aliter accepto (*d*); de conſilio, non de præcepto (*e*); vel in re Sacramentaria, aut alia a Probabiliſtis jam excepta (*f*); de certitudine, atque ſecuritate directa, non reflexa (*g*); de-

(a) *per Ax. 7.*
(b) *per Sch. ejuſd.*
(c) *per Sch. Cor. 15. Ax. 9. 10. n. 1.*
(d) *per Def. 6.*
(e) *per Ax. 8.*
(f) *per Expoſit. quæſt. ante Analyſ. n. 3. & 4. in Except.*
(g) *per Sch. Ax. 6.*

determinatione ex parte Intellectus, non Voluntatis (*a*); de conflictu opinionis minus probabilis in alieno ſenſu acceptæ, v. g. in ſenſu levis credulitatis, & temerariæ opinionis (*b*); vel non habentis ex una parte rationem expreſſam (*c*); de opinione probabiliore in actu exercito, non ſignato (*d*), cùm exercite unuſquiſque amplectatur probabiliora (*e*); denique in alio quopiam ſenſu ex iis, quos Opere toto deduximus, apte, ac rationabiliter intelligi, & explicari poſſunt, ſicuti ea expendenti, & conferenti patebit.

Cujus ratio eſt, quod cum quæſtio hujuſmodi non fuerit ex profeſſo ab iis agitata (*f*), ſed ut ſummum a paucis leviſſime indicata, non ita clare, præciſe, circumſpecte, & cumulate de ea locuti ſunt. His clavibus Doctores antiqui reſerari, & his repagulis eorum placita cohiberi poſſunt.

(a) *per Cor.* 8. *Ax.* 9. 10.
(b) *per Def.* 25.
(c) *per Sch.* 1. *ad Def.* 26.
(d) *per Expoſ. quæſt. ante Analyſim n.* 4.
(e) *per Sup.* 10. *p. p.*
(f) *per Supp.* 1. 2. *p.*

PRÆMONITIO.

OMNIA fere Argumenta non ſolum a ratione, verum etiam ab auctoritate, quæ a Probabilioriſtis contra Probabiliſmum afferuntur, etiam adverſus Probabilioriſmum ipſum libertati faventem ex æquo retorqueri poſſunt. Quidquid enim affirmari, aut negari debet, aut poteſt de opinione minus probabili favente libertati in conflictu probabilioris faventis Legi, excepto uno attributo majoris apparentiæ de veritate, ac permotionis, etiam de opinione probabiliore favente libertati in conflictu minus probabilis faventis Legi affirmari, aut negari debet, ac poteſt (*g*). Hoc veriſſimum eſſe, ſingu-

(g) *per Cor.* 8. *Def.* 26. 27.

gulorum Argumentorum conſideratione, & collatione Lector ipſe experimento cognoſcet: & nos in prima Parte de pluribus pro re nata jam oſtendimus, atque de aliquibus præſertim auctoritatibus D. Thom. infra peculiariter oſtendemus. Quæ cauſa eſt, cur Tutioriſtæ ad labefactandum non minus Probabiliſmum, quam Probabilioriſmum iiſdem omnino argumentis utantur.

SUPPOSITIONES.

I.

Omnes Probabilioriſtarum reſponſiones, & oppoſitiones tum ab authoritate, tum a ratione petitæ, quæ quidem in medium ſunt hactenus allatæ, a Probabiliſtis vel certa, vel ſaltem probabili, & quidem multiplici ſolutione dilutæ ſunt.

Et quidem quod ad certitudinem attinet, patet vel ex ſolo Opere noſtro, in quo omnes demonſtrative ſolutæ ſunt. Quod vero ad probabilitatem, patet præſertim ex Doctoribus ſive antiquis, ſive modernis, qui quæſtionem hanc ex profeſſo pertractarunt. Nam ab illis hæc omnia vitra ſatis abunde fracta ſunt. Conſule, ſi libet, præcipue Recentiſſimos, qui occaſione hujuſce controverſiæ hoc tempore acrius excitatæ, ſcripſerunt. In his enim omnes Probabilioriſtarum hallucinationes, ſive ad rationem, ſive ad auctoritatem, ſive ad hiſtoriam quomodolibet pertinentes, multipliciter confutatas, & exploſas invenies. Nam ego, ut in prima Parte dixi, non Criticus, aut Scholaſticus in hoc Opere, ſed Mathematicus ſum.

II.

In Doctoribus claſſicis ſunt nonnulla loca ambigua, & obſcura, de quorum intelligentia Interpretes etiam domeſtici diſſentiunt inter ſe.

Hoc liquet potiſſimum in Schola D. Thomæ, & Scoti, in qua eorum ſequaces non conveniunt aliquando circa illorum mentem, unde in varias opiniones diſtrahuntur.

Sit exemplo locus D. Thomæ Quodlib. 8. art. 13. Nam plures, & magni Doctores etiam Thomiſtæ hunc uno modo, plures, & magni alii, quos inter etiam S. Antoninus, alio modo interpretantur. Vide Auctores hac de re pertractantes. Nam hæc afferre, & peculiariter ad criſim revocare in noſtra methodo nihil refert.

Cor. Hinc loca hujuſmodi non clara, certa, & præciſa, ſed ambigua, obſcura, & incerta ſunt, quandoquidem id, de cujus intellectu plures, & magni Interpretes diſſentiunt, hujuſmodi eſt (*a*).

(a) *per Can.* 3.

NUNC innumera ſunt Argumenta, quæ a Probabilioriſtis tum antiquis, tum recentioribus afferuntur; his enim ingentia Volumina plena ſunt. Omnia vero ad duo ſuprema capita reducuntur, nempe ad Auctoritatem, & ad Rationem. Nos non ſingula, quod omnino ſupervacaneum eſt, ſed ſingulorum ſumma capita proferemus.

Incipiamus a Ratione. Et quidem quod ad hoc caput ſpectat, cum ii contraria rationibus noſtris ſtatuant, ſicuti in Analyſi diximus, eorum argumenta ex his locis eruuntur.

1. Ab Exiſtentia, & ſufficienti Promulgatione

ne Legis, ideoque a Certitudine præcepti, qua in Probabiliſmo actio illicita continetur.

2. Ab Exiſtentia, ac Promulgatione Legis, ſive Divinæ, ſive Humanæ, ſive potiſſimum Naturalis præcipientis uſum Probabilioriſmi.

3. A Carentia ſecuritatis requiſitæ ad Conſcientiam.

4. A Defectu Ignorantiæ invincibilis.

5. A Defectu poſſeſſionis Libertatis.

6. Ab Imprudentia operationis.

7. A Doctrinæ Novitate. Ajunt enim, Probabiliſmum antiquitus incognitum fuiſſe, quippe qui ſolum anno 1577. ortus eſt. Novitas autem ipſa ſola in rebus Fidei, & morum indicium falſitatis eſt.

8. A Probabiliſtici ſyſtematis pernicie. Probabiliſmus enim (inquiunt ipſi) eſt origo, & fons omnium laxitatum: omnia ſcelera licita facit; cuilibet Sectæ viam aperit, eique ſecuritatem inducit: Pontificiæ etiam, & Civili Poteſtati bellum indicit.

9. Ab Abſurdis. Plura proferuntur. Quia vero multa minoris momenti ſunt, & omnia in argumentis ipſis, vel a Ratione, vel ab Auctoritate petitis involvuntur, atque ex iis colliguntur, ea proferre ſuperfluum eſt. Nam in Demonſtrationibus contrariis noſtris ſatis abunde manent confutata. Unum inter omnia rationabilius, & ad rem propius eſt. Igitur

10. Ab Inutilitate Scientiæ Moralis. Ajunt enim, ſi Probabiliſmus foret licitus, hujuſce Scientiæ ſtudium ſuperfluum futurum. Nam nihil aliud a Doctoribus fit in Scientia Morali, niſi diſcuſſio Opinionum ad hoc, ut cognoſcatur in unaquaque re veritas, ſeu certitudo, vel

probabilioritas, & inde ſententiæ, vel certæ, vel ſaltem probabiliores ſtatuantur, quæ propterea jam cognitæ a Doctoribus defenduntur (*a*). Si autem has ad praxim deduci non oportet, ut quid opera hujuſmodi, ac tam difficilis labor ſumendus eſt?

(a) *per Sup.* 10. *part.* 1.

Quod vero ad alterum ab Auctoritate caput attinet, hæc proferuntur.

11. Plura Scripturarum loca inculcantia prudentiam operandi, conſcientiæ ſecuritatem in rebus incertis, ſalutis difficultatem, morum lubricitatem, & laxitatem, ac ſimilia.

12. Plura aliquorum Patrum teſtimonia in eumdem, ſimilemve ſenſum.

13. Plura Juris Canonici loca, & exempla, ubi in dubiis, & incertis eligitur, vel præcipitur via ſecurior, aut probabilior.

14. Plurium antiquorum Theologorum teſtimonia. Putant enim, antiquitatem totam Probabiliſmum exhorruiſſe. Ex his autem ſunt etiam Alb. Magn., Alex. Alenſ., D. Bonav., & Scotus, quos idcirco ſpeciatim commemoro, & quod ex iis Doctoribus ſint, quos Probabiliſmo favere, tum ex communibus eorum principiis Parte prima, tum etiam peculiaribus exemplis ſecunda Parte adductis demonſtravi, & ut videas, Lector, me in hoc Opere nihil ingenue diſſimulare. Ne autem fruſtra onereris, ſatis eſt horum plura loca univerſim indigitare. Etenim ea per extenſum videre licet apud Auctores hac de re pertractantes. Niſi quod facere non poſſum, quin ad verbum afferam unum locum Alb. Magn., quia celebrior eſt, & duos Scoti, potiſſimum ut cognoſcas quorumdam Probabilioriſtarum in allegandis teſtimoniis exactitudinem, atque fidelitatem.

Alex.

Alex. Alenſ. in Sum. p. 2. qu. 112. memb. 6. Caſu 5.

D. Bonav. Opuſc. de Proceſſu Religionis Proceſs. 5. cap. 3. (In editione Romana Opuſc. de Profectu Religioſ. Lib. 2. cap. 12.) *Dubia interpretatio &c.*

Et Proceſſ. 6. cap. 41. *Cum Deo autem &c.*

Et in 2. Sent. Diſt. 22. art. 2. qu. 3. *Quod quoties quis &c.*

Et Diſt. 39. art. 1. qu. 3.

Et in 4. Diſt. 38. art. 2. qu. 3.

Alb. Magn. Sum. de Creaturis, de Homine Tract. 1. q. 70. a. 2. q. 2. *Quæritur hic de regula quorumdam dicentium, quod ſi aliquis eſt dubius de aliquo, an ſit mortale peccatum, & facit illud peccatum, mortaliter peccat propter contemptum. Ponamus enim quod dubitet, & habet probabiles rationes ad oppoſitum, ſed tamen non ſufficientes, tunc enim non videtur contemnere, eo quod ſequitur magis probabile.* Huic quæſtioni reſpondens ait. *Duplex eſt dubitans, ſcilicet dubitans ſupponens aliquid magis eſſe, quam non eſſe, & de tali intelligitur regula, & eſt dubitans nihil ſupponens, & hoc non eſt verum.* Ecce per Albertum dubitans per rationes probabiles magis eſſe peccatum, quam non eſſe, ſi operatur, mortaliter peccat propter contemptum.

Scotus in 1. Sent. q. 2. Prolog. ff. *Habito igitur ad 3.*

Et in 3. Diſt. 25. q. 1. ff. *Sed eſt ne neceſſarium.*

Et in 4. Diſt. 11. q. 6. ff. *Sed hic eſt dubium.*

Et in Report. Pariſienſ. Lib. 3. Diſt. 25. qu. unica ad 1., & 2.

Porro ſecundus, & tertius locus inſigniores

ſunt,

ſunt., & his verbis concepti a Probabilioriſtarum nonnullis afferuntur.

Secundus.... *Sicut in moralibus, quando ſunt altercationes de aliquo peccato, quando primo eſt mortale, ut ſi unus peritus in ſcientia dicat, quod non licet ſic mercari, & alius dicat quod licet: tutius eſt non procedere ſic, nec ſic, ſed expectare quouſque veritas pateat aliunde. Si enim ita eſſet, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter niſi ſic faceret, & alius, quod peccaret, ſi ſic faceret, tunc ſimplex foret perplexus. Ideo bene videndum eſt in moralibus antequam aliquid aſſeratur. Quia videlicet cum habens duas opiniones contrarias perplexus ſit, periculoſe ſe determinaret ad unam, niſi re diligenter inſpecta, illam probabiliorem agnoſceret.*

Tertius.... *Cum multis ſit probabilior pars negativa, non ſine peccato aliquis ſe exponit dubio ſequendo affirmativam minus probabilem.*

Potuit ne Scotus clarius Probabiliſmum rejeciſſe? Et quomodo Scotiſta aliquis hunc amplius defendere, ac tenere poterit?

15. Plures præſertim Auctoritates D. Thomæ. Præter autem illas, quas Operis decurſu pro Probabilioriſtis attuli, & minime iis favere pro re nata demonſtravi, tres ſunt inſigniores. Sunt autem art. 10. Quodl. 3., & art. 15. Quodl. 9., & potiſſimum art. 13. Quodl. 8. Hunc locum rei ſedem ipſam putant, ideoque hic quæſtionem a S. Doctore pro ſe evidenter determinatam. Cum hæc loca alioquin prolixa cognoſcere ſit Lectoribus neceſſarium, ne iſtarum objectionum curſus iterrumpatur, in calce ad verbum integra dabimus.

His addi poteſt quartus brevior locus a Probabi-

babilioriſtarum nemine adhuc tactus (an ob cauſam infra in reſponſ. afferendam , an ob aliam ?) qui me judice, iis magis favet, quam cæteri omnes, quos ipſi afferunt, etiam ex iis, quos inſigniores , ut dixi , aut rei ſedem ipſam putant. Habetur autem Opuſc. 72. in fine Prologi, eſtque hujuſmodi . Cum ibi propoſuiſſet concordare diverſas opiniones, quas in ſuis Operibus docuerat, quæ videbantur oppoſitæ, poſtquam dixit , ſe hoc perfeciſſe quoad eas , quæ ſibi venerunt in mentem, ſubdit . *Supplicantes ſi quid aliquis invenerit a nobis non concordatum, ſi ei non ſit magna cauſa dicendi, ex qua ſecundum Hilarium accipienda eſt intelligentia dictorum, diſcretum, & magis exercitatum conſulat ; ſi vero non fuerit inventum , quod ſimul utrumque ſtare poſſit, id illorum eligat, quod magis veritati conſonum judicaverit* , (nota hæc verba , quibus Probabiliſmi rejectio clare continetur) *alterum vero revocaremus, ſi talis nobis diſcordia occurreret.*

16. Henrici Scholæ Serviticæ Principis auctoritas. Nam is unus ex Scholarum Principibus quæſtionem tractavit, & Probabilioriſmum clare tutatus eſt. Hoc argumentum addo ego , ut cognoſcat Lector, me nihil diſſimulare. Etiam locus iſte ad Lectorum commoditatem in calce integer dabitur.

17. Præſertim S. Raymundus , & S. Antoninus. Putant enim, hos Sanctos Probabiliſmum aperte rejeciſſe . Nam hi frequentiſſime affirmant, inter opiniones, præſertim æque probabiles , eſſe dubium practicum ; ideoque in his incertis ſemper ſecuriorem partem eſſe eligendam. Potiſſimum vero S. Anton. clare aſſerit obli-

obligationem Probabiliſmi, uti patuit Supp. 3. p. 2.

Et hæc quidem Argumenta vetera ſunt. Recentiora autem.

18. Probabiliſmus eſt rejectus ab Alex. VII. in Prologo notæ Conſtit. per ea verba: *modus opinandi irrepſit, alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum Doctrina &c.*

19. Eſt damnatus in Sacramentis Propoſ. 1. Innoc. XI.

20. In materia Fidei Prop. 4. ejuſdem.

21. In materia Judicii Prop. 2. ejuſdem. Adde: non condemnatum, ſed tamen illicitum in Medico, Magiſtro, cæteriſque Officialibus Reipublicæ. Quidni ergo illicitus etiam in aliis rebus ad propriam cujuſque ſalutem pertinentibus? Utrobique enim, vel æqua ratio, vel etiam ex hac parte major eſt. Et quidem in his Propoſitionibus virtualiter, ſeu arguitive probabiliter damnatum exiſtimant.

22. Univerſim autem damnatus eſt Prop. 3. Innocentii ejuſdem. *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a Probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Atque hic eſſe proſcriptum vi ratiocinii evidentis arbitrantur, quod eſt idem, ac evidenter.

23. Quoddam Concilium Gallicanum 1700. De hoc vero, præter alia, quæ parum ad rem faciunt, tria aſſerunt. 1. in eo fuiſſe Probabiliſmum condèmnatum. 2. fuiſſe Concilium Nationale. 3. fuiſſe plenius, & celebrius omnium, quæ hactenus in Gallia facta ſunt. Fortaſſe pleniſſimo Concilio Generali Lateranenſi 4. ſimillimum putes. Addunt, ex eo tempore Probabiliſ-

biliſmum ultimum lethale vulnus accepiſſe. Itaque, Lector, cave ſperes illum amplius videre, quia jam mortuus eſt.

Vide hoc Concilium integre productum in calce, excerptum ab Auctore minime ſuſpecto, nempe a Natali ab Alexandro Tom. 2. Theol. Dogmat. in fine.

24. Multorum inſignium Doctorum recentiorum Probabiliſmum rejicientium conſenſus.

25. Plurium Diœceſeon contra illum Decreta.

26. Multarum Univerſitatum, præſertim Galliæ, & Flandriæ judicia.

27. Denique plurium Ordinum Regularium pariter Decreta Probabilioriſmi Doctrinam injungentium, Probabiliſmi vero prohibentium.

Ne Lector alibi ea quærat, inveniet pariter ſimul cum aliis Monumentis in calce Operis.

Reſponſiones demonſtrativæ generales.

1. HÆc omnia Argumenta, præſertim a Ratione, evertunt pariter Probabilioriſmum libertati faventem. Nam contra ipſum ex æquo regeri poſſunt (*a*).

2. Ex his omnibus Argumentis nihil certi conficitur: quod tamen a Probabilioriſtis præſtandum eſt (*b*). Singula enim, vel certa, vel ſaltem probabili, & quidem multiplici ſolutione diluuntur (*c*): quæ autem ſaltem probabiliter ſolvuntur, ea certa non ſunt (*d*). Quapropter cum Probabilioriſtis, utpote Aggreſſoribus, probatio incumbat (*e*); eaque, ſuppoſita probabiliſticæ ſententiæ ut minus probabilitate, certa eſſe debeat (*f*): hinc fit, ut illi

nihil

(a) *per Præmon. hujus.*

(b) *per Can. 3. p.p, & Cor. Sup. 3. p.p.*

(c) *per Supp. 2.*

(d) *per Can. 1.*

(e) *per Can. 4. p.p.*

(f) *per Cor. Sup. 3. p.p.*

nihil conficiant, ideoque vel ex hoc ſolum ipſo cauſa demonſtrative cadant.

3. Cum hujus Controverſiæ ſcopus generatim, & univerſe ſit inveſtigare, num extet præceptum injungens Probabilioriſmum, eoque propterea collineent omnia, quæ contra, proque afferuntur argumenta; filum vero ipſum, in quod ultimo reſolvitur quæſtio, in eo denique contineatur: utrum ſit imprudens, & minime tuta, an vero ſecus, Probabiliſmi electio, ſicuti ex tota Analyſi liquet; ideo omnia Adverſariorum Argumenta, vel ex contrariis capitibus, vel aliunde mutuata in univerſum ſoluta demonſtrative manent per ſolas Propoſitiones 1., 7., 8., 9.

Reſponſiones demonſtrativæ peculiares.

QUOD ſpectat ad Argumenta a Ratione. Primum demonſtrative ſolvitur per Cor. 3. Supp. 4. P. 1., & Prop. 5.

Secundum per Prop. 7.

Tertium per Prop. 1.

Quartum per Prop. 10.

Quintum per Prop. 6.

Sextum per Prop. 9.

Septimum per totam Partem ſecundam.

Octavum per Def. 13. Etenim nullum ſcelus licitum eſſe poteſt, cum certo prohibeatur & contra certitudinem vera probabilitas dari non poſſit (a).

(a) *per Supp. 3. p. p.*

Nonum per omnes totius Operis demonſtrationes ſimul. Nam nullum abſurdum contra rem adeo multipliciter certam, ſive demonſtratam locum habere poteſt, cum argumentatio

tio certa pariter e contrario, atque demonſtrativa ſit (*a*). (a) *per Can.*10. *p.p.*

Decimum per Cor. Suppoſit. 29. P. 1. Cum enim ad hoc, ut opinio ſit vere, certo, & practice probabilis quatuor requirantur, nempe ut ejus rationes ſint ſolidæ, ac magnæ; ut ab oppoſitis non elidantur, & enerventur; ut nullo certo principio opponatur; ut fundamenta contraria apte ſolvantur: hæc omnia inſpicienda, & examinanda ſunt, ſiquidem conſtare debeat, opiniones vere, certo, atque practice probabiles eſſe; quod niſi per exactam rei diſcuſſionem, ideoque per ſtudium Scientiæ Moralis fieri, ut liquet, non poteſt.

Quod vero unuſquiſque ſuas ſententias ſequatur tanquam probabiliores, hoc non ex obligatione eas ſequendi in praxi, ſed ex natura diſputationis, & Intellectus ipſius repetendum eſt (*b*). (b) *per Sch.Sup.* 10. *n.*3.

Quod vero ad Argumenta ab Auctoritate ſpectat.

Undecimum, Duodecimum, & Tertiumdecimum per Can. 6. Nam uno, aut alio modo ex ibidem traditis intelligi apte, & explicari poſſunt. Ut omittam, hæc Argumenta potius concionatoria, quam theologica eſſe.

Quartum decimum per Suppoſit. 1. P. 11. ejuſque 1. & 2. Cor., & Supp. 2. Etenim cum pauci tantum Veteres leviſſime hanc quæſtionem tractaverint, pauciſſimi in terminis propoſuerint, reliqui vero eam penitus etiam omiſerint, illorum Auctoritates non claræ, & præciſæ, ſed obſcuræ, & ambiguæ ſunt; ideoque nihil certo conficere poſſunt (*c*); neque ex iis tantum de eorum mente judicandum eſt. Unde (c) *per Can.*2.

uno,

uno, aut alio ex modis Can. 6. aſſignatis rationabiliter intelligi, & explicari poſſunt. Item per Sch. Supp. 3. Nam fieri poteſt, ut Probabiliſmus re, & praxi admittatur, licet verbo negari videatur. Quare ex nullo Antiquorum certa hujus quæſtionis reſolutio expreſſe, & clare deſumi poteſt. Quæ reſponſio generalis etiam ad quattuor Doctores inibi peculiariter commemoratos univerſim extendenda eſt. Sed quod ad Alb. Magn. præſertim, & Scotum attinet, quoniam quædam eorum loca diſtincte propoſita, ita diſtincte ſolvenda ſunt.

Itaque quod eſt ad textus Scoti, ſecundi quidem vim nihil reformidet Lector, quia verba illa: *Quia videlicet*: uſque ad finem, in quibus ſolum ea continetur, a Probabilioriſtis pro ſua, ut alias diximus, liberalitate, vel ut minus indiligentia addita ſunt. Tertii vero verba partim mutilata, partim mutata, partim adjecta pariter ſunt. Nam locus hic integer, ac genuinus hujuſmodi eſt.

Sed hic eſt dubium primo de Amido &c.

Hic breviter poteſt dici, quod cum certum ſit, farinam tritici purgatam ſecundum communem purgationem, eo modo ſcilicet, quo Piſtores ſolent eam purgare, eſſe materiam convenientem ad faciendum panem conſecrabilem: (Jam nunc incipit Lector intelligere, qua de re loquatur Scotus, & num hic locus, etiamſi eſſet germanus ac verus, ad rem facere poſſit): *& dubium ſit, an Amidum ſit hujuſmodi materia; & pars negativa multum ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio: maxime ille, qui exponit hoſtias conſecrandas, quia ſibi ſimpliciter eſt certum, quod de tali materia præparat. Utens forte po-*

te poteſt magis excuſari de peccato, quia ſupponit talem materiam eſſe bene præparatam.

Quod tandem ad locum Alb. Magn., qui re vera clarior eſt, is dupliciter peculiariter ſolvitur. 1. per illius exempla P. II. allata, & Sch. Sup. 3. p. ejuſdem. Nam in illis Probabiliſmus re, & praxi diſerte licitus invenitur, licet hoc loco verbis clare negari videatur. 2. per Schol. 1. ad Def. 26. Fortaſſe enim per minus probabile, quod ex to *magis probabile* hoc loco neceſſario infertur, non intelligit veram, & propriam probabilitatem, ſed potius impropriam, ac diminutam, nempe eam, quæ pro ſe *non habet rationem expreſſam*; ideoque aliter intelligit, ac nos intelligimus. In qua uſurpatione, ejus teſtimonium nobis non ſolum non obeſſe, ſed ne quidem ad rem eſſe, perſpicuum eſt.

Quod vero Antiquitas fere tota Probabiliſmum non rejecerit, ſed approbaverit, ex tota ſecunda Parte in Scholarum Principibus, aliiſque Doctoribus liquet.

Quintumdecimum per Cor. 2. Ax. 15., & Can. 6., ac Supp. 2. p. hujus. Siquidem quod ad primum locum attinet, de opinionibus Magiſtrorum diverſis in rebus Fidei aut Morum neceſſariis intelligitur, quæ ſunt erroneæ, ſeu quæ certo principio opponuntur, nempe vel manifeſtæ Scripturæ, vel Eccleſiæ determinationi. Hæ autem opiniones probabiles eſſe non poſſunt, quia opinio probabilis error non eſt (*a*). Unde hic locus potius Probalioriſtis vel maxime nocet, ut ſecunda Parte notavimus. Lege articulum in fonte, & id ipſiſmet oculis cognoſces.

(a) *per Cor.* 3. *Def.*26. 27.

Quod ad ſecundum, cum hujus loci vis contineatur in illis verbis: *præcipue autem periculo-*

ſum eſt, ubi veritas ambigua eſt; quod in hac quæſtione accidit, quia inveniuntur Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contraria ſentire: ea aptiſſime intelligi, & explicari poſſunt de ambiguitate, ac dubietate practica, & directa, minime de ſpeculativa, & reflexa (*a*). Practica autem, & directa reflexe certo removeri potest (*b*).

Quod ad tertium, cum is locus ſit non ſolum obſcurus, ſed omnium obſcuriſſimus, eo minime omnium quidpiam conficitur (*c*). Tu ipſe, Lector, periculum fac, atque, ſecluſa etiam Interpretum diſſenſione, locum eſſe intellectu valde difficilem experimento cognoſces. Et tamen hoc loco Probabiliſmus a D. Thoma evidenter, ſi DEO placet, rejectus eſt. Quod a veritate tamen longiſſime abeſſe illud magnopere confirmat; & quod etiam Probabiliſtæ ipſi hoc eodem loco ad probandum ex D. Thoma licitum Probabiliſmi uſum maxime utuntur; & quod non diſtinguit S. Doct. de Opinione *minus*, *æque*, vel *magis* probabili, ſed de opinionibus contrariis magiſtrorum univerſim loquitur; & quod affirmat diſerte, non peccare quempiam, ſi ex contrariis opinionibus in *dubitationem* non adducatur; & quod alia dicit, ex quibus bene conſideratis, atque perpenſis ratiocinando legitime colligi poſſit, S. Doct. Probabiliſmum admiſiſſe. Vide Scriptores hunc locum ex profeſſo interpretantes, ac diſcutientes. Sed nos hoc loco minime uſi ſumus, quia non ambigua, involuta, incerta, peculiaria, contentioſa, ſed clara, certa, & communia ſolum a nobis ſumenda ſunt (*d*).

Quartus denique locus de novo additus invicte ſol-

(a) *per Can.* 6.
(b) *per Schol.* 2. *Prop.* 10. *n.* 8.
(c) *per Can.* 2.
(d) *per Præm.* 4. *p. p.*

ſolvitur per hoc primum, quod Opuſculum illud communi conſenſione non eſt fœtus genuinus D. Thomæ. Quæ fortaſſe cauſa eſt, cur a Probabilioriſtis non fuerit hactenus uſurpatus. Deinde etiam fac eſſe, ſolvitur tamen demonſtrative per Supp. 10., & 19. Etenim per ea verba, quibus vis continetur, nihil aliud aſtruitur, quam mos amplectendi, defendendi, conſulendi proprias ſententias tanquam probabiliores, qui apud Doctores obtinet; non vero aſtruitur, minus probabiles opiniones in probabiliorum conflictu ſequi non poſſe. Nam contrarium poſſe licite fieri etiam per D. Thom., niſi ſi eum ſibi turpiter contradicentem velis, cum ex Scholio ejuſdem Supp. 19., tum ex Propoſ. 2. p., tum denique ex toto Opere luculentiſſime demonſtratum eſt.

SCHOLIUM.

QUONIAM ex ſolius D. Thomæ auctoritate, ſi de illius mente certo conſtet, conſentientibus in id Probabilioriſtis ſimul, atque Probabiliſtis, controverſia hæc nullo negotio definiri poteſt (*a*); & illi tribus ſuperioribus peculiariter locis evidenter pro ſe definitam putant, ſed præſertim loco tertio, quem propterea quæſtionis ſedem appellant; iſti vero contra arbitrantur: ut Lectoribus facile appareat, cujuſmodi ſint vel illæ auctoritates, quæ habentur demonſtrativæ, juvat retorſionem omnibus argumentis applicabilem generatim reſponſione prima univerſali traditam, his tribus locis peculiariter applicare.

(a) *per hiſtor*. 2. *p*. *n*. 11.

Ajo igitur, has tres auctoritates, vel Probabiliſ-

mum nihil omnino tangere, vel etiam Probabilioriſmum libertati faventem ſimul ex æquo labefactare. Ut cætera omittam, quæ in mea Methodo ad rem modicum faciunt, tota iſtorum locorum efficacia in illis verbis majuſculo charactere impreſſis continetur. Lege, Lector, & confer. Nunc etiam Probabilioriſmus favens libertati verſatur in dubiis, ac ambiguis, ubi veritas expreſſe non habetur (*a*): Etiam opinio probabilior favens libertati error eſſe poteſt æque, ac opinio minus probabilis (*b*): Et expoſita æquali peccandi periculo (*c*); quamquam neutra determinate error eſt (*d*): Cum ſunt duæ opiniones contradictoriæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, alteram falſam (*e*); idque ſive æqualiter, ſive inæqualiter ſint probabiles: Neque cum opinione probabiliore adeſt ulla certitudo (*f*): Etiam inter probabilem, & probabiliorem dubitatio oriri ſolet, & poteſt ob ipſam opinionum contrarietatem (*g*): In ſumma opinionis minus probabilis, vel probabilioris faventis libertati, omnia paria ſunt (*h*). Quare ſi in his locis Probabiliſmus utcumque evertitur, everti quoque Probabilioriſmum utcumque neceſſe eſt. Sed nec unus, nec alter ullo modo evertitur, cum hæc loca certo non intelligantur, quemadmodum Probabilioriſtæ contendunt. Vide interpretationes varias apud Auctores.

Adde, quod ad ſecundum locum attinet, illum magis adhuc Probabilioriſtis, quam Probabiliſtis obeſſe. Etenim affirmat D. Thomas, periculoſe determinari quæſtionem de peccato mortali, *niſi expreſſa veritas habeatur, & præcipue, ubi illa ambigua eſt*, quia errari poteſt. Subdit vero, errorem, quo *non creditur eſſe peccatum* mor-

(a) *per Supp.* 4. *p. p.*
(b) *per Cor.* 8. *Def.* 26. 27.
(c) *per Sch. Sup.* 5. 6. *n.* 2. *&* 6.
(d) *per Cor.* 3. *Def.* 26. 27.
(e) *per Ax.* 1.
(f) *per Cor.* 2. *Def.* 26. 27.
(g) *per Sch. Ax.* 7.
(h) *per Cor.* 8. *Def.* 26. 27.

mor-

mortale, *quod eſt peccatum mortale*, *Conſcientiam non excuſare a toto*, *licet forte a tanto* (hoc eſt efficere, ut ſit peccatum veniale, vel ſaltem mortale levius) errorem *vero*, *quo creditur eſſe mortale*, *quod non eſt mortale*, *ex Conſcientia obligare ad peccatum mortale*. Jam vero inter opiniones utrinque vel æqualiter, vel inæqualiter probabiles, veritas expreſſa nunquam habetur, ſed ea ambigua eſt (*a*). Probabilioriſtæ determinant, eſſe peccatum mortale, quod probabilius mortale eſt, licet probabiliter non ſit mortale; Probabiliſtæ vero determinant, non eſſe mortale, quod probabiliter mortale non eſt, quamvis probabilius ſit mortale. Quamobrem etiamſi peccatum mortale a parte rei non ſit, Probabilioriſtæ tamen ligant Conſcientiam ad mortale, & quidem ita grave, ſicuti in conſcientia eſt; Probabiliſtæ vero, etiamſi peccatum mortale a parte rei ſit, Conſcientiam tamen ſolvunt, vel omnino a mortali, vel a mortali graviore; ideoque illi periculoſius quæſtionem de mortali determinant, quam iſti, & propterea in D. Thomæ Doctrinam impingunt, eo vel ipſo maxime loco, quem ſibi potiſſimum evidenter favorabilem arbitrantur.

(a) *per Supp.* 4. *p.p.*

Sextumdecimum per Suppoſit. 2. P. II. Nam Henricus ita leviter quæſtionem pertractavit, ut fere nihil contuliſſe ad ejus deciſionem videatur. Lege in fonte. Et unum tantum argumentum ex capite Conſcientiæ, & rectæ Rationis deſumptum affert, quod falſum eſſe a nobis demonſtratum eſt. (*b*) Accedit, quod loquitur tantum de conflictu minus probabilis cum probabiliore, non vero cum æqualiter probabili. Unde Probabiliſmus ex ea parte, qua inter opinio-

(b) *per Cor.* 6. *Ax.* 17.

nes æque probabiles verſatur, etiam data auctoritate Henrici, ſartus tectus eſt.

Decimum ſeptimum per P. II. in calce, & Supp. 3. ejuſd. & Can. *6*. hujus. Nam quod ad S. Raymundum attinet, eum Probabiliſmum non rejeciſſe ex ſecunda Parte jam liquet: quod vero ad S. Antoninum, de eo ita varie locutus eſt, ut quid de illo ſenſerit, revera certo definiri non poſſit. Accedit, quod etiam iſte de ſolo conflictu opinionis minus probabilis cum probabiliori loquitur; ideoque altera Probabiliſmi pars, etiam admiſſa ejus Sententia, licita eſt. Porro quæ hi Sancti dicunt de opinionum incertitudine, ac practica dubietate, ſicut & alia Probabiliſmo oppoſita, quæ ex his afferri poſſunt, uno, aut alio modo ex aſſignatis Can. *6*. apte intelliguntur.

Decimum octavum per Suppoſit. 14. P. I. & Cor. 7. 8. 9. Prop. 1. Quid enim opus eſt recurrere ad hujuſmodi implicitam, & incertam Probabiliſmi condemnationem, præcipue ubi quærenda non eſt (quis enim unquam audivit, rejici in Proœmio Pontificiæ Conſtitutionis, quod poſtea cenſura peculiari rejciendum eſt?) ſi is non eſt reprobatus in terminis tum, cum reprobari merito, & potuiſſet, & debuiſſet? Et quomodo Eccleſia potuit *virtualiter* Probabiliſmum reprobaſſe, ſi nedum *virtualiter*, ſed etiam *formaliter* approbavit? Adde, quod alienum eſt ab Evangelica ſimplicitate, & Sanctorum Patrum Doctrina, ipſorum Probabiliſtarum ſententia, probabile eſſe non poſſe, (*a*) quia error eſt.

Decimum nonum, Vigeſimum, & Vigeſimum primum per Expoſit. ipſius quæſt. ante Analyſim in Except. Materia enim Sacramento-

(a) *per Cor.* 3. *Def.*26. 27., & *Cor.*2.3. *Def.* 5.

to-

torum, Fidei, Judicii, Medici, aliorumque Reipublicæ Officialium ab hac quæſtione ſuo quælibet modo excepta eſt. Cur igitur ab una Re ad plane diverſam argumentari a nobis ipſis exceptam? Porro illæ Propoſitiones tanquam falſæ per certa principia damnatæ ſunt (*a*): unde non erant vere, & abſolute probabiles. Quænam igitur contra veram, & abſolutam probabilitatem hujuſmodi argumentatio eſt? (a) *per Sch.Ax.* 24.

Vigeſimum ſecundum per Supp. 14. P. I. & Cor. 7. 8. 9. Prop. 1. Non enim Eccleſia in illa Propoſitione 4. Probabiliſmum virtualiter, & implicite damnaſſe cenſenda eſt, quæ in terminis explicitum, manifeſtumque indemnatum dimiſit, tum maxime, cum damnare, & potuiſſet, & debuiſſet; quæque non ſolum implicite, verum etiam explicite approbavit. Cum autem addunt Probabilioriſtæ evidentiam hujus arguitivæ condemnationis, de ſua, an de communi loquuntur? Nos enim omnes, licet non prorſus bardi, ac ſtupidi evidentiam hujuſmodi non videmus: imo e contrario evidentiam non ſolum virtualis arguitivæ, ſed etiam formalis approbationis videmus. Ne autem ignoret Lector, quid in ea Propoſ. 4. ſit ab Eccleſia fulguritum, breviter accipiat, condemnationem potiſſimum contineri in his verbis *generatim;* & *probabilitate quantumvis tenui*. Etenim certo falſum eſt, & *generatim* eſſe prudentem minorem probabilitatem; & *tenuem probabilitatem* eſſe veram, ſolidam, practicam, & certam probabilitatem, de qua Probabiliſtæ loquuntur. Nam tenuis probabilitas, non magis vera probabilitas, quam pictus homo, verus homo eſt.

Vigeſimum tertium per Can. 5. Nam facto

ipſo omnia in argumento aſſumpta falſa ſunt. Falſum primum. Non enim fuit Concilium Nationale, ſed ſimplex Conventus, qui quotannis fieri ſolet. Falſum ſecundum. Nam cum in Gallia ſint 18. Archiepiſcopi, & 112. ut minus Epiſcopi, huic Conventui ſolum 16. adfuerunt. Falſum tertium. Probabiliſmus etenim neque in propoſitione aliqua expreſſe damnatus, neque ulla cenſura affectus eſt; cum tamen multæ aliæ propoſitiones fuerint hoc modo in eo condemnatæ. Lege in fonte. Itaque hujus Gallicani Conventus (vel etiam, ſi mavis, Concilii Nationalis) auctoritas magna quidem, & reverenda, ſed minime certa, & decretoria eſt (Concilia enim Nationalia communem, & certam fidem non faciunt, niſi ab Apoſtolica Sede approbata) unde adverſus Probabiliſmum nihil certo conficit. (*a*)

(a) *per Can.* 2.

Tandem velim dicant mihi Probabilioriſtæ, quinam Gallicanus Conventus plenior, celebrior, atque ſolemnior habendus ſit, an iſte An. 1700., in quo contra Probabiliſmum, an vero ille An. 1682., in quo contra Pontificis poteſtatem, ejuſque infallibilitatem, atque ſupra Concilia Œcumenica ſuperioritatem definitum eſt. Sane præter alias communes utrique ſolemnitates, iſte & ordinaria tantum convocatione, & *permiſſione* ſolum *Regia*, ille autem & extraordinaria, & *Mandato Regio* indictus, & ille præ iſto majori Patrum numero peractus eſt. Nam in iſto Epiſcopi duntaxat ſexdecim, alii vero Viri Eccleſiaſtici viginti; in illo autem Epiſcopi triginta quattuor, aliique Eccleſiaſtici Viri triginta octo interfuerunt. Ut omittam in illo expreſſius, & ſolemnius repræ-

ſen-

ſentari Gallicanam Eccleſiam per verba hujuſmodi, *Eccleſiam Gallicanam repræſentantes*, quæ in iſto deſiderantur. Et tamen quid ab illo ſit confectum, & quanti a Theologis minime Gallis, imo & ab ipſamet Apoſtolica Sede ſit faciendum, atque profecto fiat, Doctis compertum eſt.

Vigeſimum quartum, Vigeſimum quintum, Vigeſimum ſextum per Hypotheſim, & totum Opus noſtrum. Nam ex his omnibus nihil certi conficitur, cum quod ſpectat ad Doctorum recentiorum numerum, vel æqualis, vel etiam multo major Probabiliſtarum ei numerus opponatur: & illi rationibus certis deſtituantur, ut ex noſtris demonſtrationibus liquet. Humana vero auctoritas, quanta quanta ſit, ſine efficaci ratione, aut nihil, aut modicum valet. (*a*) Quod vero ſpectat ad Diœceſeon Decreta, & Univerſitatum Judicia, his quoque multæ opponuntur, quæ nihil contra Probabiliſmum ſtatuere. Ut omittam pluribus de cauſis, quam ea, quæ in manu eſt, aliquid moliri contra Probabiliſmum potuiſſe. Itaque earum momentum grave quidem, & non parvi faciendum, non tamen certum eſt.

(a) *per Sch. Def. 29. n. 1.*

Ultimum denique per Schol. Supp. 10. P. I. n. 4. Etenim omnia illa Decreta ſolos Magiſtros, ac Lectores afficiunt, qui ſane etiam ex ipſa diſputationis natura, ne dum ex munere, ſeligere tenentur, & docere ſententias communiores, tutiores, & probabiliores modo ibidem explicato. Quod ſi id facere a Superioribus vero præcepto præcipiantur, multo magis tenentur; ſed hoc contra nos nihil eſt. (*b*) Aliud eſt de re aliqua ſcholaſtice decernere, aut etiam con-

(b) *per Expoſit. quæſt. ante Analyſ.*

conſulere, aliud eam ad praxim deducere. Qui eo modo decernit, immo qui & in praxi conſulit, nititur ad probabilius, ac tutius. Sed quoniam privatum judicium alieno præjudicare non debet, aut poteſt, cum uni unum, alii oppoſitum probabilius videatur (*a*); hinc quod privato eſt probabilius, ſola regula liciti tum apud ſe, cum apud alios per ſe eſſe non poteſt: unde & oppoſitum licite eligi poteſt. Adde, quod cum Confeſſarius ex. gr. reſpondens Pœnitenti, ei aliquid conſulit, non dicit ſimpliciter, id ſibi videri probabilius, aut ſpeculative verum, ſed dicit ſolum, poſſe id fieri ſine peccato ex probabiliorum Doctorum ſententia (*b*). Quare etiam ex modo decernendi, vel conſulendi rigoroſe nihil contra conficitur. Adde, Sententiam de licito uſu Probabiliſmi non ſolum communiorem, & probabiliorem oppoſita, tum præſertim, cum hujuſmodi Decreta emanata ſunt, ſed etiam certam fuiſſe & nunc eſſe, uti demonſtravimus. Quapropter probabiliora, immo certa defendit qui licitum Probabiliſmi uſum defendit. Afferant Probabilioriſtæ Ordinum Decreta clare ſuis prohibentia, vel uſum Probabiliſmi a nobis demonſtrati, vel etiam Magiſtris, ac Lectoribus, ne defendant, aut doceant ſententiam, quæ ſtatuit, eum licitum eſſe, & aliquid fortaſſe contra Nos probabunt. Nam in iis, quæ afferuntur, nihil tale reperitur.

(a) *per Schol.* 2. *Def.* 26. 27. *n.* 4. *& Supp.* 10.

(b) *per Expoſ. q. ante Analyſ. in Except. n.* 5. *& ſeq.*

Corollaria Univerſalia Tria.

I. ATQUE hinc ex toto Opere liquet, num Probabiliſmus ſit res vetus, an nova, ſicuti Probabilioriſtæ arbitrantur. Veritas enim,

ac

ac certitudo non nova, aut certi temporis, ſed antiqua, & æterna eſt.

I I. Quomodo Scientiæ Morali conſtantia, ſoliditas, ſecuritas, certitudo, atque ideo dignitas, ac utilitas facile comparari poſſit. Cum enim hujus facultatis munus ſit docere, quid certo liceat, quidve non liceat, hoc nullo negotio obtineri poteſt, ſi quod ad res hactenus jam ſatis examinatas, atque diſcuſſas attinet, ſtatutis prius, ex mutua Probabiliſtarum, ac Probabilioriſtarum conſenſione, veris certiſque fontibus, hoc eſt Doctoribus, unde vera, ac ſolida probabilitas certo hauriri poſſit, primo certa quælibet in unaquaque materia ponantur, deinde omnes ſententiæ certo probabiles faventes libertati ex ſingulis Doctoribus exacte, ac fideliter colligantur, (hoc jam fecit Mendo in Epitome Opinionum Probabilium, num ſatis pro rei dignitate, ac neceſſitate, judicare modo non refert) adjectis unicuique breviter ſuis potioribus fundamentis: quod vero ad res de novo in dies emergentes, ac ſatis nondum diſcuſſas pertinet, ſi collatis mutuo auxiliis, opiniones per exactam diſcuſſionem, vel ad certam probabilitatem promoveantur, vel ex albo probabilitatis expungantur. Hoc pacto Moralis ſolidæ, conſtantis, firmæ, ſecuræ, certæ Corpus breve, ſuccinctum, expeditum, ac numeris omnibus abſolutum haberi facile poteſt. Atque hoc præſtat magis, quam æternas de Probabiliſmo lites ſerere, productis ad nauſeam Operibus tempus conſumere, ſe mutuo cum fidelium ſcandalo proſcindere, atque Orbem clamoribus implere. Hoc Confeſſariis, cunctis fidelibus ipſis, toti denique Eccleſiæ nedum utile, ſed etiam perneceſſarium eſt.

III.

III. An ab Eccleſia damnari debeat, ac poſſit Probabiliſmus, quemadmodum Probabilioriſtæ cupiunt, venditant, poſtulant, & fortaſſe ſperant, an vero Probabilioriſmus. Quod ut intelligas, hæ duæ Propoſitiones contradictoriæ diſtinguendæ ſunt.

Prima. In rebus ad ſolam actionis honeſtatem pertinentibus licet ſequi, & ad praxim deducere opinionem vere, abſolute, certo, & practice probabilem libertati faventem in conflictu opinionis, vel æque probabilis, vel probabilioris faventis legi, ſeu tutioris.

Secunda. Non licet.

Prima Probabiliſtarum, ſecunda Probabilioriſtarum eſt.

Nunc quæ ex iſtis duabus contradictoriis Propoſitionibus ab Eccleſia damnari debeat, ſi id oporteat, aut poſſit, an Prima, an Secunda, ſi Probabiliſmus ſit vere a Nobis toto hoc Opere demonſtratus, periti, & æqui iidem Lectores judicabunt.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

MO-

MONUMENTA

AD PROBABILISMI CONTROVERSIAM PERTINENTIA.

S. Augustinus contra Cresconium Grammaticum.

Lib. 3. Cap. 73.

Tu vero callidus Examinator, appenſorque verborum, doces nos quid valeat comparativus gradus, & tanquam victor exultas, quod non poſſem dicere, traditionem probabilius nos vobis objicimus, niſi vos nobis eam probabiliter objicere confiterer. Si enim vos, *inquis*, probabilius, nos ergo probabiliter. *Et hoc doces*, quia ſic eſt probabiliter, & probabilius, ut ſi dicas, vere, & verius: & quia gradus iſte quod ante poſitum eſt auget, non quod ante dictum eſt improbat. *Adjungis alia verba, quibus hoc evidentius intelligamus: ac dicis, ſic eſt bene, & melius, male, & pejus, horribiliter & horribilius, ſic eſſe oſtendens probabiliter, & probabilius. Unde colligi putas, quia ſi ego probabilius, quod falſum eſt objicio, ſupereſt, ut vos probabiliter, quod verum eſt objeciſſe confirmes. Hic ego nunquid dico, quod in quæſtione, vel diſputatione eccleſiaſtica nos artificiali grammatica docere conaris, quid valeat comparativus*

De vi comparativi gradus.

tivus

tivus gradus, quia id, quod ante poſitum eſt, auget, non quod ante dictum eſt, improbat? Video enim, quam hoc inepte tibi objiciam, quod tu videre noluiſti, quando mihi anticategoriam velut ex arte rhetorica objiciendam putaſti: quod genus quæſtionis, ubi dicitur, non ego feci, ſed tu feciſti, etiam in auctoritate prophetica demonſtravi.

CAP. 74.

C*Onſidera tamen diligentius, ne forte invenias in Latinæ locutionis auctoribus, quibus grammaticorum artificialia ſerviunt, non ſemper iſtum gradum quod ante poſitum eſt augere, ſed aliquando contrario ſuperferri. Cujus locutionis exemplum interim mihi ex Apoſtoli Epiſtola occurrit, quam ſcripſit ad Hebræos. Cum enim loqueretur de benedictione terræ, quæ accepta pluvia fructum reddit, deinde ſubjecit, Proferens autem ſpinas, & tribulos, reproba, & maledictioni proxima eſt, cujus finis in uſtionem. Quod ne illis, quibus loquebatur, optaſſe videretur. Confidimus autem, inquit, de vobis fratres chariſſimi, meliora, & hærentia ſaluti. Attendis certe quomodo hìc dixerit meliora: non quia bona erant, quæ ſupra dixerat, proferre ſpinas, & tribulos, uſtionem mereri; ſed magis, quia mala erant, ut illis devitatis meliora eligerent, & optarent, hoc eſt, bona tantis malis contraria. Sed forte Apoſtolum ſic audiendum eſſe arbitraris, quemadmodum de ſe ipſe dicit, tanquam hominem, & ſi imperitum ſermone, ſed non ſcientia: & ideo non verborum in eo, ſed rerum, atque ſententiarum auctoritatem putas eſſe ſectandam, bona*

poni

poni debuiſſe, contendens, ubi poſuit ipſe meliora? Quid ſi & ego ſum his litteris aſſuefactus, & illas, quas puer didici, oblitus, ſic dixi, Objicitis traditionem, hanc ipſam multo probabilius nos vobis objicimus, *tanquam dicerem probabiliter, comparativum pro poſitivo ponens, non quia vos probabiliter, ſed magis quia improbabiliter: ſicut ille meliora, non quia illa erant bona, ſed magis quia mala: tu quare tam temere concludis, ex hoc confirmaſſe me, vos probabiliter, quia dixi nos probabilius?*

CAP. 75.

Comparativus gradus non ſemper auget.

Q*Uanquam nec ſecundum grammaticos in verbo me erraſſe reprehenderes, ſi ſaltem verborum ipſorum auctores, vel attendere, vel memoriter recolere voluiſſes. Pueriles enim habent litteræ, ſed non a puero imperito dictum.*

Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum:
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.

Virg. l.3. Georg.

Quomodo ergo meliora piis, quaſi bona eſſent iſtis, ac non potius magna mala, qui diſciſſos nudis laniabant dentibus artus? Jam vides certe, quia ſicut iſte piis potuit optare meliora, quamvis illa, in quorum comparatione optabat, non eſſent bona: ſic & ego potui dicere, traditionem probabilius vobis objicimus, quamvis eam vos nobis non probabiliter objiceretis. Ut omittam, quia probabile quando dicitur, non conſequenter eſt verum; cum ea dicuntur, quæ fieri poſſunt, ac ſolent, & ideo probantur; hoc eſt approbantur, & creduntur, etiam ſi facta non ſint: quod autem verum eſt, cum oſtenditur, neceſſario probabile eſt, & illo utique probabilius. Recole libros, ubi ver-

verba didiciſti, quam te non fallam, profecto reperies.

CAP. 76.

UNde etiamſi veſtros probabiliter noſtris traditionem objeciſſe concederem, non ideo verum objeciſſe contenderem, & recte non dicerem probabilius hanc objicere: quandoquidem a vobis nominari tantum traditores ſolemus audire, nullis autem geſtis, vel eccleſiaſticis, vel publicis recitari, demonſtrarique confeſſos; a nobis autem proferri & geſta publica, ubi veſtri tradiderunt, & eccleſiaſtica, ub confeſſi Deo judici derelicti ſunt.

CAP. 77.

Retorquet in adverſarium.

SEd non omitto tam manifeſtum adjutorium tuum, quo nobis etiam neſciens plurimum faves, docendo regulas comparativi gradus: quia id quod ante poſitum eſt auget, non quod ante dictum eſt improbat, ſecundum enim hanc regulam tuam, ſecundum quædam verba tua in Epiſtola tua, ſine ulla difficultate obtinuimus cauſam noſtram. Tu enim dixiſti in primis partibus litterarum tuarum, velut noſtram pertinaciam criminando; tot documenta legalia, quod melius, & verius eſt, nobis perſuadere non poſſe. *Ubi ego concludo ſecundum artificialia tua, jam nos verum, & bonum tenere, ſi quod verius, & melius eſt, nobis perſuaderi non poteſt. Cum ergo nos non reſcindamus, ut ſecundum te loquar, verius, & melius baptiſma veſtrum, quare vos reſcinditis verum, & bonum noſtrum? Item cum dixiſſes,* hoc & nos volumus, ut Chriſtus ſit

ori-

origo, & radix, caputque Chriſtiani: *continuo ſubjeciſti*. Sed quærimus per quem hoc melius fiat? *Quod dicendo utique conceſſiſti & per malum miniſtrum bene hoc fieri, ſed melius per bonum. Cum itaque nos non reſcindamus baptiſmum, quem per veſtrum, tanquam per bonum miniſtrum dari dicitis: quare vos reſcinditis baptiſmum, quem per noſtrum, tanquam per malum miniſtrum datum eſſe contenditis? Tu enim dixiſti*, quærimus per quem melius fiat. *Et tua regula eſt*, quia gradus iſte quod ante poſitum eſt auget. *Unde ſi per veſtrum, ſicut putas, melius fit, ergo & per noſtrum bene fit. Ac per hoc quando per nos baptizatum rebaptizatis, id quod ex iſta tua regula bene factum eſſe conceditis, ſacrilega præſumtione reſcinditis.*

ET LIB. 4. CAP. 55.

Q*Uin etiam quia dixi*, traditionem multo probabilius nos vobis objicimus. *Reſpondes me hoc fuiſſe confeſſum, quod eam vos nobis probabiliter objicitis; doces etiam regulam locutionis*, qua comparativus gradus quod ante poſitum eſt auget, non quod ante factum eſt improbat: *& adjungens*, ſicut bene, & melius, male, & pejus, horribiliter, & horribilius, ita eſſe probabiliter, & probabilius. *Unde tibi colligere videris, & dicis; Si vos* probabilius, nos ergo probabiliter. *Hinc ego in illo prolixiore trium librorum Opere ſuo loco tibi ſatis, aut pluſquam ſatis fortaſſe reſpondi, & oſtendi ex illis litteris ubi verba didicimus, quomodo comparativus gradus non ſemper augeat, quod comparat, aliquando improbat, cui comparatur. Inde eſt:*

Lib. 1. contra Pet. cap. 21. Sup. lib. 3. cap. 73. 74. 75. 76. 77.

Virg.lib. 3.Georg. Dii meliora piis.

Inde eſt:

Æneid.3. —— *melioribus opto Auſpiciis. Lege diligenter, plura ipſe reperies. Sed nonne miraris, obſecro te, in hac cauſſa Maximianenſium, ex qua tibi ad omnia nunc ſtatui reſpondere, nec hujus mihi defuiſſe locutionis exemplum? In illa quippe luculentiſſima, & fœcundiſſima ſententia Bagajenſis Concilii.* Inventa eſt, *inquiunt*, cauſa ſalubrior, ne per cuncta membra peſtilens irrepat virus, ut compendioſo dolore natum decidat vulnus. *Certe ſecundum regulam tuam ſalubris, non ſalubrior dicere debuerunt. Neque enim illud ſalubre, ſed perniciosum erat, ut per cuncta membra peſtilens virus irreperet. Salubrior ergo erat cauſa, ut compendioſo dolore natum decideret vulnus, quamvis non eſſet ſalubris, ſed contra exitiabilis, ut per cuncta membra peſtilens irreperet virus. Sic traditionem probabilius nos vobis objicimus, quamvis eam vos nobis non probabiliter objiciatis.*

D. THOMAS QUODL. 3. ART. 10.

AD *ſecundum ſit proceditur: Videtur quod Auditores diverſorum Magiſtrorum tenentium diverſas opiniones excuſentur a peccato erroris, ſi opiniones Magiſtrorum ſuorum ſequantur. Dicit enim Dominus Matth.* 23. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia, quæ dicunt vobis, ſervate, & facite. *Multo ergo magis ſervanda ſunt illa, quæ traduntur a Doctoribus ſacræ Scripturæ; ergo non peccant qui eorum opiniones ſequuntur. Sed contra eſt quod dicitur Matth.* 15. Si Cœcus ducatum cœco præſtet, ambo in foveam cadunt. *Sed quicumque errat,* cœ-

cœcus eſt in quantum errat; ergo quicumque ſequitur opinionem errantis Magiſtri, in ſoveam peccati cadit.

Reſp. Dicendum, quod diverſæ opiniones Doctorum ſacræ Scripturæ, ſi quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, abſque periculo Auditores utramque opinionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum quod Apoſtolus dicit ad Rom. 14. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. IN HIS VERO, QUÆ PERTINENT AD FIDEM, ET BONOS MORES NULLUS EXCUSATUR, SI SEQUATUR ERRONEAM OPINIONEM ALICUJUS MAGISTRI. IN TALIBUS ENIM IGNORANTIA NON EXCUSAT, *alioquin immunes a peccato fuiſſent qui ſecuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum Hæreſiarcharum, nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem Auditorum*, SI IN TALIBUS ERRONEAM OPINIONEM SEQUATUR. IN REBUS ENIM DUBIIS NON EST DE FACILI PRÆSTANDUS ASSENSUS, *quinimmo ut Auguſt. dicit Lib. 3. de Doctrina Chriſtiana.* Conſulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ auctoritate percepit. *Qui ergo aſſentit opinioni alicujus Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium; ſive contra id, quod publice tenetur ſecundum Eccleſiæ auctoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.*

Ad illud ergo, quod in contrarium objicitur dicendum, quod ideo præmiſit, ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, *ut quod poſtea ſubdit*: omnia quæ dixerint vobis ſervate, & facite: *de illis intelligatur, quæ ad Cathedram pertinent, ad quam non pertinent ea, quæ ſunt contra fidem, vel bonos mores.*

QUODLIB. 8. ART. 13.

QUis titulus fuerit huic articulo a D. Thoma præfixus non convenit. Alii enim volunt hunc.

Utrum ille, qui habet plures præbendas peccet. Alii vero iſtum.

Utrum quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo (alii legunt*: de eodem*) *facto, ille qui ſequitur minus tutam peccet: ſicut de pluralitate præbendarum.* Vide, Lector, num hic articulus clarus eſſe poſſit, quemadmodum Probabilioriſtæ dicunt, ſi vel ipſe titulus in quæſtione poſitus eſt. Neque vero parum ad Probabiliſmi quæſtionem conducit, utrum unus, vel alter verus ſtatuatur, ut conſideranti liquet.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quod ille qui habet plures præbendas, peccet ex hoc ipſo, quod opiniones Magiſtrorum ſunt in contrarium. Quicumque enim committit ſe diſcrimini in his, quæ ſunt ad ſalutem, peccat; ſed iſte committit ſe diſcrimini, ut videtur, cum faciat contra multorum peritorum ſententiam; ergo videtur, quod peccet. Sed contra. Poteſt eſſe; quod in tali caſu aliquis adhibeat diligentiam inquirens, an habere plures præbendas ſit licitum, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quod ſit illicitum; ergo videtur quod ſine peccato poſſit plures præbendas habere.

Reſp. Dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conſcientiam, etſi non ſit contra legem, ut ſi conſcientia dictat alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem

tem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat OPINIONEM CUM ALIQUA DUBITATIONE. *Illud autem quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam, & ſimiliter quod eſt contra Conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem; quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum.*

Dicendum eſt ergo, quod quando ſunt DUÆ OPINIONES CONTRARIÆ DE EODEM, OPORTET ESSE ALTERAM VERAM, ET ALTERAM FALSAM. *Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam, ſic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quod vere licet habere plures præbendas; & tunc diſtinguendum eſt; quia aut talis habet conſcientiam de contrario; & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem* (alii legunt: *ſeu certitudinem*). (Ex quo iterum patet, hunc locum eſſe obſcuriorem. Nam ob hanc variam lectionem, redditur clarior certe, vel obſcurior, ut liquet), *ſed tamen* IN QUAMDAM DUBITATIONEM INDUCITUR EX CONTRARIETATE OPINIONUM, ET SIC SI MANENTE TALI DUBITATIONE PLURES PRÆBENDAS HABET, PERICULO SE COMMITTIT, ET SIC PROCULDUBIO PECCAT, *utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic*

non committit ſe diſcrimini, nec peccat. Unde patet ſolutio ad obiecta.

QUODLIB. 9. ART. 15.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quod habere plures præbendas ſine cura animarum, abſque diſpenſatione, ſit peccatum mortale. Quicumque enim facit contra ſtatutum Concilii peccat mortaliter: ſed qui habet plures præbendas facit contra ſtatutum Concilii generalis; ergo peccat mortaliter.

Probatio mediæ; Diſtinctione 7. *dicitur in quodam Decreto Urbani Papæ, quod incipit:* Sacrorum Canonum. Omnino aliquem in duabus Eccleſiis titulari non liceat, ſed unuſquiſque in qua titulatus eſt, in ea tantum Canonicus habeatur. Licet enim Epiſcopi diſpoſitione unus diverſis præeſſe poſſit Eccleſiis, Canonicus tamen præbendarius, niſi unius Eccleſiæ, in qua conſcriptus eſt, eſſe non debet. *Præterea* 15. q. 1. *dicit quoddam Decretum Septimæ Synodi.* Clericus ab inſtanti tempore in duabus non connumeretur Eccleſiis, negotiationis enim eſt hoc, & turpis lucri commodum, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine penitus alienum. *Et ſic idem quod prius.*

Præterea Chryſoſtomus dicit. Quod tenebra erubuit, lumen erubeſcat; quod figuræ non fuit conceſſum, rei reor eſſe illicitum; figuræ autem uon fuit conceſſum, quam inter Levitas: qui capiebat in Bethlehem, caperet in Jeruſalem, quomodo cum perfectiores eſſe debeamus, qui capit in Tyro, non capit in Damaſco? *Præterea Bernard. dicit*. Qui non unus, ſed plures eſt in beneficiis, non unus, ſed plures erit in ſuppliciis. *Sed qui ha-*

habet plures præbendas, plures eſt in beneficiis; ergo plures erit in ſuppliciis, & ſic graviſſime peccat.

Præterea, quicumque committit ſe diſcrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter. Iſte eſt hujuſmodi, quia recipiendo plures præbendas jurat ſtatuta utriuſque Eccleſiæ, in quibus præbendatur, quæ aliquando non poſſunt ſimul ſervari, utpote ſi eodem tempore vocetur ad electionem in utraque Eccleſia, vel ad aliqua Eccleſiæ negotia peragenda; & præcipue ſi ſit cauſa inter duas Eccleſias, cum utrique teneatur; ergo videtur quod peccet mortaliter.

Sed contra eſt, quia illud, quod vergit in commune periculum, non eſt ab Eccleſia ſuſtinendum; Sed Eccleſia ſuſtinet, ut aliqui communiter habeant duas præbendas; ergo in hoc non eſt periculum peccati mortalis.

Præterea licitum eſt alicui patrimonium habenti præbendam accipere; ſed major eſt convenientia inter Eccleſiaſtica beneficia, quam inter patrimonium, & præbendam; ergo etiam licet habenti unam præbendam, accipere aliam.

Reſp. Dicendum, QUOD OMNIS QUÆSTIO IN QUA DE PECCATO MORTALI QUÆRITUR, NISI EXPRESSE VERITAS HABEATUR, PERICULOSE DETERMINATUR, QUIA ERROR, QUO NON CREDITUR ESSE PECCATUM MORTALE, QUOD EST PECCATUM MORTALE, CONSCIENTIAM NON EXCUSAT A TOTO, LICET FORTE A TANTO. ERROR VERO, QUO CREDITUR ESSE MORTALE, QUOD NON EST MORTALE, EX CONSCIENTIA LIGAT AD PECCATUM MORTALE. PRÆCIPUE AUTEM PERICULOSUM EST, UBI VERITAS AMBIGUA EST, QUOD IN HAC

QUÆSTIONE ACCIDIT. CUM ENIM HÆC QUÆSTIO AD THEOLOGOS PERTINEAT, IN QUANTUM DEPENDET EX JURE DIVINO, VEL EX JURE NATURALI, ET AD JURISTAS IN QUANTUM DEPENDET EX JURE POSITIVO; INVENIUNTUR IN EA THEOLOGI THEOLOGIS, ET JURISTÆ JURISTIS CONTRARIA SENTIRE. *In jure namque Divino non invenitur determinata expreſſe; cum in Sacra Scriptura expreſſa mentio de ea non fiat; quamvis ad eam argumenta ex aliquibus auctoritatibus Scripturæ forte adduci poſſint, quæ tamen non lucide veritatem oſtendunt.*

Determinando vero eam ſecundum jus naturale, ſic videtur ad præſens de ea dicendum, quod actionum humanarum multiplex eſt differentia. Quædam enim ſunt, quæ habent deformitatem, inſeparabiliter annexam, ut Fornicatio, Adulterium, & alia hujuſmodi, quæ nullo modo bene fieri poſſunt. De numero talium non eſt habere plures præbendas, aliter in nullo caſu diſpenſationem recipere poſſet, quod nullus dicit. Quædam vero ſunt actiones, quæ de ſe indifferenter ſunt ad bonum, vel malum, ut levare feſtucam de terra, vel aliquid hujuſmodi, inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, dicentes. Ita licitum eſt plures præbendas, ſicut habere plura Poma. Sed hoc non videtur eſſe verum; cum hoc, quod eſt habere plures præbendas, plurimas in ſe inordinationes contineat, utpote quia non eſt poſſibile aliquem in pluribus Eccleſiis deſervire, in quibus eſt præbendatus, cum præbendæ videantur eſſe ordinatæ, quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium. Sequitur etiam diminutio cultus Divini, dum unus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum

tum teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt, & multa alia hujuſmodi, quæ de facili patent; unde non poteſt contineri inter indifferentes actiones, & multo minus inter eas, quæ ſunt ſecundum ſe bonæ, ut dare eleemoſynam, & hujuſmodi.

Sunt vero quædam actiones, quæ abſolute conſideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus, bonæ efficiuntur, ſicut occidere hominem, vel percutere in ſe deformitatem quamdam important. Sed ſi addatur occidere malefactorem propter Juſtitiam, vel percutere delinquentem cauſa diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum. In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuantur; ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequio, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, quantum alius præſens; & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi; & tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tamen ſecundum Jus naturale, quia diſpenſatio ad Jus naturale non pertinet, ſed ſolum ad poſitivum. Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut ſit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Epiſcopatum perveniat in aliqua Eccleſiarum, ubi eſt præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, ſed augentur, quia cum tali in-

ten-

tentione, & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, eſſet illicitum. Et ſic quidem eſſet dicendum ſecundum Jus Naturale, etiam nullo Jure Poſitivo ſuperveniente. Nunc autem certum eſt per antiqua jura hoc eſſe prohibitum. Patet etiam huic prohibitioni conſuetudinem eſſe contrariam, per quam quidam dicunt, illa Jura eſſe abrogata; nam per contrariam conſuetudinem Jura humana abrogantur. Quidam vero dicunt per hanc conſuetudinem antiqua Jura non abrogari, eo quod quædam Decretalis &c. multa per patientiam tolerantur, quæ ſi in judicium fuerint deducta, juſtitia cogente, ceſſarentur. *Et hæc controverſia Juriſtis eſt relinquenda, quamvis videatur hoc eſſe probabile, quod quantum ad hoc, quod Jura illa antiqua continent Jus naturale, abrogari non poſſunt per contrariam conſuetudinem, utpote irrationalem.*

Quantum autem ad hoc, quod ſolum de Jure poſitivo continent, poſſunt eſſe abrogata; præcipue ſi ſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt Jus Poſitivum mutare, intendant per talem diſſimulationem antiqua Jura mutare. Si ergo antiqua Jura, quæ hoc prohibent, in ſuo robore maneant, contraria conſuetudine non obſtante, certum eſt non poſſe aliquem plures præbendas habere abſque diſpenſatione, etiam illis circumſtantiis ſupervenientibus, quæ ſecundum conſiderationem Juris naturalis actum poterant honeſtare. Si autem antiqua Jura ſunt per conſuetudinem abrogata, tunc prædictis circumſtantiis ſupervenientibus etiam ſine diſpenſatione, licitum eſt plures præbendas habere; ſine quibus circumſtantiis licitum non eſt, quantumcumque diſpenſatio interveniat, eo quod diſpenſatio humana non aufert ligamen Juris Na-

Naturalis, ſed ſolum ligamen Juris Poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt. Et ex his de facili poteſt patere reſponſio ad objecta.

HENRICUS QUODL. 5. QUÆST. 33.

UTrum Doctoribus contrariantibus circa aliquid agibilium, & agere ſecundum unam opinionem eſt periculum, & dubium de peccato mortali, agere autem ſecundum aliam eſt ſine periculo, mortaliter peccet ille, qui agit illud, de quo eſt dubium, an ſit peccatum mortale, ut emere redditus ad vitam.

Circa ſecundum arguitur, quod mortaliter peccat exponens ſe illi periculo, quia dicitur Eccleſiaſt. 3. Qui amat periculum peribit in illo.

Contra. Tunc multi eſſent in periculo mortalis peccati, & damnationis.

Reſp. Dicendum quod quæſtio iſta generalis eſt de omnibus, in quibus Doctores contrariantur. Et certum eſt, quod in altero contrariorum eſt peccatum mortale, ſicut eſt in tenere redditus ad vitam, & accipiendo ultra ſortem, ſi hoc ſit vere Uſura, ſuper quo variantur opiniones Doctorum.

Et ſunt circa ejus diſſolutionem tria advertenda. Primo ſtatus Doctorum. Secundo rationes, & fundamenta eorum. Tertio conditio Auditorum, quos appello omnes, qui agere volunt ſecundum conſilia alterius partis Doctorum.

Primo ſtatus Doctorum advertendus eſt, quales inventi ſunt in aliis determinationibus ſuis, utrum veraces, dubii, vel mendaces ſecundum magis, & minus, qualiter vivunt, ſi oſtendunt ſe eſſe amatores veritatis, non tam ſermone, quam opere, qua-

qualiter inſtructi ſunt, & illuſtrati in notitia eorum, quæ pertinent ad quæſtiones terminandas, qua affectione in determinando moveantur, qualia hactenus determinabant ipſi, vel amici eorum, ad quæ ſequitur forte, vel non ſequitur id, quod nunc ſuper propoſita quæſtione determinant, qualia conſilia dare ſuper caſu propoſito quæſtionis ipſi, vel conjuncti eis conſueverunt. Facilius enim homines ſententiant ſecundum talia.

Secundo rationes, & fundamenta Doctorum in ſententiando reſpicienda ſunt, quorum rationes efficaciores, & validiores, & auctoritates expreſſiores.

Tertio conditio Auditorum, an ſint litterati, & diſcreti potentes diſcernere determinationes, & ea comparare, an ſimplices, quos oportet alteri parti credere, & etiam an utraque pars Doctorum quoad omnia æqualiter nota eſt eis, an altera tantum. Et ſecundum hoc combinando prædicta varie tenentur conſcientias ſuas ipſi Auditores informare. Et ſecundum hoc eſt aliquando uni peccatum mortale exponere ſe dubio illi, & periculo, & non alteri.

Si enim Auditor peritus ſit, & novit ſtatum Doctoris, qui ſentiat contra partem periculoſam, habere omnes bonas conditiones prædictas, aut plures ex eis, quam alius, novit etiam rationes ejus eſſe efficaciores, & expreſſiores auctoritates, quas adducit, iſte procul dubio exponens ſe illi periculo, mortaliter peccat, quia quod agit non eſt ex fide, ſive conſcientia, ſed contra dictamen conſcientiæ, & Rationis rectæ.

Si vero Auditor ſimplex ſit, non potens diſcernere Doctorum determinationes, neque conditiones prædictas circa Doctorem, qui ſtat contra partem periculoſam, ſed novit probos eſſe illos, qui ſententiant contrarium, aut præſumit eos eſſe magis fi-

de

de dignos, iſte exponendo ſe illi periculo, non peccat mortaliter, quia non reputat illud periculum, & ſi ſit in rei veritate.

Quod ſi non ſit in rei veritate, licet non peccet exponendo ſe illi periculo, peccat tamen mortaliter faciendo quod Regula Fidei prohibet, licet occultum ſit ei, quod illud prohibet, quia hujuſmodi ignorantia non eſt facti, ſed Juris, quæ neminem excuſat. Niſi forte diſtinguendum ſit inter ea, quæ pertinent ad principia Legis naturalis, ut ſunt illa, quæ ſunt expreſſa in præceptis Decalogi, quæ neminem habentem liberum arbitrium ignorare licet; & inter ea, quæ ſunt poſt illa principia, & ex illis ductu rationis elicienda, quæ forte licet aliquos ſimpliciores ignorare, & maxime habentes ignorantiam invincibilem ex debilitate ingenii ad illa cognoſcenda.

Per hæc patet primum objectum.

Ad ſecundum. Quod tunc multi eſſent in periculo mortalis peccati, dicendum. Quod ex caſu propoſitæ quæſtionis non ſunt aliqui in periculo mortalis peccati, niſi ſolum illi, qui contra conſcientiam illi periculo ſe exponunt, & ſi forte ſint multi, qui peccant ratione rei factæ, utpote potentes ex ſe ipſis circa hoc veritatem dijudicare; non quia ille, qui hujuſmodi periculo ſe exponit, ſemper duo ex hoc peccata incurrit, unum ex temeritate, aliud ex facto; ſed quin etſi factum non eſſet mortale in veritate, propter temeritatem tamen in agendo contra conſcientiam, qua illud reputatur mortale, eſſet mortale.

Cen-

Cenſura, & Declaratio Conventus Generalis Cleri Gallicani congregati in Palatio Regio San-Germano An. MDCC.

IN MATERIA FIDEI, ET MORUM.

Religionem Chriſtianam Fidei, & Moribus conſtare, Dogmatum autem tum Fidei, tum Morum eumdem eſſe fontem . . . .

. . . .

Sequuntur autem damnatæ Propoſitiones, nec probatis aliis Propoſitionibus, aut erroribus, quos pro anguſtia temporis prætermiſimus.

CENSURA PROPOSITIONUM.

I.

De obſervandis Innocentii X., Alex. VII. Conſtitutionibus, &c. . . . .

De Opinionum Probabilium uſu.

Abſit vero, ut probemus eorum errorem, qui negant licere ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam: *ſed ad rectum uſum probabilium opinionum, has Regulas a jure præſcriptas agnoſcimus. Primum, ut in dubiis de ſalutis negotio, ubi æqualia utrinque animo ſe ſe offerunt rationum momenta, ſequamur id quod tutius, ſive quod eſt eo in caſu unice tutum: neque id conſilii, ſed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura:* Qui amat periculum peribit in illo. *Hæc* (Eccl. 3. 27.) *prima Regula. Altera, ut circa probabiles de Chriſtiana Doctrina ſententias, ſequamur id, quod Viennenſe Æcumenicum Concilium circa infuſas*

tam

tam parvulis, *quam adultis in Baptiſmo virtutes decrevit his verbis*. Nos hanc opinionem .... tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem .... duximus eligendam. *Quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere conſtat, quo magis ex ipſis Fidelium ſanctitas, ac ſalus pendet*. Clem.un. de Sum. Trin., & Fide Cathol.

Ex hac igitur Regula ſit conſequens. Primum, ut in rebus Theologicis ad Fidei, & Morum dogmata ſpectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas Sanctis Patribus tradant ſententias. Deinde, ut ſi ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique, ut nemini liceat eligere eam ſententiam, quam non veritati magis conſentaneam duxerit.

Quod ergo in praxi eam nobis liceat ſequi ſententiam, quam nec ipſi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis, aut notis Auctoribus poſtremo demum Sæculo proditum, & ab iiſdem pro regula morum poſitum, repugnat huic effato a Patribus celebrato, Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus; *nec habere poteſt Chriſtianæ Regulæ ſecuritatem.* Vincent. Lirin. Common. 1. cap. 3.

*Hoc initium malorum eſſe, atque omnium ante dictarum corruptelarum caput, & Doctrinæ conſecutio, & ſeries temporum oſtendit. Hoc ab * Anteceſſoribus noſtris viris fortibus, ac religioſis cenſorie notatum, hoc ſæpe reprehenſum, hodieque reprehendi, nullo incuſante, immo bonis probantibus, diffiteri nemo poteſt.*

* In Cenſuris Apolog.Cafuiſt.

Nos quoque iis de cauſis, has novas ſententias,

in

in ſalutis negotio periculoſas, re diligenter inſpecta, ſumma ope caveri, ac prohiberi oportere cenſuimus, ac cenſemus. Placet autem illa prudentia, ut ante omnia cuſtodiamus, & in tuto col-
Luc. 10. 14. *locemus id, quod* Unum eſt neceſſarium, *fiatque illud dominicum*, Eſtote prudentes ſicut ſerpen-
Matt. 10. 6. tes, *qui protecto, quod præcipuum eſt, capite ſibi conſulunt; neque quiſquam in dubio ſalutis ad actum proſiliat, niſi ipſo dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis inſtinctu, ſed ex re-*
Rom. 2. 1. *cta ratione depoſito, dicente Scriptura*: Rationa-
Prov. 14. 16. bile obſequium veſtrum; *& iterum*: Sapiens timet, & declinat a malo, ſtultus tranſilit, & confidit: *poſtremo audiatur Apoſtolicum illud*:
1. Theſſ. 5. 21. Omnia probate, quod bonum eſt, tenete: *& iterum*: Omne quod non eſt ex fide: *ideſt ex con-*
Rom. 14. 23. *ſcientia, ſive ex perſuaſione*, peccatum eſt: *deni-que* Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſo-
Ibid. 11. 15. rum, *non aliorum utique, ſed ipſorum, & ſua.*

ADMONITIO, ET CONCLUSIO.

A*Dmonemus autem Compresbyteros noſtros, ſive Sæculares, ſive Regulares, quicumque Epiſcoporum auctoritate, vel verbum Dei prædi-*
Aleſſ. VII. in Præfat. Decret. 24. Sept. 1665. *cant, vel Sacramenta adminiſtrant*: Ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti ſinant, plebemque Chriſtianam ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, in rectam ſemitam evocent. *Quæ Chriſti Verba ab Alexandro VII. inculcata, alte animis inſidere optamus, & oramus; ſperamuſque in Domino fore, ut qui-*

cum-

eumque hactenus, laxiores illas ſententias, nulla certa ratione, ſed alii alios ſecuti docuerunt, docere ipſas jam deſinant; quippe quas, & Epiſcopi, ipſique Romani Pontifices reprehendant; Hæretici vero, immerito illi quidem, ſed tamen pro more ſuo Eccleſiæ imputent, atque invidiæ vertant: filii quoque ſæculi, ut vanas, rideant. Quare inanem, adeoque, & hominibus exoſam ſophiſticem aliquando averſati, auctore Sancto Hieronymo, ad recta ſe conferant: Ut qui prius populum blandimentis decipiebant, poſtea vera annuntiando deterreant, & ad rectam revocent viam; & qui cauſa erroris fuerunt, incipiant mederi vulneribus, quæ intulerunt, & eſſe occaſio ſanitatis.

Hieron. in Mich. cap. 3. ad illa verba: *Hæc dicit Dominus.*

Datum in Palatio Regio San-Germano, in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani, die quarta Menſis Septembris anno Milleſimo Septingenteſimo. Sic ſignatum in Originali.

✠ *L. A. Card. de Noailles Archiep. Pariſienſis Præſes.*
✠ *Carolus M. Arch. Dux Rhemenſis.*
✠ *Anna, Arch. Auxitanus.*
✠ *Armandus, Arch. Viennenſis.*
✠ *Leo P. P. Arch. Bituricenſis.*
✠ *Armandus, Arch. Burdigalenſis.*
✠ *J. Benignus, Epiſc. Meldenſis.*
✠ *Henricus, Epiſc., & Comes Cabilonenſis.*
✠ *Joannes Baptiſta, Epiſc. Rhedonenſis.*
✠ *Carolus, Epiſc. Maſſilienſis.*
✠ *Henricus, Epiſc. Montis albani.*
✠ *Henricus, Epiſc. Cadurcenſis.*
✠ *Carolus, Epiſc. Glandatenſis.*
✠ *Joſephus Ignatius, Epiſc. Aptenſis.*

✠ *Ludovicus, Epiſc. Sagienſis.*
✠ *D. Franciſcus, Epiſc. Trecenſis.*
Jo. B. de Cailus.
Rogerius de Buſſis Rabutin.
C. Mauritius de Roquepine, Abbas S. Nicolai Andegavenſis.
Henricus Carolus Arnauld de Pomponne, Abbas S. Medardi.
Joannes Franciſcus Paulus de Caumartin, Abbas B. M. de Buzayo.
Joannes de Catellan.
Jacobus Benignus Boſſuet, Abbas Saviniaci.
Ludovicus Armandus de Gourgue.
Franciſcus de Thomaſſin de S. Paul.
Claudius le Mazuyer.
Cl. de Biet. de Maubranches.
J. Franciſcus Petit de Ravanne.
Flodoardus Moret de Bourchenu, Præpoſitus Eccleſiæ S. Andreæ Gratianopolis.
Franciſcus Proſper Choart de Buzanval.
H. de Beaujeu.
Camillus le Tellier de Louvois.
Carolus Mauritius Colbert de Villacerf, nuper Agens Generalis, & Promotor.
Gabriel de Coſnac, Agens Generalis in rebus Cleri.
Carolus Andrault de Langeron Maulevrier Agens Generalis in rebus Cleri.
Vincentius Franciſcus Deſmaretz nuper Agens in rebus Cleri, nunc a Secretis.

Ali-

Aliquorum Ordinum Regularium Decreta ad Quæſtionem Probabiliſmi pertinentia.

ORD. SOC. JESU CONSTITUT.
Par. 4. cap. 5. n. 4.

SEquantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam Doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent.

Hæc Conſtitutio pluries renovata eſt, ſed præſertim in Duodecima Congregatione celebrata anno 1682. Decret. 28. his verbis.

Quamvis contra novitatem, laxitatemque opinionum, præſertim in rebus moralibus, abunde proviſum ſit, & Præpoſitorum Generalium ordinationibus, & Superiorum Congregationum Decretis, & Conſtitutionibus ipſis, quibus jubemur ſequi in quavis facultate ſecuriorem, magiſque approbatam Doctrinam: in re tamen tanti momenti, poſtulante pro ſuo Zelo Patre Noſtro, omniumque conſpirantibus votis, nihil prætermittendum rata Congregatio præſens, Decretorum, quibus novæ illæ, laxioreſque opiniones doceri, typiſque mandari prohibentur, vim totam renovat, roborat, & confirmat.

ORD. CARMELIT. DISCALCEATORUM.

PRælector Caſuum Conſcientiæ breviter dubia diſſolvat; & omnes opiniones in tutiorem partem incumbens, ſemper ſequatur.

ORD. TOTIUS FRANCISC. ut eſt in Directorio Trium Ordinum S. Franciſci Romæ edito 1688., & ab Innocentio XI. approbato n. 63.

OMnibus noſtri Ordinis, ac aliis ſub noſtra directione, ſeu Obedientia degentibus perſonis in Domino ſuademus, ac mandamus, ut Doctrinas tutiores, & probabiliores ſemper doceant, & amplectantur.

ORD. SANCTISSIMÆ TRINITATIS de Redemp. Captiv.

IN opinionum delectu habeant Patres Lectores ſpecialem advertentiam, & enixe ſuadeant communiores, magiſque probatas ſententias tueri, ne ad oſtendendam ingenii ſubtilitatem, adducant opiniones. . . . . minus probabiles.

ORD. PRÆDICATORUM in Cap. Generali celebrato anno 1656.

CAveant ab omni proritu exoticarum, minuſque cum littera S. Thomæ cohærentium opinionum, præcipue vero in moralibus, ubi preſſius de ſalute, ac indemnitate animarum agitur. Porro in his ſtudeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, ac parum tutas, abſtineantque a paradoxis, & monſtris recentium placitorum, ſeu problematum, quæ magis vanitati, ac periculoſa oſtentationi militant, quam veritati. Denique ſatagant non tantum fideliſſime in omnibus adhæreſcere ſanæ Doctrinæ Noſtri Angelici Præceptoris,

ris, quam ille ex limpidis, & incorruptis Sanctorum Patrum fontibus integerrime in Alveos ſuorum Operum corrivavit; verum etiam aſſueſcere propriæ ipſius phraſi, & modo loquendi, ita quod quantum fieri poteſt, ne quidem ab ipſo verborum ejus ordine, ſtylo, emphaſi longius diſcedatur.

Hæc ſunt Decreta, quæ peculiariter, & diſtincte a Probabilioriſtis contra Probabiliſmum afferuntur, quæ propterea eodem ſicco modo, quo ab iis afferri ſolent, allata ſunt. Attente conſideret Lector omnia eorum verba, & manifeſte perſpiciet, num vere adverſus Probabiliſmum noſtrum quippiam univerſe conficiant, & num propterea contra eumdem a Probabilioriſtis legitime afferri poſſint.

FINIS,

ERRATA CORRIGE.

Pag. 31	lin. 8. Antonio.	Antonino.
Pag. 53	(e) per Sch. Def. 11.	per Sch. Def. 2. n. 2.
Pag. 146	lin. 7. eligendum.	eligendam.
Pag. 215	lin. ult. cognoſcerent.	cognoſcent.
Pag. 233	(a) per Sch. Ax.	per Schol. Ax. 15.
Pag. 234	(g) per Sch. Supp. 4.	per Cor. 3. Supp. 4.
Pag. 241	(l) per Sch. 45. n. 5.	per Sch. Def. 45. n. 5.
Pag. 242	(a) per Sch. Def. 46. n. 4.	per hypotheſim.
	(b) per Prop. 2.	per Sch. Def. 46. n. 4.
	(c) per hypoth.	per Prop. 2.
	Sunt enim hæ citationes tranſpoſitæ.	
Pag. 248	(b) per Sch. Supp. 4.	per Supp. 4.
Pag. 251	(l) per Cor. ejuſd.	per Cor. 3. ejuſdem.
Pag. 312	Juxta Can. 3.	Juxta eundem.
Pag. 313	Juxta Can. 3. primo.	Juxta Can. 2., ejuſq. Cor.
Pag. 332	lin. prima. Probabiliſsmi.	Probabilioriſsmi.

Alia quædam pauca leviſſima Lector ipſe corriget per ſe ſe.

ELEN-

ELENCHUS
RERUM NOTABILIUM.

ACTUS. Directus, & reflexus quid ſint. *Pag.* 54. primus perfectior, ſed ſecundus ſemper certior. 55. elicitus, ſeu immediatus, & imperatus, ſeu mediatus, eorum definitio. 57.

ÆGIDIUS. Columna, ejus brevis hiſtoria. *pag.* 278. Doctrina ejuſdem generalis de licito uſu Probabiliſmi. 295. exempla ſpecialia practica, de eodem uſu ab eo deſumpta. 312.

ALBER. MAGN. B. ejus brevis hiſtoria. *pag.* 276. exempla practica liciti uſus Probabiliſmi ab eo mutuata. 314. opinionem probabilem aliter ac communiter accipitur, uſurpaſſe videtur. 43. ejus locus ſpecialis contra Probabiliſmum. 329. qui ſolvatur. 337.

ALEX. ALENS. ejus brevis hiſtoria. pag. 277. exempla practica liciti uſus Probabiliſmi ab illo excerpta. 315.

ANTONINUS. S. De Probabiliſmo varie, & ambigue locutus eſt. *pag.* 289. illum tamen clarius rejeciſſe videtur. *ibid.* nihilominus ab eo exempla practica uſus Probabiliſmi deſumi poſſent. 293. unde & ab eodem fuiſſe admiſſum facile oſtendi poteſt. 290. opinionem probabilem aliter ac communiter accipitur, intellexiſſe videtur. 44. qui ejus auctoritas contra Probabiliſmum ſolvi poſſit. 342.

APPROBATIO. Eccleſiæ. ejus ſicut & improbationis definitio. *pag.* 75. approbatio multiplex. 76. quæ de moribus approbat, vel improbat Eccleſia, licita, ac tuta, vel illicita ſunt. 131. non damnat

niſi falſum, & per principia certa. *ibid.* cognitum errorem nullo modo, incognitum autem electiva approbatione approbare poteſt. *ibid.* approbare poteſt tanquam tutum non ſolum certum, ſed etiam quodcumque opinativum. 132. cum approbat aliquid formaliter, approbat etiam virtualiter quidquid eo evidenter continetur. 133. approbavit doctrinam S.S. Bonavent. & Thomæ, & quomodo. *pag.* 174. & *ſeq.* *uſque ad* 192. Probabiliſmum in terminis non damnavit. 152. neque vetuit, ut defendatur, ac doceatur. *ibid.* imo & virtualiter, & formaliter approbavit. 207. unde nequit eſſe virtualiter damnatus neque ab Alex. VII. neque ab Innoc. XI. *ibid.* quare modus opinandi alienus ab *Evangelica ſimplicitate* &c. vera, ſolida, ac poſitiva probabilitate non continetur. *ibid.* potius ſubjectivum Probabilioriſmum condemnavit. *ibid.* pauciſſimas Propoſitiones tanquam probabiliores approbavit. 47. multas vero veluti probabiles, ac tutas. 175. *&* *ſeq.*

AUCTORITAS. quæ probabili reſponſione ſolvitur, certa non eſt. 322. quæ non eſt clara, nihil certo conficit. *ibid.* non eſt clara, quæ diverſim intelligi, & explicari poteſt. *ibid.*

AXIOMA. Vide *Mathematica*.

AUGUSTINUS. ejus locus inſignis contra Probabiliſmum. *pag.* 194.

BACHONUS Jo: ejus brevis hiſtoria. *pag.* 279. exempla practica liciti uſus Probabiliſmi ab eo deſumta. 313.

BENEDICTUS XIV. quomodo approbavit Probabiliſmum. Vide *Approbatio Eccleſiæ*.

BONAV. S. ejus brevis hiſtoria. *pag.* 277. ejus doctrina generalis de licito uſu Probabiliſmi. 299. exempla practica ſpecialia de eodem uſu ab illo

exce-

excepta. 305. Ejuſdem doctrina approbata ab Eccleſia, & quomodo. Vide *Approbatio*. habet ſententias morales contradictorias ſententiis D. Thomæ. 151.

BONITAS. BONUM. Moraliter. Quid ſint. *pag.* 28. bonum eſt vel verum, ac reale, vel apparens 87. actus bonus, prudens, virtuoſus, rectæ rationi conformis idem eſt, ſicut & bonitas, recta ratio &c. 29. mali definitio. 28. boni moralis conformitas, & mali moralis difformitas, quæ in negatione conformitatis continetur. *ibid.* in indiviſibili conſiſtit. 29. melius. Ejus definitio. *ibid.* melius non conformius rationi rectæ, quam bonum. 30. tam bonum quam melius eſt per ſe licitum. *ibid.* ac tutum. 38. non eſt obligatio per ſe ſequendi melius, ſed ſatis eſt ſequi bonum. 82.

CERTITUDO. CERTUM. Vide *Veritas*, *Verum*.

CONCILIUM. Gallicanum 1700. cujuſmodi ſit, & quid contra Probabiliſmum egerit. *pag.* 332. & 344.

CONSCIENTIA. ejus definitio. *pag.* 55. illius dictamen duplex, directum, & reflexum. 56. primum eſſe poteſt incertum, & falſum, ſecundum verum, & certum. *ibid.* ultimum Conſcientiæ dictamen debet eſſe certum, & quomodo. 79. eſt interna regula, & menſura moralis operationis. 120.

CONTRADICTORIA. Non poſſunt eſſe ſimul vera, certa, evidentia, neque probabiliora; bene vero æqualiter, & inæqualiter probabilia, ac tuta. *pag.* 77. 78.

CONSEQUENTIA. Quomodo valeat a comparativo ad poſitivum vel in eodem, vel in diverſis ſuppoſitis. *pag.* 9. 167.

CON-

CONTRARIA. Contrariorum eadem eſt lex, ac diſciplina. *pag.* 8.
COROLLARIUM. Vide *Mathematica*.

DEFINITIO. Definitio, & definitum convertuntur. *pag.* 8. quid ſit, quotuplex. Vide *Mathematica*.
DEMONSTRATIO. Quid ſit, & quotuplex. omnis eſt certa. 3. *&* 4. etiam ab *Abſurdo*, & quomodo, & *ad Hominem*. 8. 9. Mathematica quibus perficiatur. 3.
DOCTOR. Doctores etiam Sancti habent ſententias morales faventes libertati. *pag.* 150. & inter ſe contradictorias. 151. Doctores tam in practicis, quam in ſpeculativis tractandis verbis *ſecurum*, & *ſecurius* uſi ſunt. 156. Unuſquiſque Doctor ſuas ſententias in topicis defendit tamquam probabiliores. 147. Unde quilibet in his topicis impugnat Sententiæ oppoſitæ probabilioritatem, non vero probabilitatem. 149. quomodo, & num Doctores, Magiſtri, Conſultores teneantur ad probabiliora, aut tutiora. 148. cujuſmodi eſſe debeat Doctor ad hoc, ut conferat opinionibus probabilitatem. 45. Pauci Doctores antiqui aperte docent obligationem ſequendi probabiliora; nonnulli vero de hoc varie, & ambigue loquuntur. 289. Fieri poteſt, ut ab aliquo Doctore, re Probabiliſmus aſſeratur, licet verbis negari videatur. 291. Omnes Doctores tractant tum ſpeculativa tum practica incerta, & opinativa opinando, non aſſerendo. 163. unde tunc optionem eligendi dant. 163. Cum agitur de mente alicujus Doctoris claſſici ratio Interpretum potiſſimum domeſticorum habenda eſt. 322. in hujuſmodi Doctoribus ſunt loca obſcura, de quibus Interpretes diſſentiunt inter ſe. 326. Doctores non ſunt cen-
ſendi

ſendi Probabilioriſmum rejeciſſe, quia aliquid dicunt, unde Probabilioriſmus inferri videtur. 323.

ECCLESIA. Quid poſſit, aut non poſſit circa approbationem, vel improbationem alicujus; quid egerit circa doctrinam D. Bonav., & D. Thom. nec non circa Probabiliſmum. Vide *Approbatio*.

ERRONEUM. Quid proprie ſit. *pag.* 20.

ERROR. Quid, & quotuplex. 22. differt ab ignorantia 58. Error manifeſtus, ſeu falſum nunquam teneri poteſt. 154. magis errari poteſt in practicis, quam in ſpeculativis. 155. num, & qui error ab Eccleſia approbari poſſit. Vide *Approbatio*.

EVIDENS. FALSUM. Vide. *Veritas*, *Verum*.

HÆRETICUM. Quid proprie ſit. 20.

HENRICUS. Goethals de Gandavo. Ejus brevis hiſtoria. 278. Probabiliſmum quoad 2. partem rejecit. 288. Exempla tamen practica uſus illius ab eo deſumi poſſent. 293. quomodo ejus locus contra Probabiliſmum ſolvi poſſit. 341.

IGNORANTIA. Ejus definitio. *pag.* 58. differt ab errore. *ibid.* Vincibilis, & invincibilis. Earum definitiones. *ibid.* invincibilis adhuc multiplex. 59. quomodo vinci debeat, ac poſſit. 60. *& ſeq.* Tam in Probabilioriſmo, quam in Probabiliſmo ignorantia continetur, & quidem invincibilis & phyſice, & moraliter, licet præviſa, excuſans a peccato formali. 138. 143. tam in Probabiliſmo, quam Probabilioriſmo datur ignorantia invincibilis excuſans a peccato formali, non obſtante legis exiſtentia, ac promulgatione, & quomodo. 140. omnis ignorantia invincibilis excuſat a peccato, & quomodo. 107.

dari

dari poteſt etiam in lege naturæ, & quomodo. 126. ordinarie non datur in neceſſariis ad ſalutem ſive quoad fidem, ſive quoad mores. 109.
ILLICITUM. Vide. *Licitum*.
IMPROBABILE. Vide *Probabile*.
IMPROBABILIS. Vide. *Opinio*.
IMPROBATIO. Vide. *Approbatio*.
IMPRUDENS. Vide. *Prudens*.
INCERTITUDO. INCERTUM. Vide *Veritas*, *verum*.
INTELLECTUS. Speculativus, & practicus. utriuſque definitio. 53. utriuſque objectum eſt verum ſub diverſa conſideratione, ſive reale, ſive apparens: *ibid.* ſpeculativus ad ſcientias theoricas, practicus ad practicam, ſeu moralem pertinet. 54. eſt maxime reflexivus; & ſuis reflexionibus poteſt multa certo cognoſcere. *ibid.* ſpeculativus, & practicus eadem re ipſa potentia eſt. 103. unde omnia eſſentialia attributa, ac proprietates utrique communes ſunt, & quidquid convenit uni, convenit etiam alteri. 104. eſt potentia naturalis, & neceſſaria 84. a quibus determinetur, & cogatur, vel non cogatur ad aſſenſum; & in quibus ſubjiciatur, vel non ſubjiciatur imperio voluntatis: quoſque actus hujus imperio poſſit elicere, & circa quæ. 86. *&* *ſeq.* uſque ad 88. quomodo ſe habeat conſtitutus inter opiniones probabiles; quænam ſint in hujuſmodi ejus jura: quidve etiam in hac Probabiliſmi quæſtione de eodem certo cognoſcat. 250. 251. 252. Ubi non cogit evidentia veritatis poteſt laudabiliter ſuum judicium alieno ſubmittere. 105.

LEMMA Vide *Mathematica*.
LEX. Seu præceptum. Ejus definitio. 62. & divi-

viſio multiplex. *ibid.* & *ſeq.* uſque ad *66.* eſt menſura, & regula externa Conſcientiæ. 120. lex ut conſcientiam obliget debet eſſe certa. *ibid.* Unde præceptum utcumque opinativum nequit eſſe regula moralium operationum, & conſcientiæ. 122. Lex opponitur libertati, libertas legi. 127. Lex naturæ quotuplex, & quibus contineatur. 123. & *ſeq.* quæ naturæ lex ſit nota omnibus, & communis apud omnes, & a nemine ignoretur. 125. & *ſeq.* opinative deducta ex primis principiis moralibus legis naturæ ad eam legem non pertinent. 126. quomodo oppoſita de lege naturæ eſſe poſſint. *ibid.* ad hanc non pertinent concluſiones demonſtratæ antequam demonſtratio earum cognoſcatur. *ibid.* Lex naturæ eſt idem, ac Ratio recta. *62.* Legis promulgatio, ejus definitio. *68.* & multiplex diviſio. *ibid.* quæ promulgatio, & in qua lege diverſa ab exiſtentia eſt, & locum habere poteſt. *69.* non eſt neceſſarium ut promulgetur ſingulis, ſed ſufficit promulgari communitati. 70. in lege divina, & humana ad conſcientiæ obligationem requiritur exiſtentia, & authentica promulgatio. 122. & utraque clara, & certa eſſe debet. 123. cujus legis, quomodo, & quando exiſtentiam, & promulgationem humana libertas præcedat; & quando in poſſeſſione certa ſit. 127. & *ſeq.* uſque ad 129. circa legis exiſtentiam, & promulgationem in Probabiliſmo idem ſentiunt; & omnino ſtatuunt Probabilioriſtæ, ac Probabiliſtæ. 144.

LIBERTAS. Opponitur legi, lex libertati. 127. poſſeſſio libertatis non tollitur per incertam poſſeſſionem præcepti, bene vero certa poſſeſſio præcepti per incertam poſſeſſionem libertatis. 225. quomodo, & quam legem libertas præcedat. 127. & *ſeq.*

LICITUM. Et Illicitum. Ejus definitio. 28. licitum ut

ut tale eſt bonum, ſicut illicitum ut tale eſt malum. *ibid.* quæ certo ſunt licita ſunt tuta 35. minime vero quæ certo illicita. 38. in quæſtionibus de licito, vel illicito ei incumbit probatio, qui aſtruit illicitum. 6. item in quæſtionibus hujuſmodi nihil aliud inquiritur, quam exiſtentia, vel non exiſtentia legis, ejuſque ſufficiens, vel non ſufficiens promulgatio. 134.

MATHEMATICA. Methodus quibus inſtrumentis perficiatur. *pag.* 1. *& ſeq.*

MEDIUM. Virtutis. Vide *Virtus*.

MELIUS. Vide *Bonitas*, *bonum*.

MENSURA. Seu Regula. Vide *Regula*.

MORALIS. Scientia ad intellectum practicum pertinet. 54. ea traditur propter operationem. *ibid.* In moralibus non requiritur certitudo demonſtrativa, ſed ſufficit quælibet oſtenſio perſuaſiva. 104. de quo dictamine id intelligatur. 104. opinio probabilis eſt oſtenſio utcumque perſuaſiva, ideoque in moralibus ſufficit. *ibid.* quomodo corpus ſolidum, certum, ſecurum, ſuccinctum, ac breve Scientiæ Moralis facile comparari poſſit. 347.

NEGATIO. Et privatio formaliter in indiviſibili conſiſtit. *pag.* 8.

OBLIGATIO. Quilibet tenetur ſcire neceſſaria ad ſalutem pro ſtatu ſuo, & quæ iſta ſint. *pag.* 108. unde non excuſatur a culpa qui in his neceſſariis ſequitur opiniones cujuſcumque magiſtri his contrarias. 109.

OCCAMUS. Gullielmus. Ejus brevis hiſtoria. 279. ejus generalis doctrina de licito uſu Probabiliſmi. 294. cur exempla practica ſpecialia de eodem uſu

ex illo minime proferantur. 285.

OPINATIVUM. Ejus definitio. 25. omne opinativum eſt incertum, & æqualiter. *ibid.* ejus adhæſio non eſt firma, & perfecta. *ibid.*

OPINIO. Ejus definitio. 39. varie ſumitur. *ibid.* omnis eſt incerta & æqualiter: non habet firmam adhæſionem: nullo modo eſt error: non eſt dubium, neque cum illo coire poteſt: quomodo poteſt eſſe tuta. *ibid.* Opinio probabilis, probabilior, probabiliſſima, æque probabilis, ſpeculative, intrinſece, extrinſece, practice, certo probabilis, improbabilis earum definitiones, & doctrina. 40. *&* *ſeq.* uſque ad 46. tam probabilis, quam probabilior aſſenſum imperfectum habet: utraque eſt incerta, & æqualiter, neutra eſt ullo modo error 48. utraque poteſt eſſe tuta, & quomodo. 50. probabilis in conflictu probabilioris non amittit probabilitatem. 48. & alibi ſæpe. eſt rectæ rationi conformis, & æqualiter, ac probabilior. 49. eſt prudens, etiam in conflictu. *ibid.* *&* 118., & alibi pluries. probabilior vero prudentior. 118. in quo diſcrimen probabilis a probabiliori unice conſiſtat, & quomodo omnia attributa, & proprietates utrique communes ſint, 52. in utraque incertitudo præcepti continetur. 137. & ignorantia, & quidem invincibilis, licet præviſa, tam phyſice, quam moraliter. *ibid.* *&* 143. 246. opiniones probabiles evadunt probabiliores, & contra, imo tam probabiles, quam probabiliores vel certæ, vel etiam improbabiles & falſæ, & quomodo. 146.

ORDO. Ordines Regulares num, & quæ Decreta fecerint contra Probabiliſmum. 333. *&* 345.

PECCATUM. Materiale, & formale quid ſit. 33. *&* *ſeq.* poteſt incurri etiam per ſimplicem apprehen-

henſionem &c. de malitia actionis. *62.* quando malitia debet, vel non debet probari argumentis certis. *ibid.*

POSTULATUM. Vide *Mathematica.*

PRÆCEPTUM. Vide *Lex.*

PRIVATIO. Vide *Negatio.*

PROBABILE. Probabilius. Probabiliſſimum. Eorum definitiones. *pag. 26.* improbabile, ejus definitio. *ibid.* probabile, & prudens, probabilius, & prudentius, probabiliſſimum & prudentiſſimum, improbabile, & imprudens, ſeu temerarium ſunt ſynonyma. 31.

PROBABILIOR. Opinio. Vide *Opinio.*

PROBABILIORISMUS. Vide *Probabiliſmus.*

PROBABILIORISTÆ. In hac quæſtione ſunt Aggreſſores, Probabiliſtæ vero Defenſores. *pag.* 15. unde illis probatio incumbit *6.* quæ certa eſſe debet. 135. quæſtionem non intelligunt, & inepte tractant. 193. & alibi. peccant contra Dialecticas regulas, & communem Suppoſitionem, & tamen Probabiliſtas traducunt. *ibid.* eam etiam involvunt. 259. eorum ſententia puro æquivoco, ac falſa ſuppoſitione nititur. *266.* Illi, non Probabiliſtæ petunt ſemper principium. *267.* omnia eorum argumenta ex æquo contra illos regeruntur. 324. In hac quæſtione Stoicos imitantur. 119. omnia eorum argumenta a Probabiliſtis vel certa, vel probabili, & quidem multiplici ſolutione diluuntur. 325. neque illi faciunt quantum ſatis, ut agant prudenter, & ad conſcientiæ ſecuritatem. 144. in ſumma omnia illis cum Probabiliſtis paria ſunt. *ibid.* periculoſius quæſtionem de peccato mortali determinant, quam Probabiliſtæ. 330. eorum ſyſtema multis certis immanibus abſurdis obnoxium eſt. 190. & 222.

PRO

PROBABILIORITAS. eſt vel abſoluta, vel reſpectiva. 46. fere ſemper non realis, & objectiva, ſed apparens, & ſubjectiva eſt. *ibid.* & 150., & alibi ſequi poteſt probabilioritas favens libertati in conflictu probabilitatis faventis legi. 138. unde eſt tuta. 139. non tamen ſimpliciter, ſed *ſecundum quid*. ibidem.

PROBABILIS. Opinio. Vide *Opinio*.

PROBABILISMUS. Eſt tutus tutiſſimus non minus, ac Probabilioriſmus. 196. nullum ſcelus licitum facit. 324. non eſt novus, ſed antiquus. 347. licet explicitus tantum circa an. 1577. ortus ſit. 179. quomodo ſit approbatus, vel improbatus. Vide. *Approbatio*. num, & quatenus vel Probabiliſmus, vel potius Probabilioriſmus damnari poſſit. 348. licite defendi, ac doceri poteſt. 153. minus ab illo, quam a Probabilioriſmo laxitatis in moribus timeri poteſt. 213. tenemur aliquando ad probabiliora. 153. quæſtio de Probabiliſmo, & Probabilioriſmo reflexa eſt, unde principiis reflexis tractanda eſt. 133. quare valde ſubtilis, ac retruſa eſt. habet tantum locum in opinativis. 136. & in præceptis virtualibus. *ibid.* nullum eſt præceptum de ſectando Probabilioriſmo. 235. etiam ſi eſſet, non eſt tamen ſufficienter promulgatum. 240. ſi eſſet, ad legem naturæ pertineret. 145. hoc eſt ad rectam rationem. *ibid.* In Probabiliſmo defectus exiſtentiæ legis, ejuſque ſufficientis promulgationis reperitur. 233. & certa poſſeſſio libertatis. 234. tam in Probabilioriſmo, quam Probabiliſmo ignorantia omnino invincibilis excuſans a formali peccato æqualiter continetur. 246. uterque iiſdem armis oppugnari poteſt, & porro a Tutioriſtis oppugnatur. 325. Probabiliſmus eſt certo licitus in ſpeculativis, & practi-

cis politicis. 157. & in rebus fidei. 168. antiquitus quæſtio Probabiliſmi ex profeſſo tractata non eſt. 287. nemo Scholæ Principum eam quoad primam partem propoſuit, ac tractavit, unus tantum quoad ſecundam. 288. Argumenta omnia contra Probabiliſmum allata, & ſoluta. 326. *& ſeq.*

PROBABILISSIMA. Opinio. Vide *Opinio*.

PROBABILISSIMUM. Vide *Probabile*.

PROBABILITAS. Abſoluta favens libertati ſequi poteſt, 138. non amittitur in conſpectu probabilioritatis. 192. & alibi paſſim. eſt tuta, tutiſſima, & æqualiter tuta ac probabilioritas quæcumque. 196. debet eſſe vera, & realis, & quomodo. 45. quæ conditiones ad veram probabilitatem requirantur. *ibid.* & 19. contra probabilitatem non datur certitudo, & quomodo. 134. non niſi certis argumentis deſtrui poteſt. 135.

PROBABILIUS. Vide *Probabile*.

PROBLEMA. / PROPOSITIO. Vide *Mathematica*.

PRUDENS. Prudentius, Prudentiſſimum. eorum definitiones. 30. temerarium. ejus definitio. *ibid.* quomodo prudens, & temerarium hoc loco ſumatur. 31. ſunt ſynonyma cum probabile &c. improbabile &c. *ibid.*

PRUDENTIA. Ejus definitio; munera, partes. 73. 74. eſt regula, & forma aliarum Virtutum: habet actus elicitos, & imperatos: & primi non ſecundi certi ſunt. eſt virtus partim intellectualis, partim moralis. *ibid.* eſt idem, ac virtus, & recta Ratio. 74. eſt tantum de rebus incertis, & reſidet in parte animæ opinativa. *ibid.* medium præſcribit aliis Virtutibus. 110. ejus actus in medio conſiſtunt. 112. habet medium rationis. 110. quod non eſt indiviſibile. 115.

PRU-

PRUDENTISSIMUM. PRUDENTIUS. Vide *Prudens*.

QUÆSTIO. Omnis quæſtio unum ſupponit, & aliud quærit. 5. debet propriis principiis determinari. *ibid.* eſt vel directa, vel reflexa, & quid ſit. *ibid.* in quæſtionibus tractandis cavenda eſt fallacia Ignorationis *Elenchi*. 7. item *petitio principii*. *ibid.* quæſtionis præſentis ſtatu , & varia ejus propoſitio, ac expoſitio. 14. & 252. & 255. Ejuſdem Analyſis. 256. *& ſeq.* in quæſtionibus defendenti incumbit omnia determinate &c. impugnanti vero iis ſtare &c. in præſenti Probabilioriſtæ Aggreſſores, Probabiliſtæ Defenſores ſunt. 15.

RATIO. Recta eſt idem ac Virtus. 73. & prudentia. 74. etiam ipſa in medio conſiſtit. 112. quod non eſt indiviſibile; unde poteſt bene, melius, optime agi juxta rationem rectam. 116. hoc medium præſcribitur a Sapiente. *ibid.* ipſa regulat alias virtutes, iiſque medium præſcribit. *ibid.* eſt idem, ac Lex naturæ 62.

RAYMUNDUS. S. ejus brevis hiſtoria. 376. exempla practica uſus liciti Probabiliſmi ab eo deſumta. 317. omnium maxime juxta Probabilioriſtas Antiprobabiliſta eſt. 323. & 331. qui tamen ejus auctoritas ſolvi poſſit. 342.

REGULA. Et menſura debet eſſe certa, & quomodo. 121.

REGULARES. Ordines. Vide *Ordo*.

SCHOLA. Theologica. Ejus auctoritate, & exemplo Probabiliſmus licitus demonſtratur. 294. *& ſeq.* qui, & quot ſint ejus Principes. 12. cur eorum auctoritate præſertim in hoc opere utamur. 27. & cur exempla non eodem modo ab iis poſtu-

 lan-

landa ſint. 285. omnes opiniones cujuſcumque Scholæ ſunt probabiles, non vero probabiliores. 175.
SCHOLIUM. Vide *Mathematica*.
SCIENTIA. Moralis. Vide *Moralis*.
SCOTUS. Joannes Duns. Ejus brevis hiſtoria. 278. exempla practica uſus liciti Probabiliſmi ab eo deſumta. 309. ejus Schola una ex celebrioribus eſt. 281. illius loca peculiaria contra Probabiliſmum 330. quomodo ſolvantur. 336.
SYNDERESIS. ejus definitio. 55. notitia univerſali juris continetur. 56.

TEMERARIUM. Vide *Prudens*.
THEOREMA. Vide *Mathematica*.
THOMAS. S. Ejus brevis hiſtoria. 277. ejuſdem auctoritas generalis de licito uſu Probabiliſmi. 297. exempla practica ſpecialia uſus ejuſdem. 301. ſola illius auctoritate, & doctrina præſens quæſtio decidi poteſt. 283. ejus Schola omnium celebrior. 281. eſt Princeps omnium Theologorum 188. alia ejus elogia 176. *& ſeq*. quomodo ejus doctrina approbata ſit, & ſequi poſſit. Vide *Approbatio*. habet plures ſententias faventes libertati. 150. & contradictorias ſententiis D. Bonav. 151. illius ſpecialia loca contra Probabiliſmum. 330. 331. quomodo ſolvantur. 137. *& ſeq.*
THOMISTÆ. Omnes Medinam primum Probabiliſmi aſſertorem per octoginta annos ſecuti ſunt, poſt vero ab illo receſſerunt, num bene, an ſecus. 222. juramento tenentur defendere doctrinam D. Thomæ 216. ſub mortali tenentur ſequi, ac defendere Probabiliſmum. 220. ipſum re vera in praxi ſequuntur. 221. nequeunt ſub mortali ſequi omnes ſententias D. Thomæ faventes libertati, ſi ſunt Probabilioriſtæ. *ibid*.

TU-

TUTIORISTÆ. negant licitum etiam Probabilioriſmum, eumque ſequi prudenti, & tuta conſcientia poſſe. 141. iiſdem armis utrumque ſyſtema evertunt. 82. & 325.

TUTIUS. TUTUM. Eorum definitio, diviſio, ac integra doctrina. 32. *&* *ſeq.* uſque ad 38. non eſt obligatio per ſe ſequendi tutiora. 82. ſed ſolum aliquando. 153. tuta per ſe ſunt licita 78.

VERITAS. VERUM. Ejus definitio. 17. falſum. ejus definitio. *ibid.* falſitas in negatione conſiſtit. *ibid.* veritas alia logica, alia metaphyſica. *ibid.* evidens. certum. eorum definitio. incertum. quid ſit. verum, certum, evidens pro eodem ſumuntur, inter ſe tamen diſcriminantur. veritas item, evidentia, ac certitudo multiplex, nempe Fidei, Theologica &c. quid unaquæque ſit. certum eſt quidquid ab omnibus fere in ſua facultate tenetur. quænam ſententia ſit vera, & certa, vel falſa, quidve certo licitum, vel illicitum. 18. *&* *ſeq. uſque ad* 24. incertitudo in negatione conſiſtit. 19. veritas, & falſitas in indiviſibili conſiſtit. 18. etiam incertitudo. 22. ex vero falſum ſequi non poteſt. 8. verum eſt vel reale, vel apparens. 54. contra certitudinem non datur probabilitas. 134.

VIRTUS. Ejus definitio 71. quæ ſint Cardinales virtutes. 72. habet actus vel elicitos, vel imperatos; & non iſti, ſed illi ſemper veri, ac certi ſunt. *ibid.* In qualibet Virtute aſſignantur quattuor gradus. *ibid.* eſt idem ac recta Ratio. *ibid.* & prudentia. 74. in medio conſiſtit. 110. hoc medium eſt Rei, vel Rationis. *ibid.* determinatur a Ratione recta, ſeu prudentia. *ibid.* ſola Juſtitia Commutativa habet medium Rei. 110. cæteræ vero

Virtutes medium Rationis. *ibid.* hoc medium non eſt indiviſibile. 112. bene vero Juſtitiæ Commutativæ, ubi indiviſibiliter aſſignari poteſt; ſecus vero, ubi poteſt aſſignari diviſibiliter. 115. medium iſtud determinatur a Sapiente juxta rationem rectam. 116.

VOLUNTAS. Eſt potentia libera, ac domina ſui, & aliarum potentiarum. 85. quibus tamen dominetur, & quibus non. *ibid.* dominatur præſertim Intellectui, & quidem directe, vel indirecte. *ibid.* ejus imperium eſt partim deſpoticum, partim politicum. *ibid.* ejus objectum eſt bonum vel reale, vel apparens. *ibid.* in quibus actibus, ac rebus, & quomodo poſſit imperare intellectui, eique dominari & phyſice, & moraliter. eumque ad partem quamlibet determinare 89., *& ſeq.* uſque ad 103. æque poteſt in intellectum ſpeculativum, ac practicum 104. magis in iſtum, quam in illum. 239. quæ ſint cauſæ, cur hæc omnia facere poſſit. 101. in opinativis ſpeculabilibus, & practicis politicis poteſt & phyſice, & moraliter intellectum ad partem quamcumque ſive æque ſive magis, ſive minus probabilem in conflictu determinare. 166. & etiam in moralibus practicis. 242. imo in his multo magis. 243.

Finis Rerum Notabilium.